Digitized by Google



Petrus Paulus Finauer Juris Conſultus

<36627953670012

<36627953670012

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Ph. 624.

M 4.500 -

1729

Philos. Opera varia. 204.

R.

Digitized by Google

HORÆ SVBSECIVÆ MARBVRGENSES

ANNI MDCCXXIX,

QVIBVS

PHILOSOPHIA

AD

PVBLICAM

PRIVATAMQVE VTILITATEM APTATVR.

AVTORE

CHRISTIAN. WOLFIO,

CONSILIARIO AVLICO HASSIACO, MATHEMATVM AC PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO IN ACADEMIA MARBVRGENSI ET ORDINIS PHILOSOPHORVM p. t. DECANO, PROFESSORE HONORARIO PETROPOLITANO, SOLIETATVM REGIARVM BRITANNICÆ AC BORVSSICÆ SODALI.

TRIMESTRE BRVMALE.

FRANCOFVRTI ET LIPSIÆ MDCCXXIX.
PROSTAT IN BIBLIOP. RENGERIANO.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DN. IO. REINHARDO, L. B. A DALWIGK,

DYNASTÆ IN VIERMVNDEN,

ET WOHRA,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

HASSIÆ LANDGRAVII

MINISTRO STATVS INTIMO

ET

CAMERÆ PRÆSIDI,

DOMINO SVO GRATIOSO.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME

ATQVE

EXCELLENTISSIME DOMINE

Dum ſpeciminibus luculentis oſtendere conſtitui, quomodo philoſophia ad publicam privatamque utilitatem aptari debeat; inſtitutum hoc viris intel-

Digitized by Google

telligentibus valde probatum, quibusde eodem dixeram, Te potiſſimum Autore aggreſſus ſum. Neque enim Te fugit philoſophiæ ſolidæ principia rebus gerendis utiliter adhiberi, ſolidam autem doctrinam a ſuperficiaria ipſo uſu diſcerni, cum expertus aſſeveres, ſi philoſophia non proſit, id non philoſophiæ ſed philoſophi eſſe omnes muneris ſui partes neutiquam adimplentis. Quemadmodum itaque, Vir Illuſtriſſime, genuinum a ſpurio pragmatico quodam acumine ſeparas; patrocinium quoque Tuum indulges iis, qui ſolidam ac Reip. uti-

lem doctrinam promovent. Vtilitatem autem provide æſtimans non contemnis, quæ ſublimia ſunt, & nimia ſubtilitate quæſita videntur hominibus de rebus per tranſennam inſpectis temere ſtatuentibus, quippe omnium optime gnarus, vel maxime obvia non ſine ſubtili acumine in eam formam redigi, ut amplam atque arduam utilitatem conſequantur, & philoſopho in ſterilibus, quæ viderunt, ſpeculationibus longo ſæpius tempore eſſe verſandum, ut per eas ad veritates momentoſas ac Reip. immo toti generi humano inſigniter profuturas perveniat.

Digitized by Google

Impenſe igitur mihi gratulor, Domine, quod divina providentia Te Patronum nactus ſim eo potiſſimum tempore, quo philoſophiam univerſam certam ac utilem efficere ſtudeo, ut, quod continuo multorum annorum labore aſſecutus ſum, Tuo patrocinio adjutus in publicum proferre valeam. Quamobrem ne deeſſet occaſio ingentia Tua in doctrinam ſolidam ac Reip. utilem doctrinam merita publice prædicandi, Tuumque in me favorem pietate venerandi; prima hæc philoſophiæ ad publicam privatamque utilitatem aptatæ ſpecimina Illuſtriſ-

ſimo Nomini Tuo dedicare debui. Accipe igitur, quod Tibi, Mecænas Maxime, humillima mente offero, vultu gratioſo, meque favore Tuo perenni complecti perge. Deus Te ſervet, ac Neſtoreis frui iubeat annis! Dabam Marburgi Cattorum die 3. Aprilis A. O. R. 1729.

ILLVSTRISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI

NOMINIS TVI

Cultor devotiſſimus

Chriſtianus Wolfius.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

Etſi magna negotiorum mole quotidie me obrutum eſſe non ignorent, qui labores meos perſpectos habent; in felicitatem tamen generis humani pronus cum id unice mihi datum eſſe exiſtimem, ut aliis in-

Digitized by Google

ſerviendo conſumar, Patronis jubentibus, amicis rogantibus, facile me adduci paſſus ſum, ut ſpeciminibus docerem, quomodo philoſophia ad publicam privatamque utilitatem aptanda ſit, cum longum iter per præcepta, breve per exempla deprehendatur. Tempus igitur huic labori impendendum ordinariis negotiis detrahere debui, quaſi animum labore feſſum recreaturus, cum voluptatem noverim nullam, niſi quæ ex ſtudio aliis inſerviendi proficiſcatur. Atque ea ratio eſt, cur ſpecimina iſta ſub titulo horarum ſubceſivarum per trimeſtria intervalla in lucem prodeant. Cum vero Marburgi hoc otio mihi perfrui datum ſit, quo non ad pompam, ſed utilitatem philoſophari licet; horas iſtas ſubſecivas Marburgenſes appellandas

das eſſe duxi, ut omnes intelligant Marburgum eſſe eam Muſarum ſedem, ubi non ventoſitati, ſed ſoliditati ac utilitati litatur. Quod ipſa attinet rerum argumenta, quibus illuſtrandis impendentur horæ iſtæ ſubſecivæ, operam dabimus, ut varietate lector delectetur, atque ad ſolide philoſophandum excitetur. Vtilitatem unice ſpectantes non rara, &, quæ paradoxa videntur, conquiremus; ſed placebunt maxime obvia, ubi nobis oſtendere licuerit, utilitatem inſignem ob eorum contemtum non fuiſſe animadverſam. Neque tamen ideo aſpernabimur, quæ ſublimia ac profundius hauſta ſunt, ubi non minus quam in obviis inexpectatam deprehendemus utilitatem. Cumque facultatum, quas ſuperiores appellare conſue-

Digitized by Google

ſuevimus, in Rep. uſum nemo non noverit; philoſophiam utilem effecturi auxilia quoque delineabimus, quæ illis affert, ut & ipſæ evadant utiliores, ſed more noſtro per exempla, minime per præcepta, niſi quatenus exemplis ipſa præcepta inſunt. Atque ſic tempus noſtrum, quod nobis a negotiis ordinaris ſuperfuerit, aut iisdem ſubtrahi ratio ſuaſerit, multo rectius nos collocaturos exiſtimamus, quam ſi altercationibus inutilibus & a bonis moribus abhorrentibus idem terere conſtitueremus, ad quas nos variis technis inducere tentant homines, quorum intereſt, ne doctrina ſolida ac Reip. utilis invaleſcat. Atque ea in re non modo philoſophi officium adimpleo, ſed Apoſtoli quoque veſtigia premo voce vere divina, nec niſi ab impiis contem-

tem-

Digitized by Google

temnenda (a), eum, qui contentioſus eſſe velit, noſſe iubentis ſe atque eccleſiam Dei ab hac conſuetudine procul abeſſe. Neque enim ſine ratione præcipit (b), ſervum Domini non oportere litigare; cum ſervus Domini eſſe nequeat, qui dictis ejus fidem non habet, eaque non agit, quæ voluntati ipſius conformia ſunt. Hæc eſt vox Domini, quam non attendunt rixatores, quod de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii (c). Parum autem me movet calumnia, quaſi cauſam deſperatam defendere neſciens hoc pietatis utar prætextu: etenim ſi quis neſcio quæ mendacia effutire non erubuerit, ut famam meam proſcindat, & veritatis progreſſui obi-

(a) 1. Cor. XI. 16. (b) 2. Tim. II. 24.
(c) Matth. XII. 36.

Digitized by Google

obicem ponat, iis contraria ipſo opere oſtenſurus ſum, ut ſic ipſo facto fiant infames, qui furori fræna laxantes linguæ impotenti moderari nequeunt. Hæc enim ea eſt methodus, qua aliorum calumnias refellimus, non modo a verbis otioſis ipſimet abſtinentes, verum nec aliis anſam dantes, verba otioſa, immo otioſis pejora, porro eructandi. Neque aliam rationem Salvatori optimo, cujus nobis exemplum Petrus (d) commendat, fuiſſe pro certo habeo, cur, cum malediceretur, non malediceret, cum pateretur, non comminaretur, ſed Deo judici cauſam omnem committeret. Doleo corruptos ſeculi mores, quo homines ſingularem cum Deo communionem jactantes, & alto non minus ſupercilio, quam temerario

(d) 1. Petr. II. 23.

Digitized by Google

rio judicio alios eadem excludentes, ne quidem in iis vitam Chriſti præcepto atque exemplo conforment, quæ nec Philoſopho ſolo lumine rationis utenti difficilia fuiſſe monumenta veterum loquuntur. Eam philoſophandi ingreſſus ſum viam, teſte opere Logico, ut mihi a calumniis & falſis imputationibus metuendum non ſit, atque in his horis ſubſecivis eas ipſo opere, absque verbis otioſis, citra ipſorummet calumniatorum injuriam refellendi occaſio non deerit. Nemini ſuam, qua fruitur, gloriam invideo, ſi vel maxime nullo fundamento nitatur, vel artificiis parum honeſtis fuerit comparata. Ab aliis igitur perſtringendis qui ſemper fui alienus, nec contrarios in hiſce Horis ſequar mores: abſit enim, ut maledicendi, calumniandi & cavillandi

Digitized by Google

di ſtudio eminere velim! Abſit procul a me iſta animi impotentia, ut morem, quem deteſtor, vel invitus ſequar! Deus corrigat pravos ſeculi mores, ne, qui artes ſe fideliter didiciſſe gloriantur, ſint adeo feri, ut animantia bruta rationis uſu deſtituta rectius tamen iisdem utantur ratione! Dabam Marburgi d. 3. Aprilis A. O. R. 1729.

HORÆ SVBSECIVÆ MARBVRGENSES,

ANNI MDCCXXIX.

Trimeſtre brumale.

I.

De habitu philoſophiæ ad publicam privatamque utilitatem aptæ.

§. 1.

Ratio inſtituti Autoris.

Cum ſpeciminibus luculentis docere conſtituerimus, quasnam philoſophia tum ad vitam tum ad Remp. bene prudenterque agendam utilitates afferat; ne inſtitutum noſtrum inane a plerisque exiſtimetur, id nobis principio incumbere exiſtimamus, ut habitum philoſophiæ ad tam præclaros uſus aptæ delineemus. Vereor enim, ne plerique ex ea, quam uſu ſibi compararunt, notione de philoſophia ſtatuentes in ſententiam abeant ab ea, quam tuemur, prorſus diverſam, nihil profecto certius, nihil evidentius eſſe rati, quam

quod domeſtica experientia ſuffultum clariſſime contuentur.

Philoſophia quando ad vitam utilis:

§. 2. Ad vitam bene & prudenter agendam philoſophia utilis, dum actionum liberarum directioni inſervit; quem uſum cum agnoſceret *Cicero*, eam nunc magiſtram (a), nunc ducem vitæ (b) appellavit, vitam ſine philoſophia nullam eſſe perſuaſiſſimus.

quando ad Remp. agendam utilis.

§. 3. Ad Remp. bene & prudenter agendam philoſophia utilis, dum Reip. conſtituendæ, conſtitutæ conſervandæ, collapſæ autem inſtaurandæ opem affert, ut, quæ circa eam moliuntur rerum gerendarum peritia inſtructi, ſingula in ſalute ac tranquillitate illius terminentur; quod cum olim *Plato* perſpiceret, eam demum Remp. beatam fore pronunciavit, ubi vel philoſophi imperant, vel Reges philoſophantur, non invito Sinarum priſcorum exemplo, quemadmodum alibi me oſtendiſſe memini (c).

Differentia Cognitionis

§. 4. Cognitionis philoſophicæ ab hiſto-

(a) Quæſt. Tuſcul. lib. 2. (b) Quæſt. Tuſcul lib. 5.
(c) In Oratione de Sinarum philoſophia practica p. 6.

Digitized by Google

hiſtorica ſeu communi & mathematica differentiam primi (d), quantum novimus, diſtincte tradidimus, etſi confuſe eam dudum viderint alii, mox tamen, quæ notionum confuſarum ſors eſt, philoſophicam cum hiſtorica & mathematica confundentes; quod vel ex eo patet, quod non modo diſceptatum fuerit, utrum diſciplinæ mathematicæ in numerum philoſophicarum ſint referendæ, nec ne; verum etiam ſe philoſophari hodienum exiſtiment, qui vel virorum doctorum ſententias de rebus quibusvis memoriæ mandant, vel promiſcue colligunt, quæ non ſatis cauta obſervatio ſuggerit. Cognitionem philoſophicam ab hiſtorica ita nos diſtinguimus, ut, dum hæc in nuda facti notitia ſubſiſtit, illa ulterius progreſſa rationem facti in apricum producit, ut intelligatur, cur iſtiusmodi quid fieri poſſit, atque adeo accurate innoteſcat, quandonam idem, *philoſophicæ a communi & mathematica.*

 quod

(d) in Præf. ad Aërometriæ elementa A. 1709. edita; im Vorbericht von der Welt-Weißheit §. 5. & ſeqq. & §. 15. zu den Gedancken von den Kräften des Verſtandes & in Diſcurſu præliminari de philoſophia Logicæ præmiſſa c. 1. integro.

quod antea factum meminimus, denuo fieri debeat; mathematicam vero nonniſi ei concedimus, qui quantitatem rerum determinare in dato caſu valet.

Exemplo diſcrimen illuſtratur. §. 5. Etſi autem de his, quemadmodum arbitramur, alibi (e) diximus, quæ abunde ſatisfaciant; cum tamen non cujusvis ſit alibi dicta evolvere, & ea, qua in ſyſtemate opus eſt, attentione perpendere, non inconſultum ducimus totum illud diſcrimen, quod tanti in præſenti negotio momenti eſt, exemplo aliquo obvio, ſed manifeſto, illuſtrare. Iridem ſubinde in cœlo pluvio comparere & colore quintuplici variegatam eſſe norunt omnes, qui ferente ita occaſione oculos in cœlum attollentes eam non obiter contueri dignati ſunt. Philoſophus in cauſam phænomeni inquirens accuratius determinat, quando iris comparere debeat, & rationem reddit, cur his, non aliis coloribus ſuperbiat. Mathematicus denique metitur altitudinem arcus & locum centri ejus, nec non altitudinem ſolis ſupra horizontem ad illi-

(e) locis modo citatis.

Digitized by Google

illius geneſin requiſitam, & quantitatem anguli, ſub quo radii guttulas pluviæ ingrediuntur, ut refractione in colores mutentur, determinat. Ecquis vero non videt cognitionem vulgi hic differre a cognitione Phyſici, & cognitionem utriusque a cognitione Mathematici. Quamvis autem exemplum ex Phyſica fuerit deſumtum aut ex numero phænomenorum naturalium, quæ parum nos tangere videntur, petitum; nihil tamen nominaveris, in cujus cognitione idem diſcrimen notare non licuerit, utut non ubique in noſtra poſitum poteſtate deprehendamus omnem objecti ideam triplici iſta cognitione exhaurire: neque enim jam quærimus, quænam in noſtra poteſtate ſit cognitio, ſed quam quodcunque cognoſcibile involvat, & intellectui potenti offerat.

§. 6. Si determinationes ſubjecti nobis fuerint perſpectæ, ſub quibus prædicatum eidem tribuitur, ex iis tamen directe idem deducere minime valeamus, rationem confuſe percipimus, ob quam prædicatum convenit ſuo ſubjecto. Oſtendi enim in philoſo- *Ratio quando confuſe, quando diſtincte cognoſcatur.*

phia prima, in qua omnis cognitionis ſolidæ fundamenta prima & genuina ponuntur (f), in iſtis determinationibus contineri rationem, ob quam prædicatum ſubjecto ſuo convenit. Quodſi vero ex determinationibus ſubjecti demonſtrare valeamus, quod prædicatum aliquod eidem tribui debeat; rationem diſtincte cognoſcimus, cur prædicatum ſubjecto ſit tribuendum.

Diſcrimen iſtud exemplis illuſtratur.

§. 7. Equidem clariſſimum eſt diſcrimen, quod inter confuſam & diſtinctam rationis cognitionem intercedit, dum modo principia noſtra logica & ontologica habueris perſpecta, quæ notiones terminorum ingrediuntur; ne tamen quicquam obſcuritatis relinquatur ceteris, quibus minime vacat illa ſibi reddere familiaria, exemplis nonnullis idem illuſtrare placet. Si quis novit in triangulo angulos ideo eſſe æquales, quia æqualia ſunt latera, etſi ex aſſumta laterum æqualitate directæ conſequentiæ filo angulorum æqualitatem deducere nequeat; is rationem nonniſi confuſe cognoſcit, cur in

(f) §. 130.

Digitized by Google

in triangulo æquilatero æquales ſint anguli. Enimvero ſi ex aſſumta laterum æqualitate angulorum æqualitatem directe demonſtret, quemadmodum in Geometriæ Elementis fieri ſolet; tum demum diſtincte cognoſcit rationem, cur in triangulo æquilatero æquales ſint anguli. Falluntur enim, qui ſibi perſuadent, a Geometris non genuinas adduci eorum, quæ affirmant, rationes, unde claritas naſcatur in ideis. Sed de his forſan alias ex inſtituto dicemus. Addamus nunc exempla alia, quæ magis ſunt ad plurimorum palatum. Qui experientia magiſtra didicit, ſi lapis aut corpus aliud quodcunque grave ex alto demittatur, motum ejus continuo accelerari; is rationem motus accelerati nonniſi confuſe cognoſcit. Quodſi vero ex eo, quod lapis aut corpus quodcunque grave ex alto decidat, directe demonſtret motum ejus continuo accelerari debere, tum demum rationem diſtincte cognoſcit atque clare perſpicit, cur motus continuo accelerari debeat. Similiter qui experientiæ fide novit, ſi hominem, cujus miſeriam intuemur,

amamus, ad miſericordiam nos permoveri; is rationem confuſe agnoſcit, cur miſericordia ejus tangamur, cujus miſeriam contuemur. Qui vero demonſtrat, quomodo fiat, ut alterius miſeria moveamur, dum eam intuemur, miſerum vero amamus; is demum rationem diſtincte cognoſcit, cur fieri poſſit, ut ad miſericordiam perducamur.

Qualis ſit philoſophiæ uſus in negotiis vitæ.

§. 8. Videmus adeo, quænam ſit cognitio philoſophica, & a quibus initiis ad faſtigium aſcendat. Agedum vero! contemplemur eam adhuc tantiſper, dum luculenter appareat, quo eam habitu indutam eſſe oporteat, ut ad vitam atque ad Remp. bene prudenterque agendam utilitatem afferat. Cum in opere Logico (g) uſum Logicæ in praxi vitæ traderemus; evidentiſſime evictum dedimus (h), omnis cognitionis acquiſitæ uſum in negotiis vitæ ad applicationem definitionum & propoſitionum redire. Quæ igitur ibidem in genere enunciantur; ea quoque ad cognitionem philoſophicam applicari debent. Ejusdem quoque non

(g) Sect. 6. c. 1. (h) §. 1212.

Digitized by Google

non alium concipere licet uſum in negotiis vitæ, niſi qui in applicatione definitionum ac propoſitionum conſiſtit. Omnes mentis operationes ad tres reducuntur claſſes, notionem, judicium atque diſcurſum. Ideo & in philoſophia non occurrunt niſi definitiones & propoſitiones una cum probationibus, quarum illæ notionibus reſpondent, quas ſolas primæ mentis operationi reſervamus, iſtæ judicia exhibent, hæ tandem propoſitionum veritatem palam faciunt. Probationum igitur non alius uſus eſt, quam ut aſſenſus judiciis diſcurſivis præbendus eliciatur, atque adeo earum in applicatione propoſitionum nullus eſt. Nil ergo reſtat in omni philoſophia, quod in negotiis vitæ applicari poſſit præter definitiones ac propoſitiones. Vnde colligitur, in philoſophia tradendas eſſe definitiones ac propoſitiones, quales ad caſus obvios applicare licet.

Modus applicandi doctrinam philoſophicam ad

§. 9. Videamus vero porro aliquanto propius; quomodo iſta applicatio fiat, ut inde dilucidius appareat, quales in philoſophia tradendæ ſint defi-

Digitized by Google

caſus vitæ humanæ. nes ac propoſitiones. Quando de rebus obviis judicamus, vel iisdem tribuimus, quæ in iis aut de iis obſervamus, vel quæ iis quidem inſunt, aut ineſſe poſſunt, obſervari tamen a nobis nequeunt. Iſta *judicia intuitiva*, haec *diſcurſiva* appellare ſoleo, propterea quod in his prædicatum ſubjecto tribuendum ratiocinando colligitur. Ad intuitiva judicia non opus eſt niſi attentione atque acumine ad pervidendum ac diſcernendum ea, quæ in rebus nobis objiciuntur; ad poſteriora rite formanda nunc definitionibus opus eſt, nunc propoſitionibus, quæ tanquam præmiſſæ ingrediuntur ſyllogiſmos, quibus ratiocinia conſtant. Ad res nimirum obvias attenti has vel iſtas notas iisdem ineſſe judicamus, hoc eſt, hanc vel iſtam iis competere definitionem affirmamus; unde beneficio definitionis colligimus, hoc vel iſtud eidem convenire definitum, hoc eſt, rem nobis in præſenti obviam ad hoc vel iſtud genus, hanc vel iſtam ſpeciem rerum pertinere, cui hoc vel iſtud nomen imponi ſolet. Quodſi jam conſtiterit,

quæ-

Digitized by Google

quænam generi vel ſpeciei datæ conveniant attributa, ſive abſolute, ſive ſub data quadam conditione eidem tribuenda, porro inde colligimus rei obviæ hoc ipſum prædicatum actu convenire, vel ſub data conditione convenire poſſe. Quodſi ergo rem eandem attentione perluſtrare pergas, atque conditionem præſentem eſſe intelligas; hinc porro inferre datur, rei obviæ iſtud quoque prædicatum actu convenire, quod ſub data conditione generi vel ſpeciei competere conſtat. Non abſimili modo pervenitur ad judicia diſcurſive negativa, in quibus de re obvia negatur, quod ad hoc vel iſtud genus, aut ad hanc vel iſtam ſpeciem referatur, quodque eidem hoc vel iſtud attributum abſolutum aut negativum conveniat. Hiſce continetur omnis cognitionis philoſophicæ ad caſus obvios applicatio, quatenus certa haberi poteſt: de probabilibus enim conjecturis, quibus haud raro opus eſt in negotiis vitæ humanæ, in præſente nobis ſermo non eſt. Trademus autem alias, quæ in hoc caſu uſui eſſe poſſunt, tum

quan-

quando olim ex inſtituto Logicam probabilium in formam artis ſumus redacturi, tum in his ipſis operis ſubſecivis, occaſione ita ferente.

Modus iſte exemplis illuſtratur. §. 10. Etſi ea, quæ modo diximus de doctrina philoſophica ad caſus vitæ humanæ applicanda, ſatis clara & perſpicua ſint, modo Logicæ noſtræ theoriam, quæ minimam operis partem conſtituit, vel primis labris deguſtaveris, ita ut potiora tantummodo de tribus mentis operationibus definitionum ope probe intellecta tibi familiaria reddideris; conſultum tamen judico, dicta exemplo illuſtrari, ut mentem noſtram aſſequantur vel ii, quibus ſeria attentione Logicæ theoriam perluſtrare non vacat. Sumamus vero exemplum facile, ne inde difficultates nectantur, quæ doctrinæ magis obſcurandæ, quam illuſtrandæ ſerviunt. Ponamus igitur nobis objici fontem ex ſaxis artificioſe cæſis conſtructum. Vbi latera numeramus, ex quibus perimeter conſtat, numero ſex deprehendimus; dum eadem menſura applicata metimur, ea inter ſe æqualia eſſe reperimus; angulos denique

que dum exploramus, eos itidem inter ſe æquales eſſe experimur. Conſtat igitur per ea, quæ intuitive cognoſcimus, aut a nobis cognoſci ſumimus (neque enim in analyſi præſentis cognitionis ad prima principia deſcendendum), perimetrum fontis conſtare ex ſex lineis rectis inter ſe æqualibus & ſub æqualibus angulis ſibi invicem junctis. Quamobrem ubi ex elementis Geometriæ ſuccurrit definitio, quod hexagonum regulare ſit figura plana ſex lineis rectis inter ſe æqualibus & ſub æqualibus angulis invicem junctis terminata; perimetrum fontis eſſe hexagoni regularis concludimus, vel quod perinde eſt, baſin fontis eſſe hexagonum regulare inferimus. Jam cum ex Geometria elementari porro conſtet, centrum hexagoni regularis inveniri, ſi ſuper latere triangulum æquilaterum erigatur; inde inferimus, centrum fontis determinari poſſe, ſi ad latus perimetri applicetur triangulum æquilaterum, cujus latus eidem æquale. Equidem exemplum ex Geometria petitum eſt, non ex philoſophia; in præſente tamen negotio philoſophico æquipollet.

let. Quodſi tamen non ſufficere videatur, agedum addamus alterum. Si Titius homicidium commiſit, ex circumſtantiis facti colligitur, quod idem ſciens ac volens commiſerit. Quamobrem ubi recordamur homicidium culpoſum definiri, quod a ſciente ac volente committatur; applicatione definitionis facta infertur, Titium commiſiſſe homicidium culpoſum. Quodſi jam porro conſtet de homicidio culpoſo, quod, qui id commiſit, ultimo ſupplicio ſit afficiendus; applicatione hujus propoſitionis facta infertur, Titium ultimo ſupplicio afficiendum eſſe. Exemplum hoc Philoſophiæ cum jure civili commune eſt; unde vel ex eodem apparet, quæ de philoſophiæ applicatione diximus, eadem quoque de applicando jure civili ad caſus obvios valere.

Quem in finem philoſophia diſcatur.

§. 11. Ipſa autem hac philoſophiæ applicatione docemur, quem in finem eandem addiſcere teneamur, nimirum ad formanda judicia diſcurſiva ex intuitivis, quæ caſus obvii nobis inſinuant. Nihil decernimus, nihil agimus, ubi judiciis diſcurſivis non ſit locus; immo

immo ubi noſtrum de rebus obviis judicium alteri exponimus, ut plurimum ratiocinando ad idem pervenimus. Ex propoſitione unica, quæ intuitivo cuidam judicio reſpondet, nulla infertur concluſio, qualis eſt omne judicium diſcurſivum: ſed duabus præmiſſis opus, quarum altera ex philoſophia petenda, quotiescunque de rebus ad forum ejus ſpectantibus agitur. Philoſophia igitur principia ratiocinandi generalia nobis ſuppeditare debet, quibus utimur tanquam propoſitione majore in ſyllogiſmo de re aliqua obvia, ex eo, quod in eadem perſpicimus, aut de eadem tanquam certum ſumimus, illaturi, quod obſervare non licet, aut in aſſumto non continetur. Neque vero putandum eſt rariſſimum ſic fore philoſophiæ uſum: qui enim ad animum revocaverit, quæ de cognitione philoſophica paulo ante attulimus, uſum philoſophiæ hinc longe ampliſſimum agnoſcet, propterea quod nihil detur, ſi ab iis diſceſſeris, quæ a Deo revelata ſanctiſſimæ noſtræ religionis fundamenta ſunt, quod cognitionem philoſophicam non admittit.

§. 12.

Habitus philoſophiæ ad vitam utilis.

§. 12. Ex eadem quoque applicatione philoſophiæ ad caſus in vita humana obvios clariſſime perſpicitur, quomodo philoſophia ſit concinnanda, ut uſum, quem intendimus, præſtare poſſit. Etenim in ea proſtare debent definitiones accuratæ generum atque ſpecierum, per quas res obviæ agnoſci, & ad ſua genera & ſpecies reduci poſſunt. Definitionibus jungendæ ſunt propoſitiones determinatæ, in quibus notio ſubjecti nec plura continet, nec pauciora, quam quæ ad determinandum prædicatum requiruntur, ſeu, quod eodem recidit, ſingulis generibus ſingulisque ſpeciebus ſua tribuenda ſunt prædicata, tum quæ iisdem abſolute conveniunt, aut ſolius vi definitionis, tum quæ ſub data demum conditione competunt, aut ſub determinationibus definitioni ſuperaddendis. Quodſi definitiones deficiant accuratæ eo quidem in caſu, ubi notiones claræ, ſed confuſæ rebus certo agnoſcendis & ab aliis accurate diſcernendis minime ſufficiunt, non modo impoſſibile eſt, ut res obviæ in omni caſu ſine errore ad genus vel ſpeciem ſuam revocentur, verum

Digitized by Google

verum etiam fieri nequit, ut, quæ generibus ac ſpeciebus conveniant prædicata, accurate determinetur, ne de rebus obviis judicaturi per errorem eadem tribuant, cui non conveniunt. Quomodo vero condantur definitiones ac propoſitiones tam præclari uſus, in opere noſtro Logico docuimus; non igitur hic repetenda ſunt, quæ ibidem legi poſſunt. Mathematici ſcientiam ampliſſimi uſus tradunt, quemadmodum attentos experientia docet, dudumque oſtenderunt alii, qui de uſu Matheſeos commentati ſunt. Si vero in rationem inquiſiveris, cur adeo certam habeat utilitatem, id definitionibus exaſciatis & propoſitionibus determinatis tribuendum eſſe agnoſces. Ex principiis autem, quæ de ente in genere in philoſophia prima propono, luce meridiana clarius liquet, philoſophiæ non repugnare, quod in Matheſi ſuſpicimus; ſed perinde in philoſophia ac in Matheſi prædicata ſubjecto tribuenda partim per definitionem, partim per determinationes eidem adjiciendas determinari. Fidem oculatam

faciet philoſophia prima, quæ proxime luci publicæ exponetur.

Quales eſſe debeant definitiones ad vitam utiles.

§. 13 Definitiones adeo philoſophicæ plura continere non debent, quam quæ rei conſtanter inſunt, nec tamen per ſe invicem determinantur, ita ut, ſi unum ineſſe ponamus, non tamen ideo alterum ſimiliter ineſſe debere intelligatur. Nec eædem pauciora continere debent, quam ea ſunt, quæ per ſe invicem non determinantur. Etenim per definitiones ideo, genera & ſpecies rerum arctis limitibus conſtringuntur, ut ſingulis tribui poſſint prædicata convenientia, hoc eſt, quæ per alia determinantur, quæ ſimul rebus inſunt, ſeu quæ iis poſitis ſimul ponuntur, cum ita demum propoſitiones, quas in philoſophia didicimus, ad caſus obvios applicare valeamus. Ex definitione nimirum intelligimus, quænam in re data ineſſe debeant, ut prædicatum aliquod abſolute vel etiam ſub data conditione tribui poſſit. Atque adeo patet, quænam rei ineſſe prius probandum ſit, quam eidem prædicatum aliquod tribui, vel affirmari poſſit, prædicatum aliquod conditionatum

natum eidem convenire poſſe. Exempla, quæ paulo ante (§. 10.) dedimus, palam loquuntur, quæ hic dicuntur. Ita in dato ibidem caſu pronunciaturus, Titium ultimo ſupplicio eſſe afficiendum, prius probare debet, quod homicidium commiſerit culpoſum. Probat autem eum commiſiſſe homicidium culpoſum, quod ſciens ac volens idem commiſerit, hoc eſt, quod de Titio affirmari queant, quæ in definitione homicidii culpoſi continentur.

§. 14. Ponamus vero definitiones pauciora continere, quam quæ ex iis, quæ rei conſtanter inſunt, per ſe invicem non determinantur; non eum amplius habebunt uſum, ut per eas intelligatur, rei propoſitæ hoc convenire prædicatum vel ſub data conditione convenire poſſe; neque enim accidit niſi caſu ut earum beneficio res obvias ad ſua genera ſuamque ſpeciem revocemus, & tam facile in genere vel ſpecie determinanda aberramus, quam veritatem aſſequimur. Quodſi autem in determinando genere vel ſpecie rei aberraveris; prædicata eidem tribues, *Definitionum mancarum incommoda.*

Digitized by Google

quæ minime conveniunt, & fieri poſſe affirmabis, quæ a veritate abhorrent. Rationem facile capient, qui modum prædicandi ex opere noſtro logico perſpexerunt, & clarius percipient ii, quibus principia noſtra ontologica fuerint explorata. Etenim prædicatum, quod rei abſolute convenit, tum demum convenire intelligitur, ubi ea adfuerint ſingula, quæ ſimul conſtanter inſunt, nec tamen per alia, quæ ſimul inſunt, adeoque nec per ſe invicem determinantur; nec prædicata cetera conditionata convenire poſſe concipiuntur, niſi iisdem poſitis. Utrumque ex notione entis in philoſophia prima evoluta manifeſto elucet, ut lucem meridianam negaret, qui iſtud in dubium vocare auderet.

Definitionum abundantium incommoda. §. 15. Quodſi definitiones plura contineant iis, quam quæ in rebus per ſe invicem non determinantur; erunt omnino inter ea, quæ per cetera, quæ definitionem una ingrediuntur, determinantur, hoc eſt, quæ rei neceſſario inſunt, ſi cetera inſint. Oſtendi vero jam in opere logico (i), defini-

(i) §. 836.

finitionum applicationem reddi prolixiorem; nec idem difficulter ex modo dictis colligitur. Etenim rem obviam vi definitionis ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reducturus probare tenetur, eidem ſingula convenire, quæ in definitione continentur. Sed in definitione continentur, quæ rei neceſſario inſunt, ſi cetera inſint. Inanem igitur operam ſumis, dum inquiris, num ea rei obviæ inſint. Enimvero alterum hinc incommodum enaſcitur, quod majoris momenti eſt. Cum enim genus ac ſpecies rei non agnoſcatur, niſi ubi conſtiterit, ſingula, quæ definitionem ingrediuntur, eidem convenire. Quodſi ergo contingat nos probare non poſſe, illud, quod ſuperfluum eſt, rei convenire, genus rei, vel ſpeciem ignorari a nobis exiſtimamus, etſi idem vel eandem perſpiciamus; id quod profecto idem eſt, ac apertis oculis non videre. Quemadmodum itaque definitiones exactæ res obvias lumine ſuo colluſtrant, ut eas videamus; ita mancæ efficiunt, ut nobis videre videamur, ubi cœcutimus; abundantes ex adverſo, ut ad lucem meridianam caligemus.

Propoſitiones quales eſſe debeant.

§. 16. Definitionibus rite conſtitutis propoſitiones quoque determinatas condere licet, modo acumine polleas, & ratiocinandi habitu fueris inſtructus, quo ſine arduum adeo opus non perficitur. Ex philoſophia prima, quæ veros omnis cognitionis humanæ fontes recludit, clariſſime apparet, prædicatum omne, quod rei cuidam ratiocinando tribuitur, talia præſupponere, quæ invicem iuncta ſibi mutuo equidem minime repugnant, non tamen per ſe invicem determinantur, ſed per quæ ſimul ſumta ipſum illud prædicatum determinatur. Loquuntur idem exempla, notionum univerſalium examina, cum univerſalia non exiſtant niſi in ſingularibus (k). Si lapis ex alto demiſſus ingentem impetum acquirit; impetus iſte totus, quantus eſt, determinatur per gravitatem lapidis & ejus per tantam altitudinem lapſum. Ut igitur impetum iſtum lapidi tribuere poſſis, ſupponis & ejus gravitatem & lapſum per datam quandam altitudinem. Gravitas vero lapidis & lapſus per altitudinem datam talia

(k) §. 56. Log.

talia ſunt, quorum poſito uno, non ponitur alterum, ſeu quæ non neceſſario ſimul ſunt, ſed quorum unum potius absque altero eſſe poteſt. Et ea notionem ſubjecti abſolvunt in propoſitionibus determinatis, quas ſolas eſſe ad vitam utiles cum alibi oſtendimus (l), tum ex ipſo, quo applicantur, modo evidentiſſime perſpicitur (§. 10.). Cum definitiones accuratæ non contineant, niſi quæ ſibi mutuo non repugnant, nec tamen per ſe invicem determinantur (§. 13.), in numero notionum ſubjecti ſunt, quæ alteram propoſitionum determinatarum partem conſtituunt; non tamen ſolæ eandem abſolvunt. Etenim iſtis ſuperaccedere poſſunt determinationes aliæ, quæ diverſum ſubjecti vi definitionis determinati ſtatum determinant, & ſic quaſi novam quandam ſpeciem accidentalem, vel novum quoddam genus accidentale efficiunt. Atque hinc duplex enaſcitur propoſitionum ſpecies, quarum altera categorica a Logicis dici ſolet, altera vero hypothetica. In

(l) in Diſcurſu præliminari Logicæ præmiſſo (§. 138.).

illis ſubjecto tribuuntur prædicata conſtantia & neceſſaria; in his mutabilia & contingentia. Illis locus eſt, quam primum oſtenderis, rei obviæ convenire definitionem; hæc vero eidem tum demum tribui poſſe agnoſcis, ubi præter definitionem aliæ adhuc adſunt determinationes, ſive extrinſecæ, ſive intrinſecæ mutabiles. Obiter monemus manifeſtum hinc eſſe diſcrimen, quod inter definitiones & notiones ſubjecti in propoſitionibus hypotheticis, nec non inter notiones ſubjecti atque definitiones & eas notiones intercedit, quæ judiciis ſeu propoſitionibus reſpondent. Notio ſubjecti in genere conſtituitur per talia, quæ ſimul eſſe poſſunt, non tamen neceſſario ſimul ſunt, ſeu quæ ſibi mutuo non repugnant, non tamen per ſe invicem determinantur, ſi philoſophice magis loqui volueris. Definitio continet ea, quæ enti conſtanter inſunt, quæ tamen per alia, quæ ſimul inſunt, determinantur; notio autem ſubjecti, ſeu determinatio ejus in propoſitionibus hypotheticis, continet talia, quæ ſimul eſſe poſſunt, nec tamen

men

Digitized by Google

men per ſe invicem determinantur, neque re ſalva conſtanter ſimul ſunt. Propoſitioni denique reſpondens notio præter ea, quæ ſimul eſſe poſſunt, non tamen per ſe invicem determinantur, continet adhuc aliud quid, ſeu nonnulla alia, quæ per illa ſimul determinantur. Qui hoc diſcrimen perpenderit, ei tandem manifeſtum erit, cur in philoſophia & diſciplinis ceteris omnibus omnia tandem redigantur ad definitiones & propoſitiones categoricas atque hypotheticas. Idem agnoſcet, quandonam ſcientia utilis tradatur, & utilem ab inutili facile diſcernet. Alia multa hinc pendent, ſed quæ explicari non eſt præſentis inſtituti. Unicum addo, hanc animo ideam firmiter infigendam eſſe, & eam eidem conſtanter obverſari debere, ubi non ſine luce in theoria Logicæ verſari volueris, quam in opere noſtro logico praxi ampliſſimæ præmittimus. Etenim hunc quoque nobis ſcopum in his horis ſubſecivis præfiximus, ut lectorem ad legenda opera noſtra philoſophica præparemus, dum dogmatum in iis traditorum uſum

commonſtramus, etſi ejus compotes fieri poſſint, qui eadem non legerunt.

Autoris ſcopus in emendanda philoſophia.

§. 17. Nemo ſane, qui hactenus dicta perpendit, in dubium revocabit, tunc demum philoſophiam ad vitam utilem fore, ubi iſtiusmodi definitiones ac propoſitiones in ea tradentur, quales nos deſideramus. Neque adeo mirum eſt, quod, qui communi more philoſophantur, vix alia offerant, quam quæ in ſpem futuræ oblivionis addiſcuntur, aut ventoſitatis inanis pabulum præbent; quo ipſo omnis philoſophia in contemtum adducta eſt. Quamobrem cum a contemtu eandem liberare mihi propoſuiſſem, eam utilem effecturus id mihi agendum eſſe duxi, ut intimas rerum rationes ſcrutatus definitiones exactas & propoſitiones determinatas conderem. Hic ſcopus eſt, ad quem contendo veritatem philoſophicam in ſyſtema harmonicum redacturus, quod olim emendabit & locupletabit ſalutis generis humani ſtudioſa poſteritas. Diverſum adeo molior, quam quod *Leibnitio*, viro ſummo, propoſitum fuerat. Is cum acumine alios antecelleret, & in pro-

Digitized by Google

profundis rimandis non infelix verſaretur, nodos illos difficiles ſolvere conabatur, qui omni ævo vel excelſa ingenia confuderant, de commercio inter mentem & corpus atque primis principiis rerum. Unde enatum ipſi eſt decantatum hodie ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ & monadum theoria reſuſcitata. Syſtemati harmoniæ præſtabilitæ inter hypotheſes ceteras palmam tribuo; ſed cum idem hypotheſibus philoſophicis annumerem, eo etiam inſtar principii ad alia demonſtranda non utor, ita ut, cum nuper criminarentur adverſarii, quaſi omnem philoſophiam eidem ſyſtemati ſuperſtruxiſſem, toties provocati ne unicum quidem per omnem philoſophiam dogma allegare potuerint, in quo ſtabiliendo tanquam principio hypotheſi illa uſus eſſem. Monadologiam *Leibnitii* ob cauſas graves meam non feci. Quæ vero de ſimplicibus in genere trado, ea ſunt, quæ ab anima noſtra tanquam genus a ſpecie abſtrahuntur, & quibus ex parte etiam tanquam principiis dudum uſi ſunt philoſophi de ortu animæ diſputantes; id

quod

Digitized by Google

quod ex philoſophia prima ipſis oculorum judicio manifeſtum eſt, quam nunc latino idiomate pleniorem effeci. Ego ſublimia non ſperno, ubi ſcopo meo conducunt; ſed cum ad utilitatem philoſophari conſtituerim, non ſola ſublimitate ſingula metior. Quærenda utilia primum ſunt; utilia autem quærentibus ſubinde haud vulgari acumine opus eſt ad communia pervidenda, ut utilia fiant, & in re obvia inexpectata quædam profunditas ſeſe offert, ſi ad ulteriora inde proficere ſtuduerint. Quoniam vero philoſophia ad vitam utilis reddi poteſt, etiamſi nodi iſti difficiles de commercio inter mentem & corpus atque primis rerum principiis minime fuerint ſoluti; per me in iis ſolvendis quilibet ingenio ſuo abundet, quaſcunque etiam hypotheſes ea fini inventas damnet: nihil inde philoſophia mea vel adjumenti, vel detrimenti capit. Sed quam alii ſibi arrogant ſentiendi libertatem, eadem & nos frui permittant, dum hypotheſibus juſtum pretium tribuimus, & ad eos ipſas uſus adaptamus, quos ab hypotheſibus ſperare licet.

Digitized by Google

cet. Eſſe enim & hypotheſibus ſuos uſus, eosque præclaros, in his ipſis horis ſubſecivis docebimus. Qui noſtra methodo philoſophantur, ſua unumquodque laude exornant, etſi non omnem in idem temere conferant, nec id contemnunt, a quo laudem alienam removent. Unde hunc quoque nobis fructum a labore noſtro pollicemur, ut aliquando æquiores fiant homines in aliorum meritis dijudicandis, quorum nunc judicia deproperata plurimum amori vel odio acceptum ferunt. Evidenter enim alio loco demonſtraturi ſumus, quod, deficientibus rationibus intrinſecis aſſenſus, ad extrinſecas confugiant homines, nec animi paſſionibus multus eſt locus, a quibus ille noſtra philoſophandi methodo liberatur.

§. 18. Habitus philoſophiæ ad vitam utilis, quem hactenus delineavimus, eſt fructus notionis entis, quam in philoſophia prima evolvimus, & aliorum nonnullorum principiorum ibidem ſtabilitorum. Etſi enim Mathematici, inprimis Geometræ, eundem Matheſi, Geometræ præſertim, dudum

Quomodo autori habitus philoſophiæ ad vitam utilis innotuerit.

dum induerint; non tamen eos imitati ad philoſophiam transferimus, quod ipſis in Matheſi profuiſſe comperti ſumus: illas enim imitationes quamvis promiſcue non rejiciamus, iis tamen locum non concedimus, niſi ubi ex rationibus intrinſecis deducere non datur, quod per illas obtinetur. Et profecto habitum Matheſeos eum eſſe, qualem philoſophiæ convenire & in diſcurſu præliminari, quem Logicæ præmiſimus, demonſtravimus, & hic alia ratione confirmavimus, vix adeo clare perſpiciet, qui perſpicillis noſtris ontologicis non utitur. Immo per noſtra demum principia ontologica intelligitur, omnem omnino cognitionem humanam ita comparatam eſſe debere, quæ ad uſum vitæ transferenda. Quæ igitur de philoſophia pro ratione inſtituti noſtri præcepimus, ea ubivis notanda ſunt, ubi olim profutura diſcenda proponuntur. Præterea qui philoſophiæ ad vitam utilis habitum nobiſcum ex notione entis veræ Ontologiæ propria derivat, aliiſque principiis ontologicis animum imbutum tenet; is abunde convictus

eſt,

Digitized by Google

eſt, definitionibus determinatisque propoſitionibus, quales requirimus, omnem penitus entis cognitionem exhauriri, conſequenter certus eſt, ſe ad futuros caſus, quos ſibi obvios fieri poſſe ſuſpicatur, bene præparatum eſſe. Etenim in Ontologia docemus, eſſentiam entis conſtitui per ea, quæ ſibi mutuo non repugnant, nec tamen per ſe invicem, aut alia, quæ ſimul inſunt, determinantur; modum, quo admiſſis iſtiusmodi eſſentialibus ens fieri poſſe concipitur, a priori docere non tantum, quod illa ſibi mutuo non repugnent, verum etiam quod enti cuidam determinando ſufficiant; per eſſentialia & genera, & ſpecies rerum conſtitui; poſitis eſſentialibus poni ſimul attributa cum communia, quæ generi conveniunt, tum propria, quæ ſunt ſpeciei; iisdem vero poſitis modos tantummodo poni potentia ſive proxima, ſive remota, non autem actu; quamobrem ut actu ponantur, eſſentialibus jungendas inſuper eſſe determinationes alias ſive intrinſecas, qui ſunt modi actuales, ſive extrinſecas, ut ſic numerus non repugnantium, ſed per ſe invicem minime

nime determinabilium augeatur pro determinando prædicato. Suppoſitis hiſce, quæ ad notionem entis in genere ſpectant, etſi hactenus a philoſophis non diſtincte fuerint explicata, qui philoſophiam primam vel prorſus rejecere, vel nimis perfunctorie pertractarunt, patet, definitiones nominales conſtitui tam generum, quam ſpecierum per eſſentialia, & geneſi rerum comprobari poſſibilitatem illarum a priori; in propoſitionibus autem, generibus atque ſpeciebus ſua attribui attributa & modos, attributa nempe & modi quoad potentiam in propoſitionibus categoricis, modi vero actuales in hypotheticis. Definitionibus adeo & propoſitionibus determinatis omnis cognitio rerum exhauritur: quod enim relationes rerum mutuas attinet, eæ modis aſſimilantur, & prædicata propoſitionum hypotheticarum conſtituunt. Certitudo autem, quæ eventum infallibili fiducia in dato caſu ſperari jubet, a nexu inter determinans & determinatum neceſſario proficiſcitur, quem in Ontologia evicimus. Talia opportune

Digitized by Google

tune moneri exiſtimo, ne quis ſibi perſuadeat philoſophiam primam ob Ontologiæ nomen in contemtum adductam eſſe ſteriles Scholæ nugas; quæ prudenter eliminatæ male in ſcholas poſtliminio introducantur, cum tamen ſine hac luce in diſciplinis ceteris tenebras prorſus diſpellere non liceat.

§. 19. Antequam vero hinc diſcedamus, ad uſum quoque unum alterumve transferenda ſunt, quæ de habitu philoſophiæ ad publicam privatamque utilitatem aptæ tradidimus, ut vel hoc ipſo exemplo confirmemus, nos non tradere, quæ non præſentiſſimum habeant uſum. Habent hic lapidem Lydium diſcentes citra fallaciam dijudicaturi, num diſcant olim ſibi profutura. Etenim diſciplinæ ipſis offerunt definitiones ac propoſitiones determinatas, quibus utantur tanquam propoſitionibus majoribus in ratiociniis pragmaticis, de rebus olim ſibi obviis judicia limata formaturi. Quodſi ergo ad animum tibi revoces vitæ genus, quod olim amplecti decreviſti, atque negotia ad iſtud ſpectantia cogites; haud multo labore *Lapis Lydius diſcendorum.*

opus erit, ubi dijudicare volueris, num, quæ in diſciplina quadam data tradun-tur, iisdem reſpondeant, vel ad ea pe-nitus intelligenda conducant, quæ iis proxime reſpondent. Ita qui olim cauſas civium privatas in foro perora-re, vel de iis ſententiam ferre debet, cau-ſarum Patronum acturus vel judicis munere functurus; is leges civiles ad facta applicandi habitu olim polleat neceſſe eſt. Legum igitur civilium notitia opus habet, nec iis commode caret adminiculis ex variis philoſo-phiæ noſtra methodo pertractatæ par-tibus petendis, ſine quibus illarum tractatio nonniſi ſuperficiaria eſt at-que confuſa, applicationis difficilis, dubiæ atque fallacis parens, ſummum jus in ſummam injuriam ſæpiſſime con-vertens, & cauſidicorum levitati tech-nas ſubminiſtrans. Ea porro tractare debet ſtudia, quibus animus acuitur & obfirmatur, ut & vera videat, & ſe-quatur a temeritate ac levitate procul remotus, cum ea animi cultura, ne qui-dem cum ſolida, diſtincta & ordinata juris civilis tractatione, nedum cum ſuperficiaria, confuſa & inordinata con-

Digitized by Google

conjungatur. Qui aliorum negotiorum cauſa Reip. adminiſtrandæ olim admovendus, ei legum civilium, quibus privatorum utilitati conſulitur, notitia ſola non ſufficit, cum ad judicia pragmatica formanda peculiari opus ſit theoria a philoſopho petenda, qui muneris ſui partes omnes pro virili adimplere ſtudet. De vana enim, quæ plurimorum animos obſedit, perſuaſione, quaſi philoſophia tantummodo ſerviat Facultatibus vulgo ſic dictis ſuperioribus, non vero ipſa tradat ad felicitatem generis humani eruditorum opera promovendam apprime neceſſaria, & ad varias calamitates], de quibus tot extant hominum querelæ, arcendas perapta, quæ a ceteris Facultatibus ultra terminos iisdem præſtitutos vane extendendis fruſtra expectes, dicam alias, quæ acutioribus per antecedentia manifeſta ſunt, & experientia optima rerum magiſtra comprobantur.

§. 20. Latet in iis, quæ de habitu philoſophiæ ad publicam privatamque utilitatem aptæ dicta ſunt, etiam lapis Lydius docentium, quo utiliter utuntur *Lapis Lydius docentium.*

tum illi, qui munus docendi ambiunt, tum qui eidem admoti certi eſſe geſtiunt, num ei ſatisfaciant, tum denique omnes, quorum intereſt dignoſcere docentes vel docentium numero adſcribendos. Cum enim diſcentes ex ore docentium hauriant doctrinam olim profuturam, olim vero profutura non ſit, quemadmodum abunde oſtendimus, niſi quæ definitionibus exaſciatis & propoſitionibus determinatis continetur; is demum muneri docendi ſatisfacit, qui ad definitiones ac propoſitiones iſtiusmodi revocat doctrinas, in quibus explicandis verſatur, ut memoriæ mandanda non modo intelligant, & veritatem eorum perſpiciant, verum etiam diſtincte ac ordinate comprehendant diſcentes. Sed paucis multa dicuntur, quibus penitus intelligendis plura inſerviunt, quam quæ hic commode exponi poſſunt. Vtinam vero & docentes ipſimet, & illi, qui eos ad docendum admovent, hoc lapide Lydio uterentur! quantum enim inde commodum in Remp. & univerſum genus humanum ſit redundaturum, alibi apertius dicemus. Quamvis

Digitized by Google

vis autem multa adhuc utilia corollaria practica ex notione habitus philoſophiæ ad vitam utilis deduci poterant; hic tamen nobis ſubſiſtendum; illa afferemus, cum de iis vel in his ipſis horis ſubſecivis alia vice ex inſtituto dicendi occaſio oblata fuerit.

II.

De notione juris naturæ, gentium et civilis juxta l. 1. §. 3. & l. 9. ff. de Juſtitia & Jure.

§. 1.

Logicum noſtrum opus in molem excrevit non propter theoriam, quæ arctis admodum limitibus continetur, præſertim ſi ea ſepoſueris, quæ propoſitionibus demonſtrandis & illuſtrandis inſerviunt, ac vulgo ex iſtiusmodi ſcriptis prorſus exulant; ſed propter praxin ampliſſimam eidem adjectam, quam tamen plurium adhuc incrementorum eſſe capacem non diffitemur. Etenim cum nobis conſtitutum ſit, tradere philoſophiam ad publicam privatamque utilitatem a- *Quid Autori propoſitum ſit.*

ptam, cujus interiorem rationem modo uberius expoſuimus; Logica quoque noſtra multiplicem ſui uſum ſolidioris doctrinæ alumnis afferre debebat. Tantum igitur abeſt, ut nobis perſuadeamus, nos in eo peccaſſe, quod tam multiplicem Logicæ oſtenderimus uſum non ſine maximo damno Reip. litterariæ vulgo neglectum, ut potius nos operæ pretium facturos exiſtimemus, ſi in his ipſis horis ſubſecivis ſubinde addamus, quæ ad praxin Logicæ amplificandam faciunt. Ne vero ipſa Logicæ praxis ſterilitatis ab iis accuſetur, quorum vires ſuperat; non inconſultum ducimus illuſtribus ſubinde ſpeciminibus oſtendere, quantum valeant regulæ, modo valeant vires. Ad jus Romanum penitus intelligendum haud parum momenti adfert diſtincta explicatio notionum juris naturæ, gentium & civilis, quibus uſi ſunt ICti Romani, non quas unusquisque ſibimet ipſe format. Cum enim in definitionibus nominalibus condendis etiam aliquid relictum ſit arbitrio noſtro; accidit hinc, ut verborum jura cum rerum immutabili eſſentia

Digitized by Google

ſentia confundentes notiones alienas in Autorum ſcripta invehant & ideo abſurditatum & contradictionum eos poſtulent, quas imprudentia ipſorum peperit ex defectu Logicæ vel utentis, vel docentis & utentis ſimul prognata. Videamus igitur, quid poſſit Logica noſtra in eruendis notionibus diſtinctis juris naturæ, gentium & civilis Ictorum Romanorum.

§. 2. Definitio Juris naturæ eſt *Vlpiani*, quæ l. 1. §. 3. ff. *de Juſtitia & Jure* legitur. *Jus naturale* eſt, inquit, quod natura omnia animalia docuit. Definitio juris Gentium & civilis eſt *Gaji*, quæ l. 6. *tit. eod.* extat; *Jus Gentium* eſt, inquit, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit; *Jus* vero *civile* eſt, quod quisque populus ipſe ſibi conſtituit. Easdem definitiones Inſtitutionibus inſeruit *Tribonianus* (a), quemadmodum in vulgus notum eſt. Noſtrum non eſt diſquirere, quid de his definitionibus diſputent Juris Romani interpretes; ſed inquirere in notiones, quæ terminis *juris naturæ*, *Gentium* & *civilis* ex *Definitiones juris naturæ, gentium & civilis in jure Romano.*

C 4 men-

(a) pr. & §. 1. de Jur. nat. gent. & civ.

mente *Ulpiani* atque *Gaji* reſpondeant, ut appareat earum uſus in interpretando Jure Romano, ne erroris redarguantur, quæ veritati conſona ſunt.

Quænam regula Logica in interpretandis illis ſit utendum.

§. 3. *Ulpianus* non declarat modum, quo natura aliquid animalia docet. Lectori igitur ignaro, quamnam hiſce verbis notionem jungere debeat, definitio *Ulpiani* obſcura eſt, nec ſenſus ejus eidem pervius, quoniam tunc demum verba alterius intelligimus, ubi eas cum ejus verbis jungimus notiones, quæ ipſius animo obverſabantur, cum eadem proferret. Quamdiu igitur ignoras, quomodo natura aliquid animalia doceat; tamdiu etiam vi hujus definitionis judicare nequis, quidnam ex mente *Ulpiani*, conſequenter ſecundum notionem juris naturalis in Jure Romano receptam ad jus naturæ referre debeas. Idem obtinet in definitione juris Gentium, quam dedit *Gajus.* Neque enim *Gajus* docet, quænam ſit illa ratio naturalis, quæ jus aliquod univerſale inter homines conſtituit a jure naturali diverſum. Lectori igitur ignaro, quamnam

Digitized by Google

nam termino rationis naturalis hic jungere debeat notionem, definitio *Gaji* obſcura eſt, nec ea utetur ad ea, quæ ſunt juris Gentium juxta notionem in jure Romano receptam, in dato caſu ab iis diſtinguenda, quæ juris naturalis ſunt vel civilis. Et quamvis definitio juris civilis plana & perſpicua videatur; quatenus tamen jus civile juri naturali & gentium opponitur, tanquam jus iis contradiſtinctum & ea ſuperaddens, quæ jure naturali & gentium non continentur; ipſa quoque aliquid obſcuritatis a definitionibus juris naturæ & gentium trahit, quatenus illud demum juris civilis eſt, quod non eſt juris naturæ ac gentium, cum non ſufficiat ex ignorantia aliquid pro jure civili haberi, quod vel naturalis eſt, vel juris gentium. Quoniam ergo *Ulpianus* & *Gajus* in definitionibus ſuis utuntur verbis, quæ non definiunt; eæ cum verbis ipſorum jungendæ ſunt notiones, quas vel exempla in medium allata, vel etiam prædicata juri naturali, gentium & civili tributa inſinuant. Ita enim ſuadet regula,

 quem

quam in præſenti caſu præſcribit Logica noſtra (c).

Principia notioni juris naturalis Vlpiani inveſtigandæ inſervientia.

§. 4. Quod igitur jus naturæ attinet, *Vlpianus* affirmat, jus iſtud non humani generis proprium eſſe, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, avium quoque commune eſſe. Hinc deſcendere maris atque fœminæ conjunctionem, hinc liberorum procreationem, hinc educationem. Nos videre, quod cetera quoque animalia, feræ etiam, iſtius juris peritia cenſeantur. Dicuntur præterea naturalia jura divina quadam providentia conſtituta, ſemperque firma & immutabilia (d). Patet itaque eam formandam eſſe juris naturalis notionem, ut per eam determinetur iſtud actionum genus, quod homini cum animantibus commune eſt, & ex qua demonſtrari poſſit, jus iſtud in ſe immutabile eſſe. Tribuimus enim rebus prædicata, quæ notioni earum animis noſtris obverſanti conformia ſunt, quamdiu a veritate non aberramus. Quamdiu igitur nulla cogit

(c) §. 920. (d) §. 11. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.

git neceſſitas, ut alteri errorem imputemus, tamdiu verba ejus dubiæ interpretationis ita explicanda ſunt, ut nullus ſit inter ea nec a rebus diſſenſus. Nihil enim frequentius eſt, quam ut male eloquamur, quæ bene cogitamus; nec adeo facile eſt, mentem ſuam adeo accurate exprimere, ut nec plus, nec minus contineatur in verbis, quam in notione eis reſpondente.

§. 5. Quoniam igitur jus naturæ ex mente *Vlpiani* toti generi humano cum omnibus animalibus commune idemque immutabile eſſe debet (§. 4.); id utique, per quod determinatur, non minus in omni animantium quam in humano genere conſtanter deprehendatur neceſſe eſt. Id omnium evidentiſſime ex contrario apparet. Sit enim ratio determinans hujus juris non in volatilibus; jus ergo iſtud non amplius aves tanget; id quod tamen aſſerto *Vlpiani* repugnat. Ponamus rationem iſtam abeſſe poſſe, ſalva hominis eſſentia, vel ſalva eſſentia animalis cujuscunque. Non ergo amplius erit immutabile. Ex generalibus enim principiis ontologicis conſtat, ſub-

Quænam ex principiis iſtis conſequantur.

ſublato determinante tolli etiam iſtud, quod per idem determinatur. Quod immutabile eſt, illud in ſe, ſeu abſolute, neceſſarium eſt. Quod vero abſolute neceſſarium eſt, & per aliud determinatur, id ſane determinari nequit, niſi per iſtiusmodi quid, quod & ipſum abſolute neceſſarium eſt. Concludamus itaque, id, quod ex mente *Vlpiani* determinat jus naturæ, eſſe aliquid abſolute neceſſarium, quod homini cum omni animali commune eſt. Quamobrem ſi inquiramus, quidnam illud ſit, quod in homine & omni animante bruto abſolute neceſſarium, ac in omnibus unum idemque eſt; non amplius obſcurum erit, quodnam ſit illud jus, quod natura omnia animalia docuit, & cujus peritia bruta perinde ac homines cenſentur. Nemo miretur, nos ad notiones philoſophiæ primæ confugere, ubi via analytica notionem juris naturalis eruere decrevimus, quæ fuit olim Ictorum Romanorum: quando enim Artem inveniendi tradituri ſumus, evidentiſſime demonſtrabimus, notiones iſtas abſtractas mentem dirigere in omni verita-

Digitized by Google

ſitatis inveſtigatione. Neque alia de cauſa philoſophiæ primæ emendandæ ac luce, qua hactenus deſtituta fuit, colluſtrandæ operam navamus, quam quod ſine ejus ope ad ſolidam rerum cognitionem in ullo diſciplinarum genere perveniri detur. Attendant igitur, quotquot ſcientia juvat, quomodo hac duce ad ſcopum contendamus.

§. 6. Vidimus ab eo jus naturæ juxta ICtos Romanos eſſe derivandum, quod in ſe abſolute neceſſarium homini cum animantium brutorum toto genere commune eſt, ita ut, ſi idem auferas ab homine, is homo amplius non permaneat, ſi idem auferas ab animante quocunque, idem non amplius in animantium genere eſſe poſſit. In philoſophia prima docemur, id, quod homini & animali cuicunque adeo immutabiliter inhæret, eſſe eſſentiam ejus una cum attributis, quam & naturam vulgo vocant, etſi naturam ab eſſentia diſtingui accuratior philoſophandi methodus jubeat. Jus naturæ igitur illud eſt, quod per eſſentiam hominis & animalium brutorum, ſeu, quemadmo- *Notio juris naturalis ICtorum Romanorum.*

Digitized by Google

admodum vulgo loquimur, naturam eorundem communem determinatur, ita ut poſita eſſentia ſeu natura communi hominum & brutorum, hoc eſt, poſito eo, quod genus conſtituit, ſub quo homines & bruta tanquam totidem ſpecies continentur, & quod animalitatis nomine deſignatur, ponatur etiam iſtud jus, quod legis naturalis nomine veniens actiones ſic & non aliter determinari jubet. Videmus adeo veteres agnoviſſe, inter eſſentiam & naturam hominis atque animantium brutorum in univerſum eam intercedere ſimilitudinem, quæ ad genus commune conſtituendum ſufficit, & in hac notione generis communis contineri rationes, unde intelligatur, cur quædam actiones ita potius ſint determinandæ quam aliter, utut in phyſica ſeu naturali hominis poteſtate poſitum ſit, eas quoque contraria ratione determinare. Atque ita obtinuimus notionem maxime determinatam eamque diſtinctam juris naturæ, quod concepere ICti Romani, ita ut in dato quocunque caſu dijudicari poſſit, utrum determinatio actionis pendeat a jure natu-

Digitized by Google

naturali, nec ne. Cujus nimirum ratio ex eſſentia vel natura animali ſeu homini cum brutis communi reddi poteſt, id erit juris naturalis. Quamobrem *jus naturæ* in ſenſu *Vlpiani* definiri poteſt, quod ſit determinatio actionis ea, cujus ratio in natura animali ſeu eſſentia homini cum brutis communi continetur. Arctioribus omnino limitibus jus naturæ coarctarunt ICti Romani, quam a nobis hodie fieri ſolet; ſed cum definitiones nominales ſint arbitrariæ, integrum ipſis fuit juris naturalis nomine compellare, quodcunque ipſis viſum fuit, & temerarium ſe probat, qui eam, qua recte uſui ſunt, libertatem reprehendit. Sufficit, quod pro jure naturali non venditaverint, quod erat mere confictum, ſed quod dari nemo in dubium vocare valet. Quoniam itaque autorem unumquemque ſecundum eas notiones interpretari debemus, quæ menti ejus inhæſere, ubi eum intelligere nec ſenſum alienum eidem affingere velimus (e); juxta hanc quoque notionem interpretari debemus leges Romanas,

(e) Log. §. 903.

nas, in quibus juris naturalis mentio fit. Qui aliis notionibus utitur, is ſæpiſſime mentem Ictorum Romanorum perverter, neque adeo miretur, ubi in manifeſtos inciderit errores & opiniones abſurdas. Iniquus tamen eſt in hos juris antiſtites interpres juris, ſi iisdem imputat abſurda, quæ ſua in interpretando temeritas peperit. Nos autoribus, præſertim gravibus, intelligendis operam noſtram impendimus, ab iis autem reprehendendis adeo ſumus alieni, ut quemlibet ſenſu ſuo abundare permittamus, ubi quis veritati contrariam fovet ſententiam, veritatem propoſuiſſe contenti. Etſi autem notionem hanc juris naturalis ex datis in ipſo Jure ſeu *Ulpiani*, obſtetricantibus principiis æternæ ac immutabilis veritatis, via analytica deduxerimus, ut adeo methodi gnarus nullo modo dubitare poſſit, nos mentem *Ulpiani* fuiſſe conſecutos; non tamen prorſus inutile videtur, ſi porro oſtendamus, eſſe iſtud jus homini cum animalibus brutis proprium, & naturam idem omnia animalia docuiſſe, ut bruta quoque ejus peritia cenſeantur.

§ 7.

Digitized by Google

§. 7. Ratio ejus, quod eſt juris naturalis juxta ICtos Romanos, continetur in eſſentia hominis, quatenus ea ipſi eſt cum omni animantium genere communis (§. 6.). Quodſi logice idem efferre volueris, dicendum erit, rationem ejus, quod eſt juris naturalis ſecundum ICtos Romanos, contineri in notione generis, ſub quo homo & brutum quodcunque tanquam ſpecies continenter, conſequenter jus naturæ fluere ex notione generis, ad quod homo una cum omnibus brutis referuntur, & quod animalis nomine deſignarunt Scholaſtici. Quod vero generi convenit, id etiam convenit ſingulis ſpeciebus ſub genere iſto contentis; id quod magnum ratiocinandi principium eſt, quemadmodum jam olim annotavit *Ariſtoteles*, & nos in opere Logico abunde oſtendimus (f). Actiones igitur, quæ juris naturalis ſunt juxta *Vlpianum*, æque conveniunt brutis ac hominibus. Vnde patet, ex notione juris naturalis fluere, quod affirmat *Vlpianus*, eſſe idem jus hominum & brutorum commune. Ni-

Jus naturæ ſecundum ICtos Romanos cur hominum & brutorum commune.

(*Hor. ſubſ. 1729.*) D mirum

(f) §. 346. & ſeqq.

mirum actiones, de quibus diſponit jus naturæ ſecundum Ictos Romanos, cadunt perinde in bruta atque homines, & earum determinatio eadem in brutis atque hominibus eſſe debet. Quamobrem ſi quæſiveris, qualis eſſe debeat actionis determinatio, ut ſit juri naturali conformis; eadem utique eſt reſponſio, ſive de hominibus ſermo fuerit, ſive de brutis. Equidem bruta ex naturæ quadam neceſſitate faciunt, quod juri naturali conforme eſt; homines vero actiones easdem eidem convenienter determinant libere, cum a regula iſta & diſcedere poſſint, & ſæpiſſime diſcedant; attamen inde actionum regula diverſa non eſt ſive hominem ſpectes, ſive bruta, nec ratio regulæ alia eſt, quando de homine ſermo fuerit, quam ubi tibi res fuerit cum bruto. *Vlpianus* itaque &, qui cum eo ſentiunt, Icti Romani haudquaquam jus naturæ improprie ſumunt, dum idem commune hominum atque animalium jus appellant. Ejusdem nimirum juris, quod reſpectu hominum ſignificatu minime alieno jus dicitur, obſervantia etiam in

bruta

Digitized by Google

bruta cadit; ſit ita ex neceſſitate facere bruta, quod ex libertate facit homo. Et quamvis concedamus jus iſtud ſenſu minus proprio dici jus reſpectu brutorum; non tamen inde conficies, idem ideo improprie etiam dici reſpectu hominum, qui actiones ſuas illi & conformes & difformes determinare volent. Si quis præjudicio communi occœcatus evidentiam non perſpicit, qua hactenus dicta conſpicua ſunt; is ad exemplum animi aciem intendat. Inter exempla juris naturalis refert *Vlpianus* liberorum educationem. Juris adeo naturalis eſt, liberos a parentibus eſſe educandos. Legi huic ſatisfaciunt animantia bruta. Etenim ubi fœmella ſola educationi ſufficit, ex promiſcuo concubitu concipit; ubi vero ſola fœtus in lucem editos educare nequit, ſocietatem cum mare init, & tamdiu continuat, donec fuerit abſoluta educatio; ubi denique fœtus in lucem editus ſtatim ſibimetipſi ſufficit, fœmellæ, poſtquam ex concubitu promiſcuo conceperunt, ovula in loco congruo deponunt, ubi calore ſolis foveri, & fœtus inde excluſi

 pabu-

paculum ſibi conveniens extemplo reperire poſſunt. Exemplo nobis ſunt in caſu primo canes & quadrupedia alia; in ſecundo aves; in tertio erucæ. Quod igitur animalia quadrupedia, volatilia & reptilia naturæ quodam inſtinctu faciunt, cujus diſtinctam notionem alio loco alioque tempore ſumus traditur, id homo ex arbitratu ſuo actiones determinans perinde facere tenetur. Liberorum adeo educatio commune jus eſt hominum atque animalium quorumque, quæ in cælo, in terra & mari naſcuntur. Nec alia eſt notio educationis, quando ſumitur de volatilibus, de quadrupedibus & reptilibus atque de natatilibus, quam ubi de hominibus uſurpatur, etſi ad homines applicata alias pariat actiones, quam ubi ad bruta transfertur, quemadmodum per eandem notionem diverſæ brutorum actiones determinantur, pro diverſis eorundem ſpeciebus. Neque hic negligendum eſt, quod mox diſertius dicemus, ad jus gentium referri ſtylo Ictorum Romanorum, ubi in appli-

applicatione notionis educationis generali, quatenus homini cum brutis communis eſt, ſimul adſciſcuntur, quæ ſoli propria homini. Immo ubi notionem juris civilis explicaturi ſumus, manifeſtum erit in applicatione notionis ejusdem generalis educationis prodire poſſe, quæ ſunt legis civilis. Quoties nimirum de lege aliqua ex notionibus in jure Romano obviis judicandum eſt, toties ſeponendæ ſunt notiones aliorum aliæ, quæ non iisdem limitibus continentur. Quoniam enim definitiones nominales arbitrariæ ſunt, minime repugnat, ut eadem lex ſit juris naturalis juxta notionem noſtram, quæ juris gentium eſt juxta notiones JCtorum Romanorum, & tyronem in primis philoſophiæ principiis ſe probaret, qui hoc nomine *Vlpianum* & cum ipſo ſentientes erroris poſtulares. Res ipſa ideo non mutatur, & ſingula ejus eadem manent prædicata, quocunque tandem nomine compelletur. Verba a rebus non diſtinguentes in logomachias incidunt ingeniis non ſyſtematicis adamatas.

Quomodo natura jus naturæ animalia doceat.

§. 8. Eam reperimus notionem juris naturalis ex mente Ictorum Romanorum, ex qua ſua ſponte fluit, quod iidem affirmant, jus naturæ eſſe hominum & omnium animalium in univerſum commune. Sed ex eadem quoque conſequitur, naturam hoc jus omnia animalia docuiſſe, ut omnia in univerſum ejus peritia cenſeantur. Ratio juris naturalis vi illius in notione animalis continetur, atque adeo poſita animalitate ponitur etiam determinatio actionis. Quamobrem cum animalia bruta, ſicuti ratione, ita etiam libertate omni deſtituantur; ad actiones juri naturæ conformes per eſſentiam atque naturam ſuam determinantur, ut eas ex hujus neceſſitate perpetrent. Veteribus perſuaſum erat, quod nec a noſtra philoſophia abhorret, brutis eſſe animas ſenſitivas, quæ res in organa ſenſoria agentes percipiunt, & in quibus ſunt appetitus actionibus externis reſpondentes. Quemadmodum itaque actiones externæ ex mechaniſmo corporis, ita etiam appetitus iis convenientes ex perceptionibus animæ ſenſitivæ neceſſario conſequun-

Digitized by Google

ſequuntur. Sunt adeo bruta illarum actionum ſibi conſcia, & ex earum notitia, quæ iisdem naturalis eſt, conſequuntur appetitus. Vnde patet, quod peritia illius juris iisdem denegari non poſſit, & quod idem natura eadem doceat, quatenus illa ipſis naturalis eſt. Si quis rerum metaphyſicarum & phyſicarum fuerit ſatis gnarus; is nihil in hiſce abſurdi videt. Competit enim brutis aliqua juris illius notitia, & eadem ipſis naturalis eſt, ut non alia quam natura magiſtra utantur, etſi liberum ipſis non ſit, utrum ei convenienter actiones ſuas determinare velint, nec ne, ſed ex naturæ quadam neceſſitate eas ita determinent, non aliter, ideo nec præmii, nec pœnarum, neque etiam laudis ac vituperii capacia. Atque ita manifeſtum eſt, quodnam illud jus ſit, quod natura omnia animalia docuit, cujus peritia eadem cenſentur, & quod eorum atque hominum commune jus eſt. Eſt vero notitia iſta nonniſi confuſa, cum brutis non ſint niſi perceptiones confuſæ; homini e contrario rationis uſu pollenti diſtincta eſt; unde

ſi ad diſtinctam, quæ nobis eſt, notitiam animum advertimus, cenſentur eadem peritia juris, qua nos pollemus, cum ex actionibus eorum externis appareat, ac ſi eadem juris peritia inſtruerentur, qualis ea in hominem cadit.

An definitio juris naturæ Vlpiani *ſit regulis Logicæ conformis.*

§. 9. Non datur aliud jus præter illud, quod juris naturalis nomine venit Ictis Romanis, de quo prædicari poſſit, quod ſit hominum atque omnium animalium commune, quod natura idem omnia animalia docuerit, & quod animalia ejus peritia cenſeantur. Cum adeo hæc prædicata eidem propria ſint, & ei ſoli ac conſtanter competant, in eorum utique numerum referenda ſunt, quæ attributa vocamus. Quamobrem per ea jus naturæ arctis iſtis limitibus contentum, quibus id circumſcribunt Icti Romani, recte definitur: per unum enim attributorum propriorum rem definiri poſſe, alibi (g) demonſtravimus. Jus adeo naturæ in eo ſignificatu, qui penes Ictos Romanos obtinet, non invita Logica definitur per jus, quod natura omnia

(g) §. 175. Log.

omnia animalia docuit, vel quod eſt hominum atque omnium animalium commune. Per alterutrum enim horum prædicatorum jus iſtud ita determinatur, ut, qui principiis huic inſtituto ſufficientibus animum habuerit imbutum, & demonſtrandi habitu polluerit, ex illa definitione a priori deducere valeat, quod in ſenſu Ictorum Romanorum juris naturalis eſt. Ex attributo proprio a priori deduci poſſe omnia, quæ rei conveniunt, non ignorat, cui verioris philoſophiæ primæ principia fuerint perſpecta, quæ proxime luci publicæ expoſituri ſumus, neque etiam ignorant illi, qui diu multumque in Matheſi ita ſunt verſati, ut ad modum, quo unum ex altero a priori colligitur, attenderint.

§. 10. Equidem Icti Romani ignorabant principium illud juris, quod naturale appellabant, propterea quod illis cognitum non erat atque perſpectum, quidnam ſit ratio illa actionum determinatrix in notione generis homini atque brutis communi contenta, nec diſtincta in promptu erat notio illius modi, quo natura jus iſtud ani- *Vſus definitionis* Vlpiani *in inveſtigando jure naturæ.*

 malia

malia omnia docet, ut ejus peritia recte cenſeantur; hoc tamen non obſtante definitio eorum inſerviebat ad ea, quæ ſunt juris naturalis in recepto penes ipſos ſignificatu, a poſteriori invenienda. Sive enim ſumas, jus naturæ eſſe commune quoddam jus hominum atque animalium in univerſum omnium, ſive idem eſſe jus, quod natura omnia animalia docuit, ita ut ejus peritia cenſeantur, edentia actiones eidem conformes; ex utroque aſſumto colligitur, actiones, de quibus diſponit jus naturæ, ſaltem in genere conſideratas, eſſe hominibus cum animantibus communes. Sunt vero animalia bruta per eſſentiam & naturam ſuam ad easdem actiones determinata, ita ut ex neceſſitate agant, quod juri naturæ conforme eſt. Quamobrem ſi ad actiones brutorum in libertate naturali conſtitutorum attendas; quænam actiones ſint legi naturæ conformes, addiſces, ubi eas conſideraveris tanquam media finis alicujus a bruto obtinendi. Brutum enim agit propter finem a Deo ipſi præfixum, quem non intelligit, neque adeo intendit; homo

Digitized by Google

homo vero cum rationis uſu polleat, & finem iſtum tum intelligere, tum intendere poſſit, propter eundem agere eumque intendere tenetur, ut libere agat, quod ex neceſſitate agunt bruta. Agunt adeo perinde, ac ſi rationalia eſſent, utut rationis uſu deſtituantur, cum a ſuprema ratione determinatæ ſint eorum actiones. Quamobrem cum homo libertate, qua pollet, abuſus contrarias rationi edat actiones; brutorum actiones rationi magis conformes videntur quam humanæ; unde jam ab antiquis retro ſeculis affirmatum fuit, quod integro libro probare contendit *Rorarius*, animantia bruta ratione melius uti homine. Hinc & in ſacris ad animantia bruta ablegamur, ut ab iis ſapientem ac prudentem actionum directionem addiſcamus. Ita *Salomo* (h) commendat pigris, qui futuræ neceſſitati minime proſpiciunt, ſapientiam formicarum in æſtate cibum ſibi parantium & in meſſe congregantium, quod comedant. Laudatur & ſapientia lepuſculi cubile ſuum in petra collocantis,

(h) Proverb. VI. 6.

tis, ut ſecurus dormiat (i). Laudatur bos non mugiens, cum ante præſepe plenum ſteterit (k), ut diſcamus non conquerendum eſſe de adverſa fortuna, quamdiu ſuppetunt, quæ præſenti neceſſitati ſufficiunt. Non inanem profecto operam ſumeret, ſi quis definitionem *Vlpiani* a contemtu vindicaturus ex actionibus animalium, quas ex hiſtoria animalium perſpectas habere debet, jus naturæ in ſenſu illo ſtrictiori derivaret, quo id ſumitur a Ictis Romanis. Vtilis foret hæc opera ad eam Phyſiognomiæ partem excolendam, quæ ex ſimilitudine hominum cum brutis quoad externam corporis, faciei præſertim, conſtitutionem eorum inclinationes naturales colligit (l). Etſi enim fieri poſſit, quemadmodum deinceps dicemus, ut jus naturæ univerſum, conſequenter & ea ipſius pars, quæ jus quoddam hominum & animalium omnium commune conſtituit, & a Ictis Romanis ſola juris naturalis nomine condecorata fuit, ex aliis

(i) Prov XXX. 26. (k) Job. VI. 5. (l) Vid. die vernünfftige Gedancken von der Menſchen Thun und Laſſen §. 217.

aliis principiis, non attentis brutorum actionibus, deduci poſſit, & nos actu deducturi ſimus, quando finitis theoriis metaphyſicis ſyſtema univerſi juris naturalis condemus; præſtat tamen ob multiplicem ingenii humani varietatem diverſis modis eandem veritatem demonſtrari, vel demonſtratam confirmari; id quod in omni genere veritatum adeo certum eſt, ut ipſemet Deus veritatem revelatam de œconomia ſalutis noſtræ æternæ non eodem ſemper modo propoſuerit, & modum eam proponendi etiamnum pro conditione temporum variari debere dudum agnitum ſit a Theologis acutioribus.

§. 11. Ne vero jus naturæ ſtrictius ICtorum Romanorum ab actionibus brutorum derivaturus a veritate aberret; unum alterumque tempeſtive hic annotamus. Bruta ad eundem agendi modum determinata ſunt, & per impreſſiones objectorum externorum in organa ſenſoria ad actiones impelluntur. Pluribus adeo actionibus externis concurrentibus fieri poteſt, ut, quæ inde reſultat, compoſita vitioſa videatur. Similiter cum bruta

Cautiones in jure naturali ab actionibus brutorum derivando.

bruta ad eundem modum agendi determinata ſint, nec circumſtantias ſingulares, quæ ſeſe offerunt, rationis uſu omnique cognitione diſtincta deſtituta diſcernere valeant; actio quoque ſimplex ad eas relata turpitudine naturali infecta videtur. Ponamus canem devorare cibum ſibi oppoſitum, & alterum adventantem eidem inhiare. Alterum veluti morſurus allatrat, immo mordet, & cibum devorare feſtinat. Actiones hæ ex invidia proficiſci vulgo putantur, propterea quod in homine invidiam haud vulgarem aliquo ſaltem in caſu arguerent. Vnde & invidia canina in proverbium abiit, qua majorem concipi non poſſe exiſtimatur, & invidi canibus aſſimilantur. Fieri adeo non poſſe videtur, ut a brutis diſcamus, quænam actiones ſint juri naturali conformes. Etenim actiones brutorum bonas eſſe mixtas malis, conſequenter principia juris naturalis ante perſpecta eſſe debere, quam quis judicare valeat, quænam externa ſpecie eidem conveniant, quænam vero ab eo abeant. Quamvis autem hæc aliquam veri ſpeciem habeant, non tamen obſtant, quo minus pro-

promiſcue ex brutorum actionibus juris naturalis principia derivemus. Actiones brutorum externæ, quas videmus, referendæ ſunt ad fines, qui per eas tanquam media obtinentur, atque concludendum, per iſtos fines actiones eſſe determinandas. Jus adeo naturæ præcipit fines iſtos eſſe conſectandos, quos actionibus ſuis intendunt bruta, & more ſuo conſequuntur; homo autem modo homine digno conſequi debet. Etenim quinam ſit iſte modus, juxta notiones Ictorum Romanorum ex jure Gentium decidendum; quod cum ſit jus homini proprium, ea ſuperaddit, quæ in bruta non cadunt. Applicemus ea ad exemplum modo de cane allatum, & evidenter conſtabit, nihil vitii contrahere principia juris naturalis, quæ ex hoc fonte derivantur. Canis cibum ſibi appoſitum appetit ad explendam famem, qua ad eum quærendum incitatur. Cibo conſervatur corpus inedia tandem interiturum. Finis adeo actionis, qua cibus devoratur, eſt conſervatio corporis, quod ſine eo ſalvum ac incolume eſſe nequit. Fames

mes ſtimulus eſt, ne corpus inedia conficiatur, ſed cibo potuque, quando convenit, refocilletur. Hinc ergo colliguntur principia juris naturalis: corpus eſſe conſervandum, cibum conſervandi corporis gratia eſſe capiendum, non eſſe eſuriendum, cibum eſſe quærendum. Si canis cibum devorat, & alter accurrens eidem inhiat, eum allatrat atque mordet Hac actione repellitur alter, ut cibo ſuo frui poſſit. Finis adeo hujus actionis eſt, ut alterum repellat, qui eum in explendis officii ſui, quod per modo dicta debet corpori, partibus turbare voluerit, adeoque ſui defenſio. Hinc ergo colligimus defenſionem juris naturalis eſſe, & juxta idem huic non eſſe locum, niſi ubi ab altero impedimur, quo minus ſatisfaciamus officio noſtro lege naturali nobis injuncto. Quodſi ergo actiones brutorum ſecundum rationes finales expendere dignemur, & inde actionum liberarum determinandi principia derivemus, haudquaquam verendum eſt, ne animalibus brutis doctoribus uſuri ex hominibus rationalibus bruta irrationalia reddamur

mur, & in noſtris actionibus cæco ſenſuum atque paſſionum animi impetu nos abripi patiamur. Sed demus etiam exemplum actionis ſimplicis. Canis catuliens promiſcue admittit canes mares, uno alteri in coitu immediate ſuccedente; quamprimum vero concepit, non amplius ulli paret, ſed coitum vi tentaturum mordet & allatrat. Quoniam fœmina in humano genere ſalaciſſima eſt, quæ ſimile quid patitur; ideo canes ſalacitatis vitio infamantur, & fœmininæ ſalaces iisdem comparantur. Quamobrem denuo jus naturale caninum canum & laſcivorum commune videtur, a quo abhorrere debeat homo. Enimvero ſi canum hanc quoque actionem juxta rationes finales expendas, principia nonniſi rationi conformia inde derivabis, quæ juris naturalis eſſe aliunde demonſtrari poteſt. Finis nimirum coitus eſt procreatio ſobolis. Ad eundem ſtimulus eſt fœmellæ catulitio. Coitum non appetit niſi catuliens, nec marem admittit amplius, quam primum fuerit imprægnata. Vnde colligitur, juris naturæ principium eſ-

ſe, ut coitus non voluptatis, ſed ſolius ſobolis procreandæ gratia appetatur. Tantum adeo abeſt, ut laſciviæ exemplum præbeat canis fœmina, ut potius conformem ſe gerat rariſſimæ & vix inter homines agnitæ caſtitatis præcepto. Quod enim promiſcuum concernit coitum, non is laſciviæ debetur; ſed quod cani perinde ſit, a quonam mare impraegnetur, cum mas tantummodo ad generationem prolis concurrat, fœmella autem educationi ſola ſufficiat, quæ adeo ſola naturali quodam amoris impetu in catulos fertur. Præterea notandum eſt, juris naturalis principia ex actionibus brutorum derivaturum non ad unam tantummodo ſpeciem, ſed ad omne brutorum genus attendere debere in eodem actionum genere, cum multiplex varietas hic ſeſe offerat pro diverſitate ſpecierum. Ex illa autem diverſitate apparent determinationes, ſub quibus aliquid enunciandum, quod abſolute verum non eſt. Unde porro conſequitur, quando contingit iſtas determinationes in homine non habere locum, nec id in hominem convenire,

Digitized by Google

nire, quod nonniſi ſub iſtis verum eſt. Exemplum obſcuritatem diſpellit, quæ terminis generalibus adhæret. Agedum itaque! intendamus in illud mentis noſtræ aciem! Canis catuliens a promiſcuo coitu non abhorret, propterea quod uno coitu non imprægnetur, mare autem, qui ad impraegnationem concurrit, ad educationem catulorum minime habet opus. Juri igitur naturali, quatenus iuxta Ictos Romanos eſt ius hominum & brutorum commune, non abſolute repugnat promiſcuus coitus, ſed tantummodo ſub data quadam conditione. Etenim a canum coeundi more diſcimus, ſi fœmina uno coitu ſufficienter impraegnari nequit, mare tamen tantummodo ad impraegnationem, nequaquam vero ad educationem habet opus, promiſcuum concubitum eſſe licitum. Enimvero cum in humano genere ſola fœmina proli educandæ non ſufficiat, ſed mas quoque ſocias operas præſtet neceſſe eſt; ſub his determinationibus promiſcuus concubitus non amplius locum habet. Quid igitur hic conveniat, aves nos abunde

Digitized by Google

docent. Sunt nimirum quoque iura animalium ſpecierum propria, quæ ex notione non animalis in genere, ſed huius vel illius ſpeciei, v gr. canis fluunt. Jam cum ius naturæ iuxta ICtos Romanos ſit ius commune omnium animalium, atque adeo eius ratio in natura communi omnium animalium, hoc eſt, in notione animalis in genere, nequaquam vero in notione canis, quatenus canis eſt, aut alterius ſpeciei cuiuscunque, contineri debet; talia quoque ad ius naturæ iuxta definitionem *Vlpiani* referri non debent, quæ nonniſi certis brutorum ſpeciebus conveniunt. Ea enim in brutis opponuntur iuribus, quæ hominum propria ſunt, & a ICtis Romanis iuris gentium nomine compellantur. Generalia autem principia, quæ iuris naturalis ſunt, a poſteriori innoteſcunt, ubi principia hypothetica diverſis brutorum ſpeciebus in eodem actionum genere reſpondentia diverſa inter ſe contuleris, & quod ipſis commune eſt, principium generale inde abſtraxeris, obſervatis regulis, quæ de formanda notione generis datis ſpecierum notionibus

bus alibi dedimus (m). Cavendum vero, ne quis in veritate inveſtiganda minus verſatus inter impoſſibilia referat, quæ a ſe fieri non poſſe experitur. Cavendum etiam, ne quis de facultatibus ſuis plus ſperans, quam in iis eſt, & ex actionibus brutorum perperam deducens principia, quibus eædem minime reſpondent, aut pro principiis generalibus venditans, quæ nonniſi certis brutorum ſpeciebus conveniunt, contendat, ex brutorum actionibus jus naturæ, quod homines obliget, deduci minime poſſe, ſed brutorum actiones ſuppeditare principia, quibus ſcelera ac crimina hominum conformia ſunt. Agnoſcant tandem homines, non omnem veri inveſtigationem & inveſtigati dijudicationem in ſua eſſe poteſtate! Agnoſcant, in alterius poteſtate eſſe poſſe, quæ in ſua non ſunt! Agnoſcant, in ſe non repugnare, quæ nondum in alicujus hominis poteſtate deprehenduntur! Agnoſcant denique, fieri poſſe, ut in poteſtatem poſterorum veniant, quæ in noſtra nondum ſunt. Sed tum de-

(*m*) §. 710. Log.

mum temeritas & præcipitantia in iudicando vitabitur, ubi ſolida rerum cognitio pluribus familiaris evadet; quod ut fiat, omnem movemus lapidem movebimusque, quamdiu aura hac vitali fruemur.

Principia notioni iurisGentiumGaji inveſtigandæ inſervientia.

§. 12. Etſi plurima adhuc eſſent ſcitu non iniucunda, nec inutilia, quæ de notione iuris naturalis *Vlpiani* & Iĉtorum Romanorum moneri poterant; noſtri tamen inſtituti memores ad notionem iuris gentium properamus, quæ iisdem fuit. Vtemur autem eadem methodo in ea inveſtiganda, qua in determinanda notione iuris naturæ uſi ſumus. Videamus igitur, quænam de iure gentium occurrant prædicata. Jus hoc gentium, quod ex *Gaji* definitione naturalis ratio inter omnes homines conſtituit (§. 2), dicitur recedere a iure naturali, quia illud omnibus animalibus, hoc ſolis hominibus inter ſe commune ſit (n). Dicitur præterea ius commune omnium hominum (o). Referuntur ad hoc ius religio erga Deum, obedientia parentibus & patriæ præſtanda (p), defen-

(n) l. 1. §. 4. ff. de I. & I. (o) l. 9. eod. (p) l. 2. eod.

Digitized by Google

defenſio adverſus vim atque injuriam nobis factam (q), manumiſſio, qua quis ex ſervitute libertati reſtituitur, ipſa ſervitus, bella, regna, dominia, commercia, contractus, etſi in his quædam etiam ſint juris civilis (r). Inprimis etiam probe tenendum eſt inter rationes naturales, quibus jus gentium determinatur, referri quoque cognationem inter homines natura conſtitutam. Patet itaque, eam formandam eſſe juris gentium notionem, ut per eam determinetur iſtud actionum genus, quæ hominum propriæ ſunt, naturalem tamen determinationem admittunt. Ratio aſſerti eadem eſt, quam ſupra pro notione juris naturæ allegavimus (§. 4). Patet porro, ita formandam eſſe notionem juris gentium, ut ex ea demonſtrari poſſit cultus divinus, obedientia erga parentes, defenſio corporis ac famæ ſuæ; demonſtrari poſſint cetera, quæ juris gentium eſſe juxta Ictos Romanos modo commemoravimus.

(q) l. 3. eod. (r) l. 4. & 5. eod.

Quænam ex iſtis principiis conſequantur. §. 13. Quoniam igitur jus gentium ſolis hominibus inter ſe commune eſt, ratione tamen naturali conſtituitur (§. 13), id utique, per quod determinatur, in ſolis hominibus, nequaquam autem in brutis animantibus deprehendatur neceſſe eſt. Id omnium evidentiſſime ex contrario apparet. Sit enim ratio determinans hujus juris etiam in animalibus brutis, ſi non omnibus, ſaltem quibusdam; erit ergo jus, quod per eam determinatur, non ſolis hominibus inter ſe, ſed præterea brutis, ſi non omnibus, ſaltem quibusdam commune; id quod aſſerto *Vlpiani* atque *Gaji* repugnat. Quoniam porro jus gentium eſt commune quoddam jus omnium hominum, ratione autem naturali conſtituitur (§. 13); id omnino, per quod determinatur, in omnibus hominibus deprehendatur neceſſe eſt; id quod denuo omnium evidentiſſime e contrario manifeſtum. Sit enim ratio determinans hujus juris non in omni homine, ſed ſaltem in aliquibus; erit ergo jus, quod per eam determinatur, non hominum omnium commune, ſed quorundam

rundam ſaltem proprium; id quod denuo aſſerto *Graji* manifeſto repugnat. In eo jus gentium convenit cum jure naturæ juxta *Gajum*, quod naturalis ratio idem conſtituerit; in hoc autem illud ab hoc differt, quod, cum illud inter homines & omnia animalia fuerit conſtitutum, hoc nonniſi inter homines conſtitutum ſit. Atque hinc intelligimus, quænam ſit illa ratio naturalis, quæ in omni homine, non tamen in animalibus brutis deprehenditur. Nimirum juris naturalis ratio juxta Ictos Romanos continetur in eſſentia ſeu natura communi hominum atque brutorum, ſeu in notione generis, ad quod homines & omnia animalia tanquam ſpecies referuntur (§. 6): ergo ratio juris gentium continetur in eſſentia ſeu natura homini propria, ſeu notione hominis, qua tanquam peculiaris viventium ſpecies repræſentatur.

§ 14. Quemadmodum itaque jus naturæ in ſenſu *Vlpiani* definitur, quod ſit determinatio actionis ea, cujus ratio in natura animali ſeu eſſentia homini cum brutis communi contine- *Notio juris gentium juxta Ictos Romanos.*

 tur

tur (§. 6); ita *jus gentium* in ſenſu *Gaji* definiri debet, quod ſit ea actionum determinatio, cujus ratio in natura humana, ſeu eſſentia & natura homini propria, continetur. Atque hinc intelligitur, arctos illos limites, intra quos jus naturæ coarctarunt Icti Romani, ſcientiæ juris, quatenus id natura conſtitutum eſt, nihil damni attuliſſe: etenim cum plurimæ actiones jure naturali indeciſæ relinquerentur, eædem deinde jure gentium determinationem ſuam fuerunt conſecutæ. Parum autem refert, ſive aliquid eſſe dixeris juris naturalis, ſive juris gentium, modo agnoſcas, idem eſſe juris naturali ratione conſtituti. Quomodocunque enim verborum ſignificatus determinemus, nullum tamen hinc detrimenti patitur veritas, modo ſignificatus ſunt reales, & in ratiocinando iisdem ſtricte inhæreamus Juxta hanc vero notionem juris Gentium interpretari debemus, quæ a Ictis Romanis ad id referuntur. Eadem enim hic repetenda ſunt, quæ paulo ante (§. 6) de jure naturali inculcavimus. Sicuti vero ſuperius non in eo acqui-

evi-

Digitized by Google

evimus, quod notionem iuris naturalis ex principiis veris legitime deduxerimus, ſed præterea oſtendimus, iuri naturali vi eiusdem notionis convenire etiam prædicata, quæ eidem a Ictis Romanis tribuuntur; ita ſimiliter nunc nobis porro oſtendendum erit, cur ius gentium ita acceptum ſit ius ſolis hominibus inter ſe commune, omnium tamen hominum commune, & cur religio, obedientia parentibus & patriæ præſtanda aliaque paulo ante commemorata (§. 13.) ſint iuris gentium.

Cur jus gentium ſit jus omnium hominum commune ac proprium.

§. 15. Ratio iuris gentium non continetur in natura homini ac brutis communi, ſed in eſſentia atque natura eidem propria (§. 15.). Quamobrem cum determinatum non ponatur, niſi ubi determinans ponitur, quemadmodum in philoſophia prima evictum dedimus, ac ab eo facile admittitur, qui in demonſtrando fuit verſatus, ſi vel maxime principiorum ontologicorum fuerit ignarus; ius gentium hominibus cum brutis commune eſſe nequit. E contrario cum determinatum ponatur, ubi determinans ponitur; ius gentium omnium hominum com-

commune eſſe debet. Et quia homo iis præditus eſt facultatibus, quibus & naturam cum brutis communem, & humanam ſibi propriam cognoſcere valet; rationem quoque agnoſcere poteſt tum juris naturalis tum etiam juris gentium. Cumque ex ratione perſpecta intelligat, cur hoc vel iſtud ſit potius juris naturalis, aut juris gentium; natura etiam eum docuit non minus jus gentium, quam jus naturæ. Quemadmodum itaque *Vlpianus* jus naturæ definit per illud, quod natura omnia animalia docuit; ita ex adverſo dici poteſt, jus gentium eſſe illud, quod natura omnes homines, ſed ſolos homines, minime autem animalia cetera, docuit. Quoniam tamen homines ob abuſum libertatis, qualis in bruta non cadit, non perinde ſemper faciunt, quod eſt juris gentium, quemadmodum bruta facere ſolent, quod eſt juris naturalis; ideo quoque non eodem modo ex ipſorum actionibus colligimus, quid ſit juris gentium, quo ex actionibus brutorum diſcere licet, quid ſit juris naturalis (§. 10.).

Digitized by Google

§. 16. Vtut autem non promiſcue ex actionibus hominum jus gentium derivare liceat, quemadmodum ex brutorum actionibus jus naturæ derivatur; non tamen prorſus impoſſibile eſt, ut ex hominum actionibus jus gentium colligatur. Etenim cum jus naturæ & gentium in ſignificatu ICtorum Romanorum ſimul obliget homines, ut actiones ſuas perinde ad jus gentium, quam ad jus naturæ componant; jus gentium juri naturali non repugnare poteſt. Patet idem a priori ex definitione juris utriusque. Etenim ratio juris naturalis continetur in notione generis & ratio juris gentium in notione ſpeciei (§. 6. 15). Quemadmodum vero genus & ſpecies, ſub quibus eadem individua continentur, ſibi mutuo non repugnant; ita nec contrariantur ea, quorum ratio in notione generis ac notione ſpeciei continetur. Quamobrem cum actio hominis quælibet, quæ juris naturalis non eſt, nec juris civilis, vel juri gentium conformis, vel eidem contraria eſſe debeat; actiones hominum, quas obſervamus, vel quas iuris gentium a gen-

Quomodo jus gentium ex actionibus hominum derivetur.

gentibus pluribus, præſertim moratioribus, venditari intelligimus, cum iure naturali ex actionibus brutorum derivato (§. 11.) conferre tenemur: quodſi enim appareat, eas principiis iuris naturæ repugnare, iuris gentium easdem eſſe non poſſe recte colligitur; ſi vero ex hac collatione pateſcat, quod una cum actionibus iuri naturali conformibus conſiſtere poſſint, a iure gentium non abhorrere cenſentur. Præterea hic perinde ac in iure naturali conſiderandæ ſunt actionum rationes finales, & hæ rationes finales conferendæ ſunt cum illis, quas in gratiam iuris naturalis ex actionibus brutorum elicuimus (§. *cit.*): ex earum enim repugnantia, ut ante, colligitur, actiones datas iuris gentium non eſſe, ſed perperam pro talibus haberi; ubi vero ſibi mutuo non repugnant, contrarium pateſcit. Quodſi quædam actiones iuxta ius gentium determinatæ fuerint, aliæ cum ipſis conferri poſſunt eo modo, quo eas cum actionibus iuris naturalis, vel etiam rationes finales actionum iuris gentium cum rationibus finalibus actio-

num

Digitized by Google

núm juris naturalis conferimus. Magna pars eorum, quæ ſunt juris gentium juxta Ictos Romanos, vulgo ad jus naturæ hodie refertur, quam mox determinaturi ſumus; immo nec deſunt, qui integrum illud jus cum jure naturali in unum cogunt. Atque inde eſt, quod ipſe *Grotius* in opere celebratiſſimo de jure belli & pacis juris naturalis aliquid eſſe probet per gentium, moratiorum præſertim, conſenſum, quem per facta ſtabilit (ſ). Immo alteram juris gentium Ictorum Romanorum partem, quam ab illa mox diſtinguemus, & *Grotius* ſolam hoc nomine compellat, aliter, quam per facta gentium, aut, ſi mavis, per conſenſum factis ſtabiliendum probari poſſe negat. Equidem vir acris judicii ipſemet non diffitetur, jus naturæ, hoc eſt, priorem illam juris gentium Ictorum Romanorum partem aliquo ſaltem modo inde probari; non tamen oſtendit, quomodo id, in quo probatio deficit, ſuppleri debeat. Quamobrem nobis incumbere

(ſ) Prolog. §. 46.

Digitized by Google

bere exiſtimavimus, ut modum oſtenderemus, quo ex factis gentium, præſertim moratiorum, certum aliquod jus colligitur, etſi nobis alia ad jus univerſum naturali ratione conſtitutum, quibuscunque tandem nominibus idem inſignire volueris, perveniendi via pateat, paulo poſt indicanda.

Diverſæ juris gentium partes. §. 17. Inter exempla juris gentium referuntur religio, obedientia parentibus præſtanda, contractus; bella & inde ſecutæ ſervitutes (§. 12). Religio & obedientia parentibus præſtanda pertinet ad jus ſingulorum; bella vero & ſervitutes inde ſecutæ ad gentes integras. Pacta cum contractibus & inter ſingulos, & inter gentes integras celebrantur. Apparet adeo jus gentium ſecundum notionem Ictorum Romanorum aliud concernere homines in ſingulari ſpectatos, aliud vero entes integras, quod eædem inter ſe obſervare vel debent, vel ſolent. Priorem juris gentium partem *Grotius* ad jus naturale refert, nec ab eodem diſtinguit, propterea quod jus naturæ non tantummodo repetit cum Ictis Romanis a natura homini cum bru-

Digitized by Google

brutis communi, ſed inprimis a natura humana homini propria (t); partem vero poſteriorem ſolo juris gentium nomine dignatur. Atque de jure gentium in ſignificatu ſtrictiori affirmat, quod aliter probari nequeat niſi per exempla & judicia temporum ac populorum meliorum; quod aſſertum, quantum veritati conſentaneum ſit, inferius demum eluceſcet.

§. 18. Quoniam igitur ICti Romani jus naturæ ac gentium aliter a ſe invicem diſtinxerunt, quam *Grotius* fecit, aliique recentiorum facere ſolent; non inconſultum omnino videtur, ut disquiramus, quænam ipſis fuerit ratio, cur ea potius, quam alia ratione differentiam conſtituere maluerint. Equidem diſtincte non agnoviſſe videntur fontem, unde jus naturæ ac gentium fluat, quem nos modo indicavimus (§. 6. 15.); quod tamen vi notionum confuſarum, quas habuere, perſpexere ipſis ſuffecit ad differentiam utriusque juris pervidendam. Etſi enim ignorarent, quænam ſit illa naturalis ratio, quæ quatenus perinde

Cur ICti Romani jus naturæ & gentium ea ratione diſtinxerint, qua dictum.

(t) loc. cit. §. 6 & 7.

in brutis ac homine datur, jus naturæ; quatenus vero in ſolo homine deprehenditur, jus gentium conſtituit: agnovere tamen aliquam dari, & propter eam jus naturæ eſſe hominum atque animalium commune, jus vero gentium nonniſi hominibus convenire. Præterea animadvertebant, in jure naturali omnia ita eſſe comparata, ut nonniſi unico modo determinari poſſint, ut ſint recta, oppoſitum vero eorum eidem minime convenire, ſed potius repugnare: nam ideo jus naturæ immutabile eſſe agnoverunt. Quæ vero ad jus gentium referebant, ea talia eſſe ipſis videbantur, quæ cum iſto immutabili jure non decidantur, diverſis modis determinari poſſunt, ut ſint recta; unde jus gentium non perinde ac jus naturæ immutabile eſſe agnoverunt. E. gr. Juris naturalis eſt juxta Ictos Romanos de victu & amictu ſibi proſpicere, cum id corpus conſervandum eſſe inculcet. Jam cum ad victum & amictum plurima ſint neceſſaria, jure gentium introducta ſunt dominia, cum non invito jure naturali bonorum quoque communio intro-

introduci potuiſſet, quemadmodum id in Rep. Solis a *Campanella* factum, dominia multorum malorum cauſam eſſe exiſtimante.

§. 19. Diximus in ſuperioribus (§. 12.), eam formandam eſſe juris gentium notionem, ut ex ea cultus divinus demonſtrari poſſit, aut, ſi mavis, obligatio hominis ad Deum colendum. Oſtendimus vero (§. 14.), jus gentium in ſenſu *Gaji* conſiſtere in ea actionum determinatione, cujus ratio in eſſentia & natura humana continetur. Oſtendendum itaque eſt, in eſſentia & natura, quæ homini propria, cum brutis autem minime communis, contineri rationem, cur is Deum colere debeat. Quando unum ex altero colligitur, id fit mediante aliquo ſyllogiſmo, qui etiam in ratiociniis confuſis latet, ubi notiones propoſitionibus, ex quibus ſyllogiſmus conſtat, reſpondentes confuſæ ita ſe invicem excipiunt, ut ad diſtinctas revocatæ ſyllogiſmum formalem exhibeant. Quoniam itaque notio alicujus ſubjecti, cujus prædicata ratiocinando inveſtigari debent, nonniſi unam aut alteram

Cultus Numinis num notioni juris gentium ICtorum Romanorum conformis.

propoſitionem ſuppeditat, quæ alteram ſyllogiſmi præmiſſam præbet, concluſio autem non infertur niſi ex duabus præmiſſis; facile apparet, præmiſſam alteram aliunde arceſſendam eſſe. Neque unico ſtatim ſyllogiſmo, ſeu, quod eidem reſpondet, ratiocinio concluſio ſemper infertur; ſed ſæpius longa ſyllogiſmorum concatenatione demum pervenitur ad eam, quæ quærebatur, concluſionem. Quamobrem plura adhuc principia aliunde arceſſenda ſunt, antequam ex notione ſubjecti deduxeris, quod intendis. Quæ hic profero, ſingula ex forma demonſtrationis oſtenſivæ manifeſta ſunt, quam in opere Logico (u) delineavi, & exemplis non minus mathematicis, quam philoſophicis illuſtravi ac confirmavi. Quamobrem ſi ex notione juris Gentium menti *Gaji* conformi deducendum, quod Deus ſit colendus; aliis præterea opus eſt principiis ex philoſophia petendis. Hæc ideo moneo, ne quis ſibi perſuadeat, unicuivis notionem iſtam juris gentium intuenti extemplo patere debere indivul-

(u) §. 551. 552.

Digitized by Google

divulſum cultus divini cum natura humana nexum. Atque eadem ratio eſt, cur principia demonſtrandi magis indicemus, quam ut ex iisdem demonſtrationem conſummatam, quam vocamus (x), condamus. Conſtat igitur ex ipſo lumine rationis, Deum totum hoc univerſum condidiſſe, ut creaturis intelligentibus perfectiones ſuas manifeſtaret, ut earum cognitione ad veram, non fucatam, felicitatem perducerentur. Quamobrem cum homo iis facultatibus inſtruatur, quibus ad Deum agnoſcendum & agnitum amandum ceteraque erga eum officia opus eſt; ecquis dubitabit, quod Deus velit, ut iisdem officiis vacet? Hæc vero qui admittit nec ignorat, quomodo ex agnitione Numinis cetera erga eum officia conſequantur, & qua ratione Deum omni noſtra actione colamus, ubi attributa divina earum ſiunt motiva (y); is non ægre largietur, rationem cultus divini in ipſa eſſentia ac natura hominis contineri. Dedimus adeo notionem juris genti-

 um,

(x) Log. §. 855. (y) Vid. die vernünftige Gedancken von der Menschen Thun und Laſſen, §. 650 & ſeqq.

um, unde conſequitur, Deum eſſe colendum. Ex notione autem juris Gentium, quam menti *Gaji* conformem probavimus, non modo obligatio naturalis ad cultum divinum, ſed ipſa etiam Deum colendi ratio deducitur naturalis, quæ ſcripturæ ſacræ conformis eſt, nec iis repugnat, quæ revelatio ſuperaddit, atque conſenſum rationis ac revelationis mirifice confirmat. Tenenda tamen eadem ſunt, quæ de concluſionibus ex notionibus datis deducendis modo annotavimus. Etſi enim cultus Numinis naturalis, cui intelligendo & ſtabiliendo principia rationis ſufficiunt, non aliis conſtare queat actionibus, quam quæ facultatibus hominis conformes ſunt; aliis tamen bene multis inſuper opus eſt principiis, tum propioribus, quæ ex Theologia naturali petuntur, tum remotioribus, quæ ex philoſophia prima atque morali (z), ſubinde & civili (aa), inprimis etiam naturali petenda (bb). Ampliſſimus hic præclarorum

(z) ibid. §. 756. & ſeq. (aa) vid. die Gedancken vom geſellſchaftlichen Leben §. 319. (bb) Vid. vernünftige Gedancken von den Abſichten der natürlichen Dinge paſſim.

rum generique humano utilium detegendorum campus eſt, modo tandem ſaperent homines & ad diſcendum, quam reprehendendum proniores ſolidæ cognitionis fundamenta non diruere molirentur, ſed collatis operis in ædificio eidem ſuperſtruendo ſe mutuo juvarent.

Cur obedientia parentibus præſtanda, defenſio famæ, dominia rerum, regna, ſint juris gentium juxta ICtos Romanos.

§. 20. Ex hactenus dictis, me vel tacente, porro liquet, quid ſentiendum ſit de quæſtionibus ceteris, num ex notione juris gentium, quam menti *Gaji* conſentaneam ſtabilivimus, demonſtrari poſſit, obedientiam parentibus & patriæ eſſe præſtandam, famam adverſus injuriam eſſe defendendam, dominia rerum introducenda, regna condenda, & quæ alia juri gentium tribuunt ICti Romani. Nimirum hic quoque ratiocinandi initium fit judiciis formatis de iis, quæ in natura homini propria continentur, & adſcitis aliunde principiis generalibus tenditur ad concluſiones: neque enim alia datur via a veritate una ad alteram a priori, perveniendi (cc). Educatio liberorum eſt juris naturalis, ſeu juris hominum

(cc) Log. §. 734.

num atque omnium animalium communis. Sed ea absque obedientia parentibus præſtanda abſolvi nequit in humano genere, quemadmodum in omni genere animalium ceterorum (dd). Jus adeo gentium præcepto juris naturalis jungit alterum de obedientia a liberis parentibus præſtanda. Ex natura hominis conſequitur, quod vitam vivere debeat ſocialem, minime autem ſolidariam, quemadmodum a me oſtenſum eſt alibi (ee). Atque inde in moralibus deduxi rerum dominia, in politicis regna, unde alia porro conſequuntur, quæ a Romanis Jctis ad jus gentium referuntur. Quoniam adeo magna pars ejus juris, quod ratione naturali conſtitutum hominum proprium eſt, ex ſocialitate fluit; hæc ipſa vero pars hodie ad jus naturæ refertur; ideo *Grotius* (ff) fontem juris naturalis ad appetitum mutuæ ſocietatis retulit, *Puffendorfius* vero omnis juris naturalis principium ſocialitatem eſſe juſſit, cum tamen ſocietatis cuſto-

(dd) Vid. Gedancken vom geſellſch. Leben §. 124.
(ee) loc. cit. §. 1. (ff) in Proleg. de Jure belli & pacis §. 16.

Digitized by Google

ſtodia, quemadmodum alibi a nobis demonſtratum modo indicavimus, ex principio altiori derivetur, nec omnem juris Gentium ambitum in ſenſu ICtorum Romanorum, nedum naturalis, emetiatur. Sed parum refert, quid de cuſtodia ſocietatis ſentiant alii; ſufficit eam ex natura hominis propria deduci, ac inde ulterius pleraque derivari poſſe, quæ juris Gentium eſſe dicuntur in Pandectis. Diximus porro, defenſionem famæ a ICtis Romanis ad jus Gentium referri. Enimvero nec difficile eſt oſtendere, quod notioni juris Gentium, quam menti *Gaji* conformem ſtatuimus (§. 14), defenſio famæ conformis ſit. Homo enim ob rationis ac libertatis uſum & abuſum virtutis ac vitii, adeoque laudis ac vituperii, capax eſt, conſequenter ad virtutem colendam, vitium fugiendum obligatur. Suo autem exemplo aliis prodeſſe debet, ut & ipſimet ad virtutis ſtudium & fugam vitiorum incitentur. Quamobrem non ſufficit, ut homo agat, quod rectum eſt, ac actionum ſuarum ſibi conſcius conſcientiæ tranquillitate fruatur; ſed nec aliis ma-

Digitized by Google

lus videri debet, cum non ſit. Famæ adeo bonæ inter omnes, quibuscum vivit, ſtudere tenetur. Ex ipſa quoque ſocietatis cuſtodia, homini jure Gentium injuncta ex mente *Gaji*, non uno modo apparet, famam eſſe conſervandam; id quod cum experientia obvia conſtet, modo ad eam attendere velimus, de eo ſpecialiora dici nil attinet.

Principia notioni juris civilis Gaji inveſtigandæ inſervientia.

§. 21. Mittimus adeo jus Gentium, & ad civile properamus. Eadem vero in notione menti *Gaji* conformi indaganda utemur methodo, qua in antecedentibus uſi ſumus. *Gajus* affirmat, jus civile arbitrio populi conſtitui; & eſſe jus unius civitatis ſeu populi alicujus in ſocietatem civilem, quam & Remp. vocant, coëuntis proprium, atque duplici hoc nomine idem opponit juri Gentium, quod ratio naturalis conſtituit inter omnes homines, & apud omnes peræque cuſtoditur (gg). Monet *Vlpianus* (hh), jus civile neque in totum a naturali vel gentium recedere, nec per omnia ei ſervire. Itaque cum aliquid addamus, vel detra-

(gg) l. 9. ff. de l. & I. (hh) l. 6. eod.

Digitized by Google

trahamus juri communi, jus proprium, id eſt, civile, effici. Ea igitur formanda eſt juris civilis notio, ut demonſtrari poſſit, in eo conſtituendo aliquas fuiſſe arbitrii populi partes, atque ideo ipſum non in totum a jure naturali vel gentium recedere. Ea formanda eſt notio, ut inde appareat, quomodo addentes vel detrahentes aliquid juri naturali & gentium efficiamus jus civile. Ea denique formanda eſt notio, ut inde reddi poſſit ratio, cur jus iſtud ſit civitatis hujus proprium. Etenim hoc pacto juri civili conveniunt prædicata a *Gajo* & *Vlpiano* eidem tributa, conſequenter per principia ontologica & iisdem conſentanea logica fieri non potuit, ut in notione illius determinanda a mente illorum juris antiſtitum aberraverimus.

§. 22. Quoniam igitur jus civile eſt civitatis cujusdam proprium, non vero apud omnes homines peræque cuſtoditur, ſi vel maxime eos ſpectes tanquam in ſocietatem civilem coëuntes, quæ hic civitatis nomine deſignatur (§. 20); id utique, per quod determinatur, non in omni civitate, ſed ea ſaltem, *Quænam ex iſtis principiis conſequantur.*

tem,

rem, in qua jus conſtituitur, deprehendatur neceſſe eſt. Omnium evidentiſſime idem ex contrario patet. Sit enim ratio determinans hujus juris in omni civitate ſeu in notione civitatis in genere contenta; erit ergo jus, quod ea conſtituit, omnium civitatum commune; id quod aſſerto *Gaji* repugnat. Ponamus rationem eandem in eſſentia ac natura hominis contineri; erit ergo jus, quod ea conſtituit, omnium hominum proprium, quod *Gaji* aſſerto denuo contrariatur. Immo erit idem jus pars juris gentium, ab eodem ne quicquam recedens; quod e diametro oppoſitum *Vlpiani* effato. Ponamus denique rationem determinantem juris civilis in natura ac eſſentia hominis omniumque animalium communi reperiri; erit adeo jus iſtud omnium hominum ac animalium commune, conſequenter totum cum jure naturali coincidet; id quod denuo ab effato *Vlpiani* abhorret. Atque hinc intelligimus, quænam ſit illa ratio, qua jus civile conſtituitur: cum enim nec in eſſentia & natura hominum atque animalium communi, nec in hominum propria

Digitized by Google

pria deprehendatur, cœco tamen impetu ad ferendas leges ferri legislatores iuri gentium in ſenſu Iℓtorum Romanorum repugnet, cum hoc admiſſo a jure naturali & gentium prorſus recederet jus civile, quod *Vlpiano* non probatur; nihil relinquitur, quam ut rationem juris civilis a natura ſeu esſentia civitatis propria derivemus, quemadmodum juris gentium ratio a natura & eſſentia hominum propria deſumitur.

§. 23. Quodſi hæc perpenderis, & ad animum tibi revocaveris definitiones juris naturæ ac gentium, quas menti Iℓtorum Romanorum conformes ſupra dedimus (§. 15.), ad earum analogiam condes etiam definitionem iuris civilis eorundem menti conſentaneam, quod ſcilicet *jus civile* ſit ea actionum determinatio, cuius ratio in civitatis cuiusdam ſtatu ſingulari continetur. Ita v. gr. *jus Romanum* eſt, cuius ratio in Reip. Romanæ ſtatu continetur. Dubium hic oriri poterat ad præcedentia attento, quod ne difficultates faceſſat, omnino expendendum. Jus, quod ratio quædam naturalis conſtituit, *Notio juris civilis Iℓtorum Romanorum.*

tuit, vel rationem ſui agnoſcit in eſſentia ac natura hominum & omnium animalium communi, vel in eſſentia ac natura hominum propria, hoc eſt, vel in notione generis, vel in notione ſpeciei continetur ratio iſta. Ecquis vero ignorat, eſſe notionem quandam omnium civitatum ſeu Rerump. communem, quæ genus quoddam conſtituit, eſſe vero etiam notiones quasdam nonnullis proprias, quæ ſpecies quasdam abſolvunt, ſub quibus Resp. ſingulares continentur. Neque dubium eſſe poteſt, quin legum rationes perinde ex notione civitatis in genere, quam hujus vel illius notione in ſpecie, deſumantur. Eadem adeo ratio eſſe videtur, cur jus, quod ratio civilis conſtituit, in duas ſpecies diſpeſcatur, ob quam jus alterum, quod ratione naturali nititur, in duas ſpecies diſtributum, jus nimirum naturæ ac gentium. Enimvero civitates condere eſt juris gentium (§. 20.). Quamobrem quæ ex notione civitatis in genere deducuntur, hoc eſt, per rationes politicas generales determinantur, ea ad jus gentium referuntur, neque adeo ullâ

Digitized by Google

ulla neceſſitas urget, ut jus quoddam peculiare conſtituatur, ex notione civitatis in genere derivandum. Cum ſtatus Rerump. diverſi ſint, jus unius civitatis non convenit promiſcue civitati cuicunque alteri. Patet autem eas leges non poſſe eſſe communes, quarum ratio deſumitur ab eo, quo duo Rerump. ſtatus a ſe invicem differunt. Quodſi ex adverſo leges quædam habuerint rationes ab eo derivatas, quod diverſæ Resp. commune agnoſcunt; illas quoque communes eſſe nil quicquam prohibet. Hinc utilitas ſcrutandi rationes legum civilium eluceſcit, juris præſertim peregrini, quod in ſupplementum patrii minus completi venit: Patet etiam, ſtatum Reip. ante utiliter expendi, quam ad rationes juris civilis eidem proprii ſcrutandas animum appellas.

Modus efficiendi jus civile ex communi.

§. 24. Quemadmodum vero ex dictis apparet, quod poſita ea notione juris civilis, quam menti *Gaji* & ICtorum adeo Romanorum conſentaneam vindicavimus, jus iſtud civile ſit civitatis datæ proprium, & quod unusquisque populus id ſibi conſtituat; ita non

non minus ex ea oſtenditur, quod neque in totum a naturali vel gentium jure recedat, nec per omnia ei ſerviat, ſed efficiatur, cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi. *Juris* nempe *communis* nomine communi jus naturæ & gentium appellatur in oppoſitione ad civile, quod tunc *civile* audit (ii). Quæ *Vlpianus* generatim dicit de modo, quo jus proprium ex communi efficiatur, & orta hinc differentia juris naturalis & communis; nos in Politica integro capite ſpecialius, cum per rationes, tum per exempla, deduximus. Cum hic prolixioribus eſſe non liceat, uno ſaltem alteroque exemplo aſſertum *Vlpiani* confirmamus, & idem notioni juris civilis erutæ conſentaneum inde probamus. Introductis jure gentium dominiis furta ipſo jure naturali illicita ſunt, quemadmodum dicit *Paulus* Ictus (kk). Ex hoc præcepto juris naturalis, non eſſe furtum faciendum, efficitur lex civilis, ſi juri communi aliquid additur, nempe dum pœna furti conſtituitur, quam quisque

(ii) l. 6. ff. de I. & I. (kk) l. 1. ff. de furtis.

quæ populus pro arbitrio ſuo determinat. Apud *Hebræos*, quibus legem forenſem ſeu civilem tulerat Deus, furta quadruplo aut quintuplo luebantur. Apud *Græcos* ultra dupli condemnationem fures per aliquot dies vincti detinebantur. Apud *Alemannos* ultra reſtitutionem multipli pro diverſitate caſuum diverſimode determinati ad mulctam condemnabantur. Apud *Romanos* pœna furti pro diverſo Reip. ſtatu varia fuit (ll). Cum decemviri fures manifeſtis verberibus affectos ei in ſervitutem addicerent, cui furtum fuerat factum; ſervos vero ejusdem delicti reos virgis cæſos ex ſaxo præcipitari juberent: prætores pœnam nimis acerbam in pecuniariam quadrupli mutabant, ut alias poſtea inſecutas mutationes varias ſilentio prætereamus. Ex Conſtitutione *Carolina* pro diverſitate circumſtantiarum pœna vel eſt corporis afflictiva, vel capitalis, ut prima aut altera vice fures virgis cædantur, tandem laqueo ſuſpendantur. Leges adeo civi-

(ll) Vid. *Vinnius* in Comment. ad Inſtit. §. 5. de obligat. quæ ex delicto naſcuntur.

les apud diverſas gentes diverſis modis variant. Ratio diverſitatis deſumitur a diverſo Rerump. ſtatu, vi cujus vel minor, vel major pœna ad coërcendum delictum ſufficit. Jure communi, quod ex notione civitatis in genere derivatum, furtum eſt puniendum; jure autem proprio vel civili accedit determinatio diverſa pœnæ, ratione ex ſtatu Reip. ſingulari deſumta. Atque ita ex jure communi efficitur jus proprium facta illius ad civitatem datam applicatione, qua ex rationibus in eadem obviis determinatur, quod per notionem civitatis in genere adeoque jure communi indeterminatum relinquitur. Jure communi neminem contrahendo circumvenire licet, atque adeo, ſi emtor pretium juſto majus ſolverit, venditor reſtituere debet, quod ultra juſtum pretium fuit ſolutum. Jus proprium etiam a nobis receptum a jure communi recedit, non tamen in totum, neque per omnia ei ſervit: etenim ſi emtor ultra dimidium fuerit læſus, tum demum actio ipſi competit adverſus venditorem, ut vel contractus re-

reſcindatur, vel pretium ſuperfluum reſtituatur, optione venditori relicta (mm). Rationes deſumuntur ex ſtatu Reip. datæ, v. gr. quod apud nos difficilis ſit ac valde ſumtuoſa juris ſui in foro perſecutio, quod læſiones infra dimidium nimis invaluerint, quodque ſubinde ſint probatu dlfficiliores.

§. 25. Jus proprium quisque populus ipſe ſibi conſtituit (§. 2.), atque adeo ab arbitrio ejus pendet, quid fieri, quid non fieri debeat. Vnde jus civile jus arbitrarium dicitur, cum jus naturæ ſit neceſſarium; illud pro arbitrio uniuscujusque populi mutari poteſt, cum illud in ſe immutabile ſit. Enimvero ubi aliquid ex arbitrio noſtro deciditur, non tamen deſunt rationes, quas attendit arbitrium, nec eidem adverſatur, quod rationes aliæ aliis ſint meliores, & quod præferatur illud, quod melioribus conſentaneum. Quamobrem leges civiles arbitrium humanum conſtituit, etſi rationes a ſtatu Reip. ſingulari deſumantur, nec neceſſitas in locum arbitrii ſurrogatur, ſi eligatur, quod ſtatui Reip. conve- *Quo ſenſu jus civile ſit arbitrarium.*

 nien-

(mm) l. 2. C. de reſc. vend.

Digitized by Google

nientius, ſeu pro dato ejus ſtatu optimum. Neque adeo refragatur menti *Gaji* notio juris civilis, quam eidem conformem dicimus (§. 23), etſi is affirmet, jus civile, populum quemque ipſum, atque adeo pro arbitrio ſuo, conſtituere, noſtra autem notio deſideret rationem a ſtatu Reip. ſingulari petitam. Habent arbitraria ſuas rationes, nec arbitrio noſtro vis infertur, ubi ob rationes meliores unum alteri præferimus, non modo dum jus proprium conſtituitur, ſed in aliis quibuscunque negotiis, immo in ipſis ſcientiis. Ita in Arithmetica characteres numerorum, quibus nunc utimur, præferimus aliis eosdem indigitandi modis antea uſitatis, nulla neceſſitatis, ſed ſapientiæ lege, quæ ſalvo arbitrio ſanctiſſime cuſtoditur.

Notio juris naturæ, gentium & civilis Autoris.

§. 26. Quamvis autem notiones juris naturalis, gentium atque civilis Ictorum Romanorum nihil contineant abſurdi, & in ſe veræ deprehendantur, ac præterea determinatæ ſint, ut ex iis omne jus deduci poſſit, quod vel naturali ratione conſtitutum, vel ab arbitrio populorum in ſocietates civi-

civiles coëuntium pendet, modo habueris animum principiis ſufficientibus, quæ ſane haud pauca ſunt, imbutum, & ratiocinandi habitu polleas, quo ſine veritas una ex altera colligi nequit, inviolata concatenationis lege, non exiguo profecto labore nec parvo temporis ſpatio acquirendo: negari tamen non poteſt, quædam in iſtis notionibus ſpecialius eſſe determinanda, antequam omnia jura inde prompte deducantur. Quamobrem cum nos philoſophiæ practicæ fundamenta jacturi in notionem illius juris inquireremus, quod natura conſtitutum eſſe a veteribus accepimus, primum ſtatim erat, quod nobis occurrebat, rationem illius juris in natura hominis contineri debere, ita ut inde pateat, cur actio hæc ſit honeſta, iſta turpis, cur hæc homini præcipienda, iſta vero prohibenda. Enimvero in iis non acquievimus, ſed ulterius inquiſivimus, quænam ſit illa ratio, ut absque ambage appareat, ad quænam attendendum ſit, ubi actiones hominis liberas ad examen revocare, earumque normam reperire volueris.

 lueris.

lueris. Reperi autem actiones neceſſarias, quas & naturales appellamus, a ſapientiſſimo rerum conditore per rationes finales eſſe determinatas, quæ ad rationem quandam generalem tandem revocantur; liberas autem cum per easdem, tum per alias determinari poſſe, atque in caſu primo prodire actiones naturæ humanæ convenientes, in ſecundo eidem adverſas. Vnde collegi principium ejus juris, quod naturalis ratio conſtituit, remotum eſſe identitatem determinationis actionum liberarum per easdem rationes finales, per quas naturales determinatæ ſunt. Hac igitur determinatione cum naſcatur conſenſus omnium actionum in homine, qualis ad perfectionem requiritur; porro obſervavi actiones illi juri, quod naturali ratione conſtituitur, conformes tendere ad perfectionem hominis ejusque ſtatus externi, cum qua aliorum hominum perfectio, quantum ea a nobis pendet, indivulſo nexu cohæret. Atque ea tandem de cauſa omne jus naturali ratione conſtitutum ad hanc revocavi ſummam: *Facienda eſſe, quæ nos ſtatumque*

Digitized by Google

que noſtrum atque alios perficiunt, omittenda vero, quæ nos ſtatumque noſtrum aliosque imperfectiores reddunt; quorum iſtud identitate determinationis actionum naturalium & liberarum obtinetur. Hoc principium cum in applicatione adeo fœcundum deprehenderem, ut obſervatis veritatum concatenandarum legibus, omnes omnino actiones liberæ, ſive honeſtæ, ſive juſtæ, ſive decoræ, per intrinſecas rationes admiranda prorſus harmonia inde determinari poſſint, etſi hic cœcutiant, qui ſyſtematicæ cognitionis notione deſtituti immediata principii parum adhuc intellecti ad quamlibet actionem datam applicatione determinare volunt, quid conveniat, quid non conveniat; notionem juris naturalis in immenſum ampliavi, ut non modo jus illud homini cum brutis commune hominumque proprium comprehendat, verum etiam ad talia extendatur, ad quæ homo ſeſe indifferenter habere putatur. Hinc factum eſt, ut juris gentium titulum cum *Grotio* reſervaverimus illi juri, quod inter integras gentes ſeu inter Reſp. obtineri

 fas

ſas eſt; quod ex eodem fonte derivamus, integris Rebusp. inſtar perſonarum ſingularium in ſtatu naturali viventium conſideratis. Etſi autem jure naturali ſecundum noſtram ſententiam illæ etiam actiones determinatæ ſint, quæ juris civilis eſſe putantur, quod non inviti admiſerint, qui cum ICtis Romanis (nn) Jurisprudentiam civilem philoſophiæ partem perinde agnoſcunt, ac nos Jurisprudentiam naturalem ad philoſophiam referimus; hoc tamen non obſtante in Politica oſtendimus (oo), neceſſarium eſſe, ut arbitrio uniuscujusque populi conſtituatur jus Reip. datæ proprium, eo prorſus modo, quo voluit *Vlpianus* (§. 21), dum juri naturali, aut, ſi cum ICtis Romanis loqui amas, communi aliquid additur, vel detrahitur, modo addendi & detrahendi definito, quemadmodum ſupra jam indicavimus (§. 24).

Quousque Autori conveniat cum ICtis Romanis. §. 27. Paucis hic multa dicuntur, quæ claritatem ſuam mutuantur ab iis, quæ in Metaphyſicis, Philoſophia morali & civili, immo in Teleologia de

(nn) l. 1. §. 1. ff. de juſtitia & jure. (oo) Ged. vom geſellſchafftlichem Leben c. 4. integro.

Digitized by Google

de finibus rerum naturalium tractata ſunt, ſuo tempore autem oculatam nanciſcentur fidem, quando jus univerſum naturali ratione conſtitutum in ſyſtema ſumus redacturi, annotatis differentiis a jure præſertim Romano, ſi quæ occurrunt, vel hujus etiam cum illo conſenſu. Sufficit nobis in præſente, quod vel levi attentione uſus animadvertat, noſtram juris naturalis, ſeu communis, atque civilis notionem notiones Ictorum Romanorum non evertere, ſed clariores & fertiliores reddere, ita ut iſtæ noſtra perficiantur. Id enim nobis propoſitum, dum philoſophamur, ut, quæ ab aliis obſcurius dicta ſunt, per notiones noſtras clariora evadant & intelligantur; quæ vere dicta ſunt ab aliis, per noſtra principia eorumque legitimam concatenationem tanquam vera agnoſcantur; quæ denique imperfecta reliquerunt alii, noſtris meditationibus perficiantur. Quod cum in omni veritatis genere valeat, in Jurisprudentia etiam civili ſuccedere debet.

§. 28. Ceterum ex præſente tractatione de notione juris naturæ, gentium & *Scholion generale*

 civi-

de uſu præſentis meditationis extrinſeca.

civilis ex mente Ictorum Romanorum diſcant velim, qui vitæ philoſophantur, qua ratione in interpretatione eorum, quæ ab aliis dicta ſunt, ſit verſandum, & quænam ratio ſit, quod vulgo in iis, quæ ab aliis dicta ſunt, tot abſurdi nobis deprehendere videamur. Ad mentem aliorum perveſtigandam opus eſt Logicæ genuinæ notitia, quæ ſibi a lapide Lydio non metuit alibi in apricum producto (pp); ut autem applicare ejus regulas poſſis, animum multis notionibus imbutum habeas neceſſe eſt, quæ ad notionem verbis alterius jungendam ratiociniis perveſtigandam requiruntur. Etenim ſi Logicæ ignoras regulas, quibus dirigitur mens noſtra in notione perveſtiganda, quæ alterius verbis reſpondet; perperam aliis tribues, quæ a mente ipſorum maxime abhorrent, ex ſignificatu vocum tibi familiari de eadem per præcipitantiam judicans. Quodſi principia defecerint ad ratiocinia requiſita, quibus ex iis, quæ ab altero clare dicta ſunt, eliciuntur obſcurius dictis

(pp) Log. §. 26. & ſeqq.

Digitized by Google

ctis convenientia; ſolæ regulæ Logicæ nihil proderunt. Quamobrem cum veriori Logicæ vulgo non ſtudeant, quemadmodum fieri debere in opere Logico Latino (qq) docuimus, nec philoſophiæ eam navent operam, quæ ad animum notionibus determinatis & fixis imbuendum ſufficit, ratiociniorum exactorum genitricibus; non mirum, nihil eſſe frequentius, quam ut mens aliorum pervertatur, & abſurda ac puerilia videantur, quæ & veritati reſpondent, & profundum ſapiunt acumen. Atque hoc pacto non ſolum patet via, qua præcipitantiæ devia evitantur, verum etiam ad rationes præcipitantiæ alienæ pervenitur, quas detexiſſe juvat, ut ex alieno caſu diſcamus nobis vitanda, ne ſero nimis vel nunquam ſapiamus in nos alioſque injurii.

III.

De differentia intellectus ſyſtematici & non ſyſtematici.

§. 1.

In diſſertatione præcedente mentionem injecimus intellectus ſyſtematici. *Inſtitutum Autoris.*

(qq) § 1227. & ſeqq.

tici. Quamobrem cum maximæ ſit utilitatis noſſe differentiam, quæ inter intellectum ſyſtematicum & non ſyſtematicum intercedit, quoniam plurima hinc deducuntur praxi apprime convenientia; non inanem operam nec a præſente inſtituto alienam ſumimus, dum illam luculenter explicare pro virili annitimur. Vulgo notio intellectus ſyſtematici non attenditur, &, ſi non prorſus obſcura ſit, maxime tamen confuſa eſt, ut adeo eam ad diſtinctam revocari neceſſarium ſit.

Intellectus ſyſtematici & connexionis propoſitionum definitio.

§. 2. Vocamus autem *Intellectum ſyſtematicum*, qui propoſitiones univerſales inter ſe connectit. *Connectuntur* vero *propoſitiones*, ſi aliæ per alias tanquam per principia demonſtrantur. Alia nimirum eſt connexio propoſitionum, quam rerum. Res inter ſe connectuntur, ſi ratio, cur una ſit, continetur in altera, ſeu exiſtentia vel actualitas unius per alteram determinatur. Iſtiusmodi autem nexus in propoſitionibus locum non habet: neque enim veritatis unius propoſitionis per veritatem alterius determinatur, ſed veritas tantummodo unius

pro-

Digitized by Google

propoſitionis per propoſitiones alias demonſtratur, quas veras eſſe agnoſcimus. In qualibet propoſitione determinata prædicatum per notionem ſubjecti determinatur, & ipſa hæc notio rationem ſufficientem continet, cur prædicatum ſubjecto tribuendum, quemadmodum in philoſophia prima, quæ proxime lucem adſpiciet, a me demonſtratum eſt. Vnde in Logica oſtendi (a), veritatem propoſitionis eſſe determinabilitatem prædicati per notionem ſubjecti. Atque ideo ex notione ſubjecti demonſtratur, prædicatum eidem convenire, per propoſitiones alias, quibus tanquam principiis utimur. Quodſi volupe fuerit ea evolvere, quæ de forma demonſtrationis oſtenſivæ in Logica (b) docuimus, connexio propoſitionum clariſſima evadet.

§. 3. Veritates univerſales ſeu propoſitiones univerſales inter ſe connexæ *ſyſtema doctrinarum* conſtituunt. Etſi enim uſus loquendi ferat, ut ſyſtematis nomen libris imponatur, in quibus *Syſtema doctrinarum.*

ſcho-

(a) §. 513. (b) §. 551. & ſeq.

ſcholæ, quem appello (c), ordine dicenda congeruntur, ita ut uno in loco compareant, quæ ad idem ſubjectum ſpectant, nulla prorſus habita ratione, quomodo cognitio unius a cognitione alterius pendeat; id tamen inde accidit, quod connexionis propoſitionum diſtincta, immo ſatis clara notione deſtituantur, non quod ſyſtematis alia utantur: videmus enim ſyſtematum vulgarium, hoc eſt, non re, ſed nomine talium conditores laudari ob rerum pertractatarum connexionem, etſi nulla prorſus in opere commendato appareat. Propoſitiones profecto, quæ proponuntur, aut ea ratione ordinantur, ut unius veritas per alias anteriores demonſtretur, aut ita diſponuntur, ut veritas unius per alias anteriores demonſtrari nequeat. In priori caſu propoſitiones inter ſe connecti, ecquis negare auſit? In caſu adeo poſteriori minime connectuntur. Quodſi ergo in eo conſentimus, in ſyſtemate doctrinas, quæ proponuntur, inter ſe connecti; defectui omnino attentionis ad notionem connexionis, aut ipſi hujus notionis defectui tribuendum, ſi quis congeriem propoſitionum ad idem

(c) §. 829. *Log.*

idem ſubjectum pertinentium, ſed inter ſe minime connexarum, ſyſtema vocet, propterea quod unum argumentum videtur rationem continere, cur de altero quoque in eodem libro tractatio inſtituatur, veræ connexionis doctrinarum ſeu propoſitionum univerſalium notioni falſa ſubſtituta (§. 2.). Quodſi quis malit ſenſu quodam vago & minus determinato appellare ſyſtema, quod per noſtram notionem fixam & determinatam tam auguſtum nomen non meretur; per nos utatur ſua loquendi libertate, ſed eadem nos quoque majore jure frui permittat, qui per leges methodi philoſophicæ, quam alibi (d) explicatam dedimus, a vago & indeterminato vocum ſignificatu abhorrere debemus.

§. 4. Quoniam intellectus ſyſtematicus propoſitiones univerſales inter ſe connectit (§. 2.), in ſyſtemate autem doctrinarum propoſitiones univerſales niſi inter ſe connexæ locum non inveniunt; intellectus ſyſtematicus percipit voluptatem ex ſyſtematis *Intellectus ſyſtematicus ſyſtematum amans.*

(d) in diſcurſu præliminari operi logico præmiſſo §. 120.

matis, veri nempe nominis, conſequenter ſyſtemata amat, nec in cognitione rerum acquieſcit, niſi eam ad ſyſtema reduxerit. Atque in eo prorſus differt ab intellectu non ſyſtematico, quod ut appareat, notionem intellectus non ſyſtematici animo recolamus neceſſe eſt.

Intellectus non ſyſtematici definitio.

§. 5. Cum intellectus non ſyſtematicus ſyſtematico ita opponatur, ut non ſyſtematico inſtructus ſit, qui ſyſtematicum non habet; ideo *Intellectus non ſyſtematicus* erit, qui propoſitiones univerſales non connectit, ſed ſingulas quaſi cum ceteris nihil commune habentes intuetur. Nimirum propoſitiones non connectuntur, quæ ita minime ordinantur, ut veritas unius pateat continuo per veritatem ceterarum, quam independenter ab iſta cognovimus. Qui libros vulgari modo conſcriptos evolvit, is ſatis ſuperque intelligit, quid ſit propoſitiones non connectere, ſed ſingulas a ceteris quaſi ſejunctas proponere. Multo tamen clarius idem patet, ſi librum vulgari modo conſcriptum cum Elementis *Euclideis* confert, ut differentia

Digitized by Google

tia inter propoſitiones nullo vinculo inter ſe cohærentes & propoſitiones arctiſſime inter ſe connexas in ſenſum veluti incurrat.

§. 6. Intellectum ſyſtematicum habuere Geometræ veteres *Euclides*, *Archimedes*, *Apollonius*, *Theodoſius* & in univerſum Mathematici omnes veri nominis, qui ſcientia mathematica animum habent imbutum, nequaquam vero tantummodo habitum quendam ſibi compararunt praxes quasdam ex Matheſi derivatas exercendi. Etenim in elementis *Euclideis* non occurrunt niſi propoſitiones univerſales, utpote ſufficienter determinatæ, ita ut & notiones communes, quæ ſine probatione ſumuntur, ad formam propoſitionum univerſalium revocentur. Singulæ propoſitiones inter ſe connectuntur, cum poſteriores per anteriores tanquam per principia demonſtrentur. *Archimedes*, *Apollonius* & *Theodoſius*, quorum opera uno volumine comprehenſa edidit *Iſaacus Barrovvius*, ſi librum quintum, ſextum & ſeptimum *Apollonii* exceperis, quos pro deperditis habitos ex Arabica verſione in La- *Intellectus ſyſtematici exempla.*

ſinum translatos edidit *Joannes Alphonſus Borellus*, ultra Geometriam elementarem ab *Euclide* traditam progredientes non modo eodem prorſus modo propoſitiones, quas tradunt, determinatas, easque univerſales inter ſe, verum etiam cum elementis *Euclidis* connectunt. Et quis neſcit Mathematicos continuo inventa ſua cum inventis anteriorum connectere? Quodſi quis ea de re dubitet, is evolvat elementa noſtra Matheſeos univerſæ, in quibus præcipua veterum ac recentiorum Mathematicorum inventa cum Elementis *Euclidis* connexa damus, addituri in poſterum peculiari volumine, quæ ex ſublimioribus hodie repertis deſiderantur, cum iisdem connectenda, ubi nova illorum editio limatior ad umbilicum fuerit perducta, cujus nunc Tomus primus ſub prelo ſudat, præſertim cum in uſum artis inveniendi, quæ aliquam operis philoſophici partem conſtituet, inventa iſta accurratiori trutina nobis ſint expendenda. Si quis dubitet, num *Ptolemæus* intellectum habuerit ſyſtematicum, propterea quod Almageſtum ipſius

Digitized by Google

ipſius, ſeu opus Aſtronomicum, cui ipſe magnæ compoſitionis indidit nomen, communi more conſcriptum videtur, utpote continuo diſcurſu in capita digeſtum, is evolvat Mathematici clariſſimi *Joannis Regiomontani* Epitomen operis *Ptolemaici*, in qua a *Ptolemæo* tradita ad formam elementorum *Euclidis* in propoſitiones digeſſit, hasque cum Elementis *Euclidis* connectit. Sed in Matheſi prorſus hoſpes ſit neceſſe eſt, qui in dubium vocaverit, Mathematicis & olim fuiſſe, & hodienum eſſe intellectum ſyſtematicum, cum intellectus ſyſtematici notionem non aliunde rectius quam ex ſcriptis Mathematicorum haurire poſſis.

§. 7. Videamus vero, an iſtiusmodi exempla etiam occurrant inter philoſophos & eruditos alios. Inter veteres *Ariſtotelem* intellectum habuiſſe ſyſtematicum, ex Organo ipſius apparet; quod, ſi ad lectionem afferantur notiones, quæ ad idem intelligendum ſufficiunt, ita conſcriptum eſſe apparet, ut veritas una per alias demonſtretur, ſimulque notio intellectus ſy- *Exempla alia.*

ſtematici in præceptis ibidem propoſitis contineatur. Neque ullus dubito, *Ariſtotelem* eam theoriam, quam in Organo ſuo propoſuit, ex attenta lectione Elementorum *Euclidis* derivaſſe, quemadmodum mihi attenta demonſtrationum mathematicarum, præſertim *Euclidearum*, conſideratio ad theoriam Logicæ genuinam inveniendam profuit: qua reperta, nec inania eſſe præcepta intellexi, quæ *Ariſtoteles* tradidit, antea parum intellecta, cum genuinæ notiones ex praxi hauſtæ mihi nondum ſuppeterent. Etſi autem in ceteris ſcriptis *Ariſtotelis* non ea appareat methodus, qua *Euclides* uſus eſt; non tamen deſunt intellectus ſyſtematici indicia. Neque enim putandum eſt, quotquot diſpoſitionem naturalem, quam Philoſophi appellant, intellectus ſyſtematici nacti ſunt, eos eandem ad iſtum habitum evehere, vel pro temporum rerumve ſuarum cognitione evehere poſſe, ut omnem rerum cognitionem in ſyſtema actu redigant, quam ſibi compararunt, vel ſyſtema animo in ideis conceptum cognitioni quoque ſymbolicæ inferant.

Cui

Digitized by Google

Cui principia verioris Metaphyſicæ intimius fuerint perſpecta, communi experientia comprobata, ſi ingenii luce colluſtretur, ei manifeſta ſunt, ut, quæ per rei naturam fieri poſſunt, ad actum perducantur, extrinſecis opus eſſe determinationibus; quæ non ſemper in agentis rationalis poteſtate poſita ſunt. Sane *Confucius*, magnus ille Sinarum philoſophus, is erat, in quo intellectus ſyſtematici naturalis diſpoſitio eminebat; quæ enim in ideis ipſius continebantur, non modo acumen profundum ſapiunt, verum etiam pulcherrimo nexu inter ſe cohærent, ut, qui intellectu ſyſtematico pollet, ac notionibus animum habet refertum, verbis factisque *Confucii* reſpondentibus, in ſyſtema ordinatiſſimum redigere queat veritates univerſales in ideis *Confucii* clariſſimis, ſed minime diſtinctis olim contentas. Quoniam tamen in ea incidit tempora, ubi deerant, quæ extrinſecus in diſpoſitionem naturalem ad habitum evehendam influere debebant; ipſum habitum nunquam fuit conſecutus. Non tamen otioſa ac inutilis prorſus eidem erat diſpoſitio

illa naturalis intellectus ſyſtematici prorſus præclara: neque enim absque ea ideas rerum moralium atque civilium ſolas animo infixiſſet, quæ ſyſtema pulcherrimum idemque veritati conſentaneum comprehendunt ab eo in apricum producendum, qui ideas *Confucianas* in animo ſuo excitare, ac veritates univerſales in iis latentes eruere, erutas inter ſe connectere valet (e). Inter recentiores philoſophos, qui nomen clariſſimum fuere conſecuti, *Carteſius* intellectus ſyſtematici exemplum præbet, quemadmodum ex ejusdem Meditationibus & Principiis liquet, magni vel hoc nomine faciendus, quod modum ex notionibus diſtinctis philoſophandi nobis aperuit, profligatis ex philoſophia confuſis atque obſcuris, quæ Scholaſticam obſcurabant, etſi ab ipſomet (quod in primo autore ferendum) non ſufficienter excultum, ab aſſeclis vero in abuſum pertractum. Non omnes recenſemus cum veteres, tum recentiores philoſophos, quibus intellectus fuit ſyſtematicus, cum tantum

(e) Vid. Oratio de Sinatum philoſophia practica.

Digitized by Google

tum exempla commemorare nonnulla velimus, nequaquam vero nobis propoſitum ſit, eundo per omnium ſeculorum memoriam catalogum eorum contexere, qui intellectum ſyſtematicum poſſederunt. Vt vero appareat, intellectum ſyſtematicum non eſſe Mathematicorum & philoſophorum proprium, exemplis in medium adductis, unicum adhuc ſubnectere liceat. Prodeat igitur in ſcenam *Caſparus Neumannus*, Theologus apud Vratislavienſes nuper clariſſimus. Specimen is intellectus ſyſtematici luculentiſſimum exhibuit, dum in Geneſi linguæ ſanctæ ſignificatum vocum hebraicarum eſſentialem ſcrutatus eſt, & ea de re mentem ſuam in Clave, quam vocat, Domus Heber, uberius expoſuit. Eam enim excogitavit hypotheſin, quæ nonniſi ab intellectu ſyſtematico proficiſci poteſt, eoque modo hypotheſi ſua uſus, qui nonniſi ſyſtematicis convenit ingeniis. De veritate ejus judicent alii, quorum intereſt Hebraiſmi fontes limpidos conſervari; nobis ſufficit hypotheſin iſtam prorſus ſyſtematicam deprehendi. Supponit enim,

Digitized by Google

nos non habere ideas niſi rerum materialium, & immaterialia concipi ad ſimilitudinem materialium, ideas vero materiales reſolvi in materiæ & motuum ideas ſimpliciores. Hinc litteræ hebraicæ vel materiam ſignificant, vel certas motuum ſpecies, atque inde exſculpitur ſignificatus quidam generalis vocum Hebraicarum, unde emphaſis earum explicatur, cum hinc denominationis reddi poſſit ratio, re, quam eædem denotant, intimius intellecta. Quoniam Theologo huic eminenti ſyſtematicus erat intellectus, ideo ſyſtema Theologiæ veri nominis adhuc deſiderari affirmat, cum in libris, quibus vulgo hoc nomen tribuitur, nondum ita inter ſe connexæ ipſi viderentur veritates theologicæ, quemadmodum in ſyſtemate fieri debebat. Immo ſermones quoque ejusdem ſacri, quos ad populum pro ratione muneris eccleſiaſtici habebat, intellectus ſyſtematici indicia præbebant manifeſta, non modo in textus applicatione, ſed ejus quoque applicatione ad theoriam fidei ac praxin pietatis, cum unum continuo ex altero explicaretur & colligeretur, ut & veri-

veritatum revelatarum conſenſus appareret, & theoria credendorum in praxin agendorum influeret. Veritates revelatas non minus inter ſe connecti poſſe, quam naturales, alibi oſtendi (f). Nullum adeo dubium ſupereſt, quin in ſyſtema veri nominis eædem redigi poſſint. De utilitate iſtiusmodi ſyſtematis ſtatuet, qui probe perpenderit, quæ de intellectus ſyſtematici præſtantia & ejus præ communi prærogativa mox fuſius docentur.

Differentiæ intellectus ſyſtematici & non ſyſtematici exemplis illuſtratur.

§. 8. Si quis differentiam, quæ inter intellectum ſyſtematicum & non ſyſtematicum intercedit, exemplis doceri cupit, is ſcripta *Carteſii*, Meditationes præſertim, Principia Philoſophiæ & Tractatum de Meteoris cum ſcriptis *Gaſſendi* conferat. Etſi enim uterque merito ſuo philoſophus magni nominis habeatur; *Carteſius* tamen alio prorſus modo philoſophatur, quam *Gaſſendus*. Etenim *Gaſſendus* cum multæ ac diffuſæ eſſet lectionis, de iis, quas tractat, rebus ſcitu non inutilia proponit non ſine judicio eligens, quæ veritati magis convenire

(f) Log. §. 980.

exiſtimavit. Sed non perinde, ac a *Carteſio* factum apparet, ex principiis quibusdam poſitis continuo nexu cetera inde ab eo deducuntur. Vnde & ſcripta *Gaſſendi* magis ſunt ad captum atque palatum eorum, qui veritatum connectendarum notionem nullam habent, ſed ſingulas tanquam cum ceteris nihil commune habentes intuentur, quam *Carteſii*, quem ubi legunt, non intelligunt, cum eam attentionem afferre nequeant, quæ ad veritates inter ſe connexas perpendendum requiritur, in ingenia autem minus ſyſtematica non cadit.

Intellectus ſyſtematicus veritatem intimius perſpicit.

§. 9. Agedum vero intueamur propius prærogativas, quibus intellectus ſyſtematicus non ſyſtematico præſtat, ne inutili labore defungi videamur, ubi veritates connectere, & connexas in ſyſtema redigere tentamus. Primum itaque obſervamus, veritatem propoſitionum multo evidentius cognoſci, ubi in ſyſtema fuerint redactæ, quam ubi vulgari more tanquam ſcopæ diſſolutæ proponuntur. Conſtat enim, nos veritates alicujus propoſitionis non eſſe convictos, antequam conſtet,

Digitized by Google

ſtet, & principia non ſumi ad eam probandam, niſi quæ certa eſſe jam cognovimus, & formam probationis legitimam eſſe (g). Formam probationis legitimam, quam alibi accuratiſſime delineavimus (h), vix tenebit niſi intellectu ſyſtematico inſtructus; id quod & a poſteriori patet, cum communi eruditorum more argumenta magis indicentur, quam evolvantur, ut eorum vim ac efficaciam non ſentiat intellectus ſyſtematicus. Sed demus intellectum non ſyſtematicum genuinam probationis formam comprehenſam habere; cum tamen propoſitiones non eo ordine digeſtas didicerit, ut veritas unius per veritatem alterius pateat, unde eidem conſtat, principia probandi, quæ ſumit, eſſe certa, nec in probatione committi circulum? Alia longe eſt ratio intellectus ſyſtematici. Etenim is memoriæ non infixit propoſitiones, niſi quarum veritatem admiſit ob veritatem antecedentium, ita ut, ſi opus fuerit, analyſin inſtituere poſſit in prima principia, definitiones, axiomata atque principia ab experientiis claris deri-

(g) §. 570. Log. (h) §. 551. & ſeqq. Log.

derivata. Et quamvis ſuperfluum foret, analyſin iſtam inſtituere; in dato tamen quolibet caſu certus eſt, eam inſtitui poſſe; quod omnino ſufficit, ac revera perinde eſt, ac ſi analyſis actu inſtituta fuiſſet. Quodcunque igitur intellectui ſyſtematico ad dijudicandum offertur, id omne ad ſyſtema ſuum, quod animo comprehenſum habet, refert, conſequenter eadem evidentia contuetur, qua ſyſtema effulget. Hac ratione eandem evidentiam per omnem ſuam cognitionem conſervat. Quodſi vero ſyſtema aliquod veritatum animo comprehenſum non habueris, quod ad dijudicandum offertur, ad eas referre teneris notiones nullo nexu cohærentes, quas memoriæ infixiſti. Quamobrem cum de illarum veritate convictus minime fueris, ſed vana ſaltem perſuaſione animum obſtinatum confirmaveris; nec ea majorem certitudinem habere poſſunt; quæ vi illorum principiorum tanquam vera amplecteris. Aſſenſus adeo dubiis fortunæ fluctibus commiſſus veritatem niſi caſu non attingit. Mathematici continuo ulterius progrediuntur, & evi-

Digitized by Google

evidentiam ac certitudinem non aliter conſervant, quam quod omnia tandem ad elementa *Euclidis* referant, quibus ad ſacra illorum admittendi initiantur. Suppone enim ſyſtema veritatum paucarum earumque maxime communium, quæ tanto clariores erunt, quo notionibus communibus ſunt propiores. Quodſi ulterius progreſſuri non admittant, niſi quæ ex principiis in ſyſtemate contentis certa ratiocinandi lege deducuntur; eo ipſo ſyſtema continuis acceſſionibus augetur, ut plurium tandem opera conjuncta in molem excreſcat. Non alia ſane ratio eſt, quod Matheſis continuo nova capiat incrementa, cum diſciplinæ ceteræ potius deformentur, quam excolantur, & decrementa magis patiantur, quam ut incrementis ſuperbiant.

Securus in ſcientiis progreſſus unde pendeat.

§. 10. Ex his adeo manifeſtum eſt, ſi intellectus formetur ſyſtematicus, ſecurum fieri in ſcientiis progreſſum, modo caveamus, ne *ſyſtema elementare*, quod primas veritates continet, erroribus ſit obnoxium. Etenim ſi errores pro veritate amplectaris, & ex iis

iis tanquam principiis alia deducas, dato uno abſurdo ſequentur plura, & error continuo multiplicabitur, ita ut tandem ſyſtema errorum, non veritatum obtineatur: etenim errores non minus inter ſe connectuntur, & iisdem ratiocinandi legibus alii ex aliis deducuntur, quibus veritates incognitæ ex aliis cognitis in apricum protrahuntur (i). Exemplum habemus in *Spinoſa*, qui abuſu intellectus ſyſtematici condidit errorum ſyſtema, propterea quod defectu ſyſtematis elementaris errores capitales amplexus fuerit, antequam de ſyſtemate condendo cogitaret, atque deinde pro ea, quæ ipſi erat, ingenii acie talia poſuit principia, ex quibus errores ejus demonſtrativa quadam ratione ſequerentur. Intellectus ſyſtematici eſt ex principiis, quæ de ſecuturis parum ſollicitus æqua animi lance ponderavit, deducere, quæ certa ratiocinandi lege inde ſequuntur; intellectu autem ſyſtematico abutitur, qui propoſitionibus, quas nondum ſufficienter probatas tanquam certas ſumit, principia aptat, ex quibus eædem legitima ratiocinatione deducantur.

(i) § 626. & ſeqq. Log.

Digitized by Google

tur. Quodſi objicias, ſi propoſitio ad dijudicandum proponatur, aptanda quoque eſſe principia ad concluſionem, conſequenter id abuſui intellectus ſyſtematici tribui minime poſſe; haud difficulter oſtendimus, inſignem omnino differentiam intercedere inter propoſitionum in ſyſtema relationem & principiorum ad propoſitiones datas aptationem, unde legitima ratiocinandi lege conſequuntur. Etenim qui propoſitionem datam ad ſyſtema, quod animo concepit, refert, is determinationem ſubjecti ſumit, & ex ea vi principiorum e ſyſtemate mutuatorum legitima ratiocinatione colligit, quod per notionem ſubjecti determinatur, prædicatum. Quodſi idem fuerit cum eo, quod in propoſitione data ſubjecto tribuitur, propoſitionem ipſam tanquam veram amplectitur, & ſyſtemati ſuo tanquam eidem congruam ſuperaddit de nova acceſſione lætatus. Quodſi vero diverſum ab illo prodierit, propoſitionem ipſam tanquam falſam rejicit, & ex ſyſtemate ſuo tanquam eidem adverſam excludit, contrariam vero, quam & veram, & ſyſtemati

mari ſuo conſentientem deprehendit, eidem adjicit, non minori quam antea voluptate perfuſus. Alia longe eſt ratio, ubi principia ad propoſitionem aptantur, quæ vera ſumitur, antequam ejus veritas fuerit perſpecta. Etenim in hoc caſu principia vel deſumuntur ex ſyſtemate, vel aliunde petuntur. Vbi ex ſyſtemate deſumuntur, quod veritates complectitur, ratiocinandi forma negligitur, quando principia vera aptantur ad concluſionem, quæ inde minime ſequitur. Non deſunt exempla inter ipſos Mathematicos præclari nominis. Ratio autem in promptu eſt. Etenim ſi ex principiis poſitis colligitur propoſitio, quæ inde minime ſequitur, id vel vitio materiæ, vel vitio formæ accidit. Vbi principia deſumuntur ex ſyſtemate vero, veluti ex elementis *Euclidis*, aut iisdem connexis diſciplinis, vitium in materia minime hæret. Hæret igitur in forma; id quod & experiri datur, ſi ad exempla inter Mathematicos obvia animum advertas. Vbi principia aliunde petuntur, & ratiocinandi forma legitima obſervatur; ea in gratiam propo-

ſitio-

Digitized by Google

ſitionis finguntur, ac ideo admittuntur, quod hanc inde ſequi animadvertimus, quemadmodum accidit *Spinoſæ*, nec inter Mathematicos primi ordinis deſunt exempla, ubi aliunde certas concluſiones a priori demonſtrare voluerunt, quo in caſu ipſa quoque principia certa ſint neceſſe eſt, cum ex propoſitione certa conſequantur, ſi ea primum ponitur. Vbi principia aliunde, quam ex ſyſtemate petuntur, ac forma ratiocinandi ſimul negligitur; principia & vera & falſa eſſe poſſunt, perinde ac concluſiio vel vera eſt, vel falſa, ad quam illa aptantur.

§. 11. Videamus neceſſitatem ſyſtematis elementaris, cujus defectu intellectus ſyſtematicus in errores incidit, & ex uno errore alios legitima ratiocinandi lege deducit. Docendum itaque eſt, quænam in ſyſtemate elementari condendo obſervari debeant, ut intellectui ſyſtematico formando & ad altiora præparando ſufficiat. Omnis ad noſtra cognitio ortum trahit a notionibus communibus, obvia experientia acquiſitis, quibus vulgo utimur omnes in communibus vitæ negotiis. *Syſtematis elementaris ratio.*

Quamobrem in ſyſtemate elementari notiones iſtæ communes, quæ claræ quidem ſunt, ſed confuſæ, univerſalitate in imaginibus ſingulorum latente, reducendæ ſunt ad diſtinctas, & verbis determinati fixique ſignificatus expreſſæ ab imaginibus ſeparandæ, ut abeant vel in definitiones, vel in propoſitiones univerſales ad ratiocinandum utiles, ubi veritates a priori deducendæ. His notionibus ita reductis utendum eſt tanquam principiis primis, nec admittendum tanquam verum, ſyſtematique inferendum, niſi quod legitima ratiocinandi forma eorum ope ex aſſumtis eruitur, quæ vel definitiones nominales, vel determinationes ſubjecti in propoſitionibus natura ſua hypotheticis conſtituunt. Hac ratione enim prima diſciplinæ principia, quæ ſyſtema elementare continet, non modo inter ſe, verum etiam cum notionibus communibus connectuntur, atque ab his lucem mutuantur, & ſi quis propoſitionem aliquam in dubium vocare velit, indirecta demonſtratione in eas anguſtias compellitur, ut notionem communem ab omnibus con-

conceſſam communique uſu approbatam, quam & ipſe praxis rectricem in caſu dato agnoſcit, immo volens nolensque agnoſcere tenetur, negare cogatur, niſi illam concedere velit. Major adeo evidentia expectanda non eſt ea, qua ſyſtema elementare effulget, cum ſingula tantum habeant certitudinis gradum, quantum habent notiones communes, quas in dubium vocare nequit, niſi qui cum uſu rationis ipſum ſenſuum uſum ejuravit. Dedimus ſyſtematis elementaris notionem; quam in numerum impoſſibilium minime referendam eſſe docent elementa *Euclidis*. Acutiſſimus ille Geometra & veram ſyſtematis elementaris notionem habuit, & ei conformè opus condidit, præclarum antiquitatis monumentum. Axiomata enim, quæ ſumit in Elemento primo & quinto eſſe notiones communes ab imaginibus ſeparatas, atque ad propoſitiones determinatas revocatas, ut iisdem ſua conſtet univerſalitas, in philoſophia, quæ proxime in lucem prodibit, prima oſtendimus. Quæ in Elemento ſeptimo comparent axiomata, non ſunt niſi

anteriora ad numeros applicata, caſu ſpeciali ex generali per immediatam conſequentiam collecto. Etenim cum *Euclides* elementa Arithmeticæ ab elementis Geometriæ diſtincta tradiderit, utrisque communia de magnitudinibus continuis atque numeris ſigillatim demonſtrans, propterea quod veteres cognationem, quæ inter Geometriam & Arithmeticam intercedit, non ſatis clare perſpicerent; autor circumſpectus nihil deſiderari paſſus eſt, quod ad conſervandam evidentiam in utroque ſyſtemate elementari, geometrico & arithmetico, neceſſarium videbatur. Majus adeo acumen probavit Elementorum conditor, ac vulgo putatur, genuinamque ſyſtematis elementaris notionem ipſo opere exhibuit; quæ ſane ratio eſt, cur a *Platone* ſummi acuminis philoſopho maximi fuerit habitus. Etſi enim veritates mathematicas, quas elementis ſuis comprehendit, non ipſe invenerit, ſed plerasque ab aliis inventas in ſyſtema redegerit; plurimum tamen præſtitit, dum diſperſas collegit, collectasque in ſyſtema veri nominis redegit, & diſtincta explicatione ad notiones

tiones communes reduxit, unde tanta earum nata eſt evidentia ac certitudo, ut attentus quivis lector ad aſſenſum trahatur; tanta utilitas, ut ab iis maxime remotæ veritates aliæ evidentiam a notionibus communibus mutuentur, minime negandæ, quamdiu ipſæ admittuntur. Enimvero erunt forſitan, qui negaturi ſunt iſtiusmodi ſyſtemata elementaria etiam extra Matheſin condi poſſe, propterea quod *Euclidei* rationem minime perſpectam habent, objecto tribuentes, quod methodo conveniebat. Enimvero qui ex opere noſtro Logico perſpexerunt, methodum, quam *Euclides* tenuit, non ab objecto, quod tractat, derivari, ſed ex ipſa entis notione generali & mentis humanæ naturā deduci; ei dubium iſtud veluti ſponte ſua evaneſcit, quatenus forma methodi difficultatem faceſſit. Quodſi vero quis alterum adhuc dubium urgeat, non proſtare notiones communes, ad quas ceteræ diſciplinæ eodem modo revocentur, quo Matheſis ab *Euclide* revocata fuit; ei quidem ipſum non aliter eximi poterit, quam ubi ipſo facto con-

contrarium doceatur. In philoſophia prima notiones pleraſque omnes ad communes revocamus, & propoſitiones demonſtramus iisdem reſpondentes, veluti propoſitiones omnes, quas *Euclides* in axiomatis ſumit, aliasque iisdem affines. Hoc autem pacto non modo ipſam philoſophiam primam ad notiones communes revocavimus, quæ omnium maxime ab iis abhorrere videri poterat, verum etiam ex parte pleraſque diſciplinas alias, quæ perinde ac Matheſis principia ſua prima inde mutuantur: etenim ſi a Matheſi pura diſceſſeris, quæ ſola in principiis ex philoſophia prima aſſumtis tanquam primis acquieſcere valet, cum omnia ibi prorſus a priori deducantur, in diſciplinis ceteris aſſumenda adhuc ſunt principia quædam alia, quæ notionibus communibus reſpondent, ad philoſophiam primam minime ſpectantibus. Quamobrem & *Euclides* ad Opticam progreſſus, & hujus quoque diſciplinæ ſyſtema elementare daturus, aſſumit axiomata, quæ notionibus quidem communibus æque ac geometrica & arithmetica reſpondent, mini-

Digitized by Google

minime tamen in philoſophia prima demonſtrantur, ſed ad Phyſicam ſpectant, aut, ſi mavis, naturæ cognitionem mathematicam. Quemadmodum vero Logicam ad notiones communes quasdam pſychologicas reduximus, præter eas, quæ ex philoſophia prima deſumſimus; ita in ceteris quoque diſciplinis ad eas tanquam fundamentum recurremus.

Qua ratione ſyſtema elementare ab erroribus immune obtineatur.

§. 12. Plurimum intereſt, ut ſyſtema elementare ab erroribus ſit immune, quemadmodum paulo ante (§ 10) evicimus. Quamobrem non immerito disquirendum, quomodo certi reddamur, nullum in iſtud errorem irrepſisſe. Duplex adeo inſtitui poteſt examen, alterum quidem a priori, alterum vero a poſteriori. Examen a priori inſtituimus, ubi principia, quæ ſine probatione ſumuntur, ad exempla transferimus, ut appareat, num univerſale in iisdem latens eidem reſpondeat, quemadmodum axiomata *Euclidea* ad examen revocamus; propoſitionum vero demonſtrationes eo modo reſolvimus, quem in opere noſtro Logico docuimus (k): ex hac enim analyſi

(k) § 551. & ſeqq. Log.

lyſi cum appareat, nec principia ſumi demonſtrandi, niſi certa, nec in forma ratiociniorum eorumque concatenatione a vero aberrari; nihil quoque in certitudine deſiderari amplius poteſt (l). Quodſi vero verearis, ne aliqua ex parte attentionem tuam deſiderari patiaris; examini a priori jungi præſtat examen a poſteriori. Fatetur *Leibnitius* (m), potiſſimam cauſam ſucceſſus in Mathematicis eſſe, quod res mathematicæ ſua examina & comprobationes ſecum ferant; ſed in Metaphyſicis hoc commodo nos carere affirmat. Enimvero nos non minus res philoſophicas in univerſum omnes, quam mathematicas examina ſua habere comperimus, & ipſo opere oſtendimus. Examina rerum mathematicarum conſiſtunt maxima ex parte in applicatione veritatum univerſalium ad exempla ſingularia. E. gr. Si problema quoddam algebraice reſolvimus; data ſumimus ſingularia & ex iis juxta formulam per calculum erutam determinamus numerum, vel numeros quæſitos;

(l) § 569. 570. Log. (m) in Actis Erudit. A. 1694. p. 111.

Digitized by Google

ſitos; qui ſi eas conditiones habere deprehenduntur, quos habere debent vi problematis, reſolutio rite facta inde comprobatur. Enimvero quis neſcit, in ipſa Ontologia, quæ Metaphyſicæ pars omnium maxime abſtracta eſt, nullam dari notionem, cui exempla minime ficta, ſed vera convenientia afferri poſſunt? Habes igitur in omni philoſophia examina, ſi idem a poſteriori, ſive per obſervationes, ſive per experimenta, confirmes, quod a priori fuerat demonſtratum; quod adeo certum eſt, ut nec theologia naturalis iſtiusmodi examinibus deſtituatur, quatenus per naturæ opera intimius perſpecta a poſteriori comprobantur, quæ in illa a priori demonſtrantur (n). Philoſophia experimentalis, cujus haud poſtremus uſus eſt, explicationes rerum naturalium a priori factas a poſteriori confirmare, non intra Phyſicæ ſolius pomœria continetur, ſed multo latius patet, ita ut ipſius theologiæ experimentalis quædam ſpecies detur, ubi de revelata, non naturali, ſermo nobis fuerit, utut hactenus non-

(n) Vid. die Gedancken von den Abſichten der natürlichen Dinge.

dum pro ſua amplitudine exculta. Sed ea de re dicemus aliquando ex inſtituto. Quodſi igitur ſyſtemati non inferantur, niſi quæ ex anterioribus demonſtrata, ſive per obſervationes, ſive per experimenta, fuere comprobata; nihil profecto obſtat, quo minus ſyſtema elementare, conſequenter & omne reliquum, ab erroribus immune obtineas, modo eidem condendo non ante operam tuam addicas, quam ubi tanto operi par extiteris. De facultatibus autem tuis non plus ſperabis, quam in iis eſt, ubi tibi intelligere datum fuerit, quæ modo de ſyſtemate elementari condendo (§. 11) & de notione ſyſtematis in genere paulo ſuperius (§. 3) diximus.

Claritas in ſyſtemate conſervanda. §. 13 Vbi iſtiusmodi examina & comprobationes non negliguntur, claritas ſimul per omne ſyſtema conſervatur. Etenim veritates univerſales ſicuti evidentiam habent a demonſtratione, qua aſſenſus extorquetur; ita claritatem ab exemplis, quibus illuſtrantur, & quæ examina illarum præbent, ubi fuerint vera. Claritas nimirum notionibus univerſalibus ineſt, quatenus eas

in

in ſingularibus intuemur: neque enim, quæ mente ſeparantur, diſtinctisque nominibus inſigniuntur, a ſingularibus, in quibus exiſtunt, actu ſeparari poſſunt, ut extra eadem ſigillatim exiſtant, lucem verbis affuſuræ ſua præſentia, ne ſint inania. Caveat vero, qui veritatis cupidus eſt, ne iſtiusmodi examina in pluribus caſibus impoſſibilia per præcipitantiam pronunciet, qui talia a ſe inſtitui non poſſe, nec hactenus ab aliis inſtituta eſſe agnoſcit. Etenim ſi noſtro more philoſophaturi ſunt poſteri, multa ipſo opere præſtabunt, quæ nunc, quomodo fieri debeant, minime intelligunt.

§. 14. Qui intellectu ſyſtematico præditi ſunt, omnium facillime contradictiones vitant, ita ut præſtantius contra eas remedium præſcribi non poſſit continuo illo ſtudio, quod intellectui in ſyſtematicum convertendo impendimus. Mathematici ſane omnium maxime a contradictionibus liberi ſunt, ita ut in talia minime incidant, quæ principiis primis contradicunt, etſi longiſſimo intervallo ab iis digrediantur, nec principiorum memoriam tunc

Contradictionum evitatio.

tunc temporis habeant, quo de his cogitant. Quodſi contingat, ut aliqua in re attentionem ſuam deſiderari paſſi (id quod non una de cauſa accidit), in contradictoria incidant, quæ una cum ſyſtemate veritatum, quod ipſis eſt, conſiſtere nequeunt, ea vel ab aliis, quibus attentio requiſita non ſufficit, facile animadvertuntur & emendantur, vel ipſimet alio tempore eadem animo volventes, quo is ab attentionis impedimentis vacuus eſt, contradictionem nemine monente perſpiciunt, &, quod verum eſt, erroneo ſubſtituunt, aut, ubi veritas detecto errore nondum patet; hunc miſſum faciunt, nec ſyſtemati inferunt, ne uno admiſſo abſurdo ſequantur plura. Nec deſunt rationes a priori, quibus idem clariſſime oſtenditur. Intellectus ſyſtematicus omnem cognitionem ſuam in ſyſtema redigit, veritates univerſales inter ſe connectens (§. 2. 3.). Quoniam igitur veritates inter ſe connectuntur, ſi aliæ per alias tanquam per principia demonſtrantur (§. 2.); ad demonſtrandam propoſitionem quamcunque datam non ſumuntur niſi principia, quæ in

in ſyſtemate continentur. Quamobrem cum propoſitiones poſteriores ex anterioribus legitima conſequentia deducantur; iisdem contradicere nequeunt, quin potius poſteriora conveniunt prioribus, iisque conſentanea ſunt. Etſi enim tantus ſit eorum numerus, quæ in ſyſtemate continentur, ut omnium meminiſſe impoſſibile habeatur, immo ſi vel maxime quorundam anteriorum, a quibus tanquam principiis remotis pendet evidentia propoſitionis datæ, prorſus fueris oblitus, modo propiora noveris, quibus in contexenda demonſtratione opus eſt; nunquam tamen in propoſitionem aliquam incidere poteris, quæ ulli in ſyſtemate contrarietur, cum ſingulis in eodem contentis conſentire debeat, quæ nonnullis conſentit inſtar principiorum demonſtrationem ingredientibus. Enimvero intellectus non ſyſtematicus non eadem felicitate contradictiones evitat, quam ſyſtematicus. Cum enim propoſitiones inter ſe minime connectat, ſed ſingulas ſigillatim expendat, neque principia, quibus ad probandum eas utitur, ſufficienter evol-

evolvat, reſolutione in alia ſimpliciora facta, quod intellectus ſyſtematici proprium eſt, immo nec ex iis, quæ ſumit, principiis diſtincta ratiociniorum analyſi concluſiones deducat; nihil profecto facilius eſt, quam ut propoſitionem aliquam amplectatur tanquam veram, quæ aliis contradicit, quas defendit. Quodſi memoriæ non mandavit, quæ tanquam vera ante admiſit; fieri omnino poteſt, ut de eodem ſubjecto nunc affirmet, quod ante negaverat, vel nunc neget, quod ante affirmaverat. Proſtant ejus rei illuſtria exempla paſſim apud Autores famam latam conſecutos, quæ hic in medium adduci eo minus neceſſarium exiſtimamus, quo magis obvia ſunt & pervulgata. Si cui ſufficere videatur ad evitandum contradictiones, ut non amplectemur propoſitionem niſi veram, cum veritas veritati contradicere nequeat, etſi utriusque conſenſum minime perſpiciamus; ei ambabus manibus largimur ipſum ſcopo ſuo potiturum, ubi nunquam admiſerit tanquam verum, niſi quod evidenter verum agnoverit: etenim ipſe *Euclides* in axiomatis,

tis, quæ ſumit, non aliunde certum reddit lectorem, ea ſibi mutuo contradicere non poſſe, quam quod ſingula ſigillatim notionibus communibus excuſſis vera deprehendantur. Enimvero non omnium propoſitionum veritas adeo evidens eſt, ut citra probationem agnoſcatur, nec a poſteriori propoſitiones determinatæ tanta facilitate formantur, præſertim ab intellectu minus ſyſtematico, ut certi eſſe poſſimus, nos rite determinaſſe ſubjectum, nec nihil eorum omiſiſſe, quibus poſitis demum ponitur prædicatum, cum & in veritate a poſteriori inveſtiganda conſtans eſſe debeat rationis ac experientiæ connubium. Neque hic provocare licet ad exemplum *Confucii*, qui, etſi diſpoſitionem naturalem, qua pollebat, ad habitum nunquam perduxerit, ea tamen in moralibus & politicis dedit, quæ ab intellectu ſyſtematico notionibus convenientibus inſtructo optime inter ſe cohærere deprehenditur (§. 7). Etenim *Confucius*, nihil tradebat tanquam verum, niſi quod proprio experimento comprobaverat, notionibus ſingulis

lis ex praxi propria derivatis, ita ut ipſemet ſubinde magiſtratum gereret, ne deeſſet experimentorum in doctrina civili capiendorum occaſio. Quotusquisque vero eſt, qui illius exemplum imitari velit, vel poſſit, noſtro præſertim ſeculo, ubi tantum non indiſpenſabili lege tenemur, ut plura ſcire videri velimus, quam ſcimus, pauciſſimis tyrannidis conſuetudinis jugo cervicem non ſubmittentibus? Si qui in ſcriptis aliorum, qui, cum ſyſtematico intellectu polleant, ſyſtematicam offerunt cognitionem, contradictiones ſibi oſtendere videntur; id vitio ipſorum accidit, quod methodi leges ignorant, & notione contradictionis determinata deſtituantur. E. gr. Aſtronomus in parte prima Aſtronomiæ, quæ ſphærica appellatur, affirmat, cœlum intervallo viginti quatuor horarum cum omnibus ſtellis circa tellurem rotari; in parte autem ſecunda, quæ Theoricæ fert nomen, contendit, terram moveri motu vertiginis, cœlumque quieſcere. Quodſi quis dicat, Aſtronomum ſibi contradicere, cum uno in loco quietem telluris motumque

cœli

cœli, in altero telluris motum cœlique quietem defendat; is ignorantiam methodi prodit, cum ignoret, quando ex eo, quod apparet, reddi poteſt ratio alterius, quod itidem apparet, apparens poſſe ſumi tanquam verum citra præjudicium veritatis, non autem idem amplius fieri poſſe, ubi illius ratio a priori reddenda. Demus vero irrepſiſſe alicubi in ſcriptum ſyſtematicum aliquam contradictionem defectu attentionis ſcribentis, cujus variæ eſſe poſſunt cauſæ; nullibi ſane facilius ea detegetur a lectoribus peritis, quam in iſtiusmodi ſyſtemate, nec alibi, quam hic, facilius corrigetur, ipſumque ſyſtema integritati ſuæ reſtituetur. Quodſi *Euclidi* aliquid humani accidiſſet in conſcribendo ſyſtemate elementari, ut contradictio aliqua non patens, quæ in omnium oculos cadit, ſed latens, quam nonniſi intellectus ſyſtematicus detegere valet, alicubi irrepſiſſet; dudum illa ab aliis fuiſſet detecta, pulcherrimumque ſyſtema ab hoc nævo liberatum.

Antinomiæ in jure vitandæ.

§. 15. Quemadmodum vero contradictiones in omni veritatum genere non facilius evitantur, quam ſi eas

in ſyſtemata redigas; ita non rectius in jure antinomiæ, ſi quæ commiſſæ fuerint, detegentur, & in corpore juris condendo evitantur, quam ubi leges ſyſtema quoddam efficiunt. Cum *Juſtinianus* Pandectarum opus condi juberet, diſertis verbis præcipit, ut ea adhiberetur diligentia, quæ ad eliminandas antinomias ſufficit. *Nulla*, inquit (o), *in omnibus prædicti codicis membris antinomia aliquem ſibi vindicet locum; ſed ſit una concordia, una conſequentia adverſario nemine conſtituto.* Vtrum deſiderio Principis æquiſſimi fuerit ſatisfactum, nec ne; nemo rectius judicabit, quam qui leges in opere Pandectarum omnes in ſyſtema veri nominis redigerit; quod etſi difficile ſit, non tamen pro impoſſibili haberi debet. Triplici potiſſimum labore defungi tenetur, qui arduum adeo opus aggredi audet. Etenim primum in interpretandis legibus danda eſt opera, ut genuinas notiones iis reſpondentes detegamus, rerum magis quam verborum rationem habentes, id quod conſonum eſſe arbitramur

Celſi

(o) l. 1. §. 8. C. de veteri jure enucleando.

Celſi effato notiſſimo (p), quod *ſcire leges non ſit verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem*, cum vim ac poteſtatem conſtituat notio, quæ verbis reſpondet. Et quoniam in cognitione veritatum univerſalium inprimis caveri debet, ne errore ullo imbuatur animus, intellectui præſertim ſyſtematico valde nocuus (§. 10); in mente tamen aliorum interpretanda tamdiu verba eorum ita explicanda eſſe, ut nullus ſit inter ea nec a rebus diſſenſus, & ſupra monuimus, & ratione confirmavimus (§. 4. II.). Idem quoque in interpretandis legibus fieri debere tanto confidentius pronunciamus, quod *in ambigua voce legis eam potius accipiendam eſſe ſignificationem, quæ vitio caret, præſertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi poſſit*, idem *Celſus* inculcet (q). Leges deinde revocandæ ſunt ad rationes generales, unde tanquam a principiis pendent, ita ut poſitis iſtis principiis immutabili conſecutionis lege ponantur etiam leges. Tandem eædem leges cum principiis ſuis ordinandæ, ut appare-

(p) l. 17. ff. de LL. (q) l. 19. eod.

at, tum quomodo principia iſta a ſe invicem, tum leges ab hiſce principiis atque a ſe invicem pendeant: per generalia enim illa principia in luculentam conſonantiam leges eriguntur. Sed noſtrum non eſt in præſente de tantis moliminibus diſſerere enucleatius. Ceterum quæ hic de antinomiis in jure evitandis præcipiuntur, ea non tantum jus civile Romanum reſpiciunt, quod in unum corpus colligi juſſit *Juſtinianus*; ſed & de omni jure civili, quocunque in loco & quocunque tempore condatur, nullo reſpectu habito ad Romanum, accipienda ſunt. Ponamus enim ſtatuta civitatis cujusdam in ſyſtema fuiſſe redacta; leges quascunque in poſterum ferente occaſione eidem conſonas addere licebit, modo a conſiliis ſit, qui methodo pollet, ſine qua cohærentia tradere non artis, ſed fortunæ eſt. Quodſi jus in ſyſtema veri nominis fuerit redactum, tum ſingulari quodam jure *Corporis* nomen merebitur, cum corpus animale ſyſtema referat, in quo organa eorumque partes ea lege ordinantur, qua veritates in ſyſtemate ordinari convenit.

§. 16.

Digitized by Google

§. 16. Qui intellectu ſyſtematico præditi ſunt, ab autoritatis præjudicio immunes, & eclecticos agere apti ſunt. Qui enim intellectu pollent ſyſtematico, iidem non admittunt, niſi quod per principia in ſyſtemate contenta demonſtrari poteſt. Judicant adeo ex intrinſecis rationibus, minime autem ex extrinſecis (quarum differentiam me luculenter alibi (r) tradidiſſe memini), non tribuentes prædicatum ſubjecto, niſi vi notionis ejusdem. Enimvero autoritas inter rationes extrinſecas locum habet, ad quas confugiunt, qui intrinſecas minime capiunt. Eclecticum agere dicitur, qui ex Autoribus optima quæque ſeligit, verum a falſo ſeparans, certum ab incerto diſcernens. Qui intellectu ſyſtematico gaudet, is Autorum volumina fugitivo oculo percurrens, prætermiſſis in ſyſtemate ſuo jam contentis attentionem in iis ſolum propoſitionibus figit, quæ ſibi nondum perſpectæ ſunt. Eas ubi intellexerit, vel notionibus ſuis convenienter explicaverit, ex notione ſubjecti per principia

Autoritatis præjudicium quomodo evitetur, & quinam eclecticum agere poſſit.

(r) §. 1004. Log.

ex ſyſtemate ſuo deſumta deducere allaborat; quodſi per ea deprehendantur veræ, eas ſyſtemati ſuo adjicit; ſi falſæ, easdem miſſas facit (§ 9.). Atque adeo non eligit niſi veritati conſentanea, erroneis ac dubiis eorum autoribus relictis. Obiter obſervamus, hinc apparere, quantum fallantur, qui eclecticam philoſophiam demonſtrativæ opponunt, quaſi neceſſario ſcopæ ſint diſſolutæ, quæ ex autoribus in eadem principia minime conſentientibus eliguntur. Immo ſi intellectu ſyſtematico inſtructus ad autores legendos accedas, non uno modo contingit, ut, quod paradoxum, ſi non prorſus abſurdum judicabitur plurimis, ab iisdem diſcas, quæ ipſimet ignorarunt, ſicque ipſis doctior ab eorum libris recedas. Fieri enim poteſt, ut propoſitio juxta notiones ſyſtematis tui explicata ſenſum fundat verum, quæ ex mente autoris intellecta fuerit falſa. Nec minus accidit, ut alia propoſitio, quæ certum ex autore ſenſum non habet, talem in ſyſtemate tuo conſequatur, verbis autoris de re cogitandi anſam præbentibus,

Digitized by Google

cibus, quæ alias mentem tuam non ſubiiſſet. Ex eadem ratione novo commodo contingit, ut intellectus ſyſtematicus ex aliorum erroribus eliciat veritatem, ad quam alias eidem pervenire datum non fuiſſet. Cum adeo grato animo agnoſcat, qui intellectu ſyſtematico gaudet, ſi quis ei vel anſam dederit veritatem inveſtigandi, ab aliis reprehendendis ob errores commiſſos abhorret, ridens intellectum non ſyſtematicum, quod ab errore metuat veritati; etenim ſi in ſyſtemate patet veritas, error eidem oppoſitus ſponte ſua ruit. Atque ea ratio eſt, cur intellectu ſyſtematico præditi in veritate adſtruenda toti ſint, in erroribus confutandis nulli, niſi ſingularis quædam ratio ſuaſerit, aliquem quaſi in tranſitu notari, cum e contrario, qui intellectum non ſyſtematicum habent, in impugnandis erroribus toti ſint, in veritate adſtruenda fere nulli, etiamſi errorum refutatio viribus eorum ſuperior ſit.

§. 17. Quodſi ſyſtemata veri nominis proſtent, errores nos parum angunt. Etenim propoſitiones apud alios oc- *Errorum evidens detectio.*

currentes ubi fuerint propoſitionibus in ſyſtemate contentis contrariæ, eo ipſo falſæ deprehenduntur, quod iisdem contrarientur, cum in ſyſtemate non contineantur niſi demonſtratæ (s). Quodſi erroribus contrariæ propoſitiones in ſyſtemate non occurrant, per eas, quæ in ſyſtemate continentur, tanquam per principia vera, vel contrariæ erroribus propoſitiones deducuntur, vel per demonſtrationem indirectam falſitas erronearum detegitur ope eorundem principiorum. Vbi contingit, per principia in ſyſtemate contenta errorem detegi non poſſe, falſa propoſitio nobis dubia manet, neque adeo in ſyſtema recipitur. Quodſi denique in ipſo ſyſtemate errores fuerint commiſſi, lector attentus, ſi vel maxime tyro ſit, eos detegit, ubi demonſtrationes rite evolvit, quemadmodum fieri convenit, & quomodo fieri debeat, alibi (t) docuimus. Syſtematis nimirum formæ debetur facilis erroris in eo admiſſi detectio, non lectoris acumini, multo minus acumini majori eo, quod autori eſt, quemadmodum tyronibus ſubin-

de

(s) §. 1035. Log. (t) §. 551. & ſeqq. Log.

Digitized by Google

de videtur, in quibus defectus judicii toleratur. Ceterum cum errores in ſyſtemate admiſſi ſint adeo evidentes, ut vel tyroni attento pateant; multo minus iidem attentionem autoris effugiunt, ubi ad eos examinandos accedit mente magis ſerena & ab iis obſtaculis libera, quæ illam, cum ſyſtema conderet, impedivere. Quamobrem qui intellectu ſyſtematico pollent, a pertinaci errorum defenſione maxime alieni ſunt. Etenim ſi ipſis non unica cordi fuiſſet veritas, morem communem ſecuti, verbis ancipitibus ſua propoſuiſſent, ut iis ſenſum attribuere poſſent ab adverſariis impugnati, qui commodus tunc videretur, & ſuæ menti conformia aſſerere valerent, quæ ab aliis de ea re poſthac fuerint detecta. Intellectus enim ſyſtematicus non adeo hebes eſt, ut non perſpiciat iſta artificia, quibus ſubinde magna etiam ingenia utuntur, qui vanitate gloriæ ducuntur.

§. 18. Equidem plurima adhuc ſuperſunt, quæ de præſtantia intellectus ſyſtematici in medium afferri poterant: enimvero cum in poſterum in his ho- *Cur plura non addantur de præſtantia intel-*

lectus ſyſtematici. ris ſubſecivis data opera de iisdem commodius dicturi ſimus, quæ noſſe juvat, in præſente ab iis merito abſtinemus. Abunde nobis ſufficit, patere ex jam dictis ſatis ſuperque inſignem prorſus differentiam, quæ inter intellectum ſyſtematicum & non ſyſtematicum intercedit, utut ea, quæ maximæ utilitatis ſunt, veluti ſtudiorum litterariorum uniformitatem, non ſine maximo detrimento hodie fere penitus neglecto, ſilentio præteriverimus.

IV.

De Medico Aſtronomos imitante.

§. 1.

Aliorum ea de re ſententia. Archibaldus Pitcarnius, Medicus præclarus, in Oratione, qua oſtendit Medicinam ab omni philoſophorum ſecta liberam eſſe debere (a), contendit, *Medicos oportere Aſtronomorum inſtitutum ſibi imitandum proponere, qui non vulgo gratas, aut ab Oratoribus acceptas opiniones in artem ſuam*

(a) Vid. Opuſcula Medica p. 5, edit. tert. Rotorodam 1714.

ſuam adſciſcant, neque motibus ſiderum expediendis advocent quantumvis populo placituram de mundo fabulam; ſed obſervationes longa temporum locorumque intercapedine diſſidentes motuumque cœleſtium phænomena methodo ſibi familiari & omnibus utili conferendo, vires illas definiant, quibus corpora mota ad alia, ſive mota, ſive immota, contendunt. Jubet igitur & Medicos *obſervationes, quæ inſtitutæ ſunt & ubique inſtituuntur, circa morbos morborumque auxilia conferre, & nulla habita ratione opinionum, quæ ſenſu perceptis certitudine cedunt, ex eo, quod fieri ſolet, quid futurum ſit ac faciendum, colligere.* Sententiam *Pitcarnianam* probant, ſuamque faciunt, qui hypotheſes Phyſicorum commentitias e Medicina exulare jubent, & *Hippocratis* inſtitutum laudant, qui ſedulus & circumſpectus in obſervando non aliam admiſit theoriam, quam quæ ex obſervationibus inter ſe collatis deducitur.

§. 2. Sed nobis jam non propoſitum eſt ab aliis dicta repetere, verum quid nobis ea de re videatur, exponere. Medici Aſtronomos imitari juben- *Quæ hic primo loco expendenda.*

bentur in arte ſalutari excolenda; ut igitur conſtet, quid imitari debeant, Aſtronomorum morem propius intueamur neceſſe eſt, ne attentionem effugiat, quod uſui eſſe poſſit. Spectanda vero eſt Aſtronomia non modo in adulta ætate, quam nunc conſecuta eſt; ſed in ipſis incunabulis, ut appareat, a quibus initiis creverit, & quomodo ſucceſſive ceperit incrementa. Sic enim plura obſervare licebit Medico imitanda, quam quæ a *Pitcarnio* annotota fuere, eaque apprime neceſſaria, ubi ſcopo ſuo potiri voluerit.

Obſervationes primæ Aſtronomorum, & quomodo iisdem utantur.

§. 3. Antequam Aſtronomia naſceretur, non aliæ obſervationes in poteſtate erant, quam quæ ſua ſponte ſeſe offerunt omnibus, ipſi etiam vulgo, oculos in cœlum nocturno tempore attollenti, dum ſtellæ luce ſua eosdem perſtringunt. Qui igitur ad Aſtrorum ſcientiam animum appellebant, ab obſervationibus communibus initium facere tenebantur, ad quas non alio inſtrumento opus erat, quam oculo, in uſum contemplationum cœleſtium a Deo nobis conceſſo. Omnis adeo Aſtronomia ad obſervationes tan-

Digitized by Google

tandem communes reducitur, ac inde evidentiam ſuam mutuatur, cum notiones ceteræ in has reſolvantur. Ex hiſce igitur obſervationibus, in ſubſidium vocatis principiis aliis, veluti geometricis ac opticis, colligunt, quæ legitima ratiocinandi forma inde conſequuntur. Et hoc pacto primæ enaſcebantur veritates aſtronomicæ, ceterarum ſemina. Cum nos in Elementis Matheſeos Aſtronomiam in ſyſtematis formam redegerimus, a communibus quoque obſervationibus exorſi ſumus, indeque deduximus, quæ ex iis conſequuntur, ut ſingulis ſua conſtaret certitudo. Quodſi quis obſervationes communes in Elementis Aſtronomiæ in medium allatas, & quæ inde colliguntur, attentius conſiderare dignetur; is abunde animadvertet, in ipſis obſervationibus communibus occurrere aliquod diſcrimen, ob quod aliæ alias præcedunt. Omnium enim prima eſt, quæ primo ſtatim obtutu peragitur, neque deliberationem prærequirit, neque moram poſcit, per quam continuetur attentio. Eidem ſuccedunt aliæ, quæ & attentionem deliberatam & diuturniorem exigunt, ob-

ſervationibus anterioribus vel iis, quæ ex ipſis deducta fuere, anſam ad ulteriores ſuppeditantibus. Succeſſus, quem experiebantur in anterioribus, attentioni acumen & patientiam jungebat in hominibus ſciendi cupidis. Obſervationes ipſas non recenſeo, nec, quæ inde colliguntur, refero, ne repetam alibi dicta.

Quid faciant Aſtronomi, ſi dubia ex obſervationibus colliguntur.

§. 4. Dum vero ex obſervationibus communibus primas deduxere notiones, fieri haudquaquam poterat, ut ſingulæ eſſent certæ, ſed quædam dubiæ permanebant, ita ut per obſervationes communes de earum veritate ſtatuere non daretur. E. gr. cum ſtella eadem continuo mutet ſitum reſpectu puncti cujusdam fixi in ſuperficie telluris dati; per hanc obſervationem dubium manet, utrum cœlum cum ſtellis circa tellurem quieſcentem ab ortu in occaſum moveatur, an vero terra ab occaſu verſus ortum intra cœli quieſcentis cavitatem circa axem convertatur. Initio igitur judicium ſuum ſuſpendit Aſtronomus de rei veritate; ut tamen ulterius progredi poſſit, quod dubium eſt, ſumit tanquam verum, viſurus,

ſurus quæ inde conſequantur, & num ea obſervationibus ulterioribus conſentanea deprehendantur. Immo ſi contingat, reſpectu nonnullorum phænomenorum hypotheſes aliquas æquipollere, quarum una vera eſſe debet, dubia utitur tanquam vera, quæ phænomenis facillime determinandis inſervit. Ita cum reſpectu motus primi, ſeu ortus & occaſus ſtellarum hisque connexorum phænomenorum perinde ſit, ſive cœlum terra quieſcente moveatur, ſive terra cœlo quieſcente in gyrum agatur, prior autem hypotheſis phænomenis motus primi determinandis aptiſſima ſit; hanc ſumit tanquam veram in parte Aſtronomiæ ſphærica, quamdiu ipſi nonniſi cum motu communi res eſt, propterea quod legum methodi tenax eandem alteri præferret in hoc caſu, etiam ubi jam conſtaret, alteram veram eſſe, hanc vero falſam.

§. 5. Stabilitis per obſervationes communes primis notionibus, quærendo rum ſeſe obtulit numerus, quæ antea latebant, ita ut jam conſtaret, quænam deſiderarentur, etſi nondum pateret,

Quomodo ad obſervationes aſtronomicas pervenerint.

Digitized by Google

teret, quomodo iisdem potiri poſſent. Jam igitur quærenda ſibi propoſuerunt per modum problematum ſolvendorum; quorum ſolutiones cum aggrederentur, iisdem porro innoteſcebat, quænam tanquam data præſupponi debeant, antequam ſolutio ſit in poteſtate. De datis jam ſolliciti obſervationes excogitarunt ſtudio acquirendas, & certo inſtrumentorum apparatu inſtituendas, quas aſtronomicas appellavere, ut a communibus diſtinguerentur non minus, quam aliis in alium uſum conquiſitis.

Quibus principiis fuerint uſi. §. 6. Obſervationes communes primas ſuppeditant notiones vel definitionibus nominalibus, vel judiciis intuitivis formandis inſervientes. Ex iis itaque ſolis nihil ratiocinando colligitur; verum aliis inſuper principiis opus eſt. Vt inde colligatur, quod certum eſt, principia certa eſſe debent. Vtuntur autem Aſtronomi principiis geometricis & arithmeticis, ſubinde etiam opticis; unde quæ per illa colliguntur, nullam incertitudinis labem inde contrahunt. Etenim ſi contingat, ex obſervatione data certum colligi

ligi non poſſe; quod inde colligitur, nondum ut certum colligitur, ſed ut tale, quod obſervationi datæ non repugnet, adeoque ea ſalva eſſe poſſet, modo non obſtarent alia, cum eadem ſalva etiam aliter eſſe queat. Exemplum paulo ante (§. 4) allatum dicta confirmat, quo obſervatione de continua ſitus ſtellarum reſpectu puncti fixi in tellure dati variatione ſalva colligitur, vel cœlum circa tellurem quieſcentem, vel tellurem circa axem intra cœlum quieſcens moveri. Antequam igitur obſervationibus communibus uti poterant ad notiones Aſtronomiæ fundamentales formandas, & inde ulterius modum inveſtigandi per obſervationes minus communes data, quibus quærenda determinantur, deducere poterant; principiis arithmeticis & geometricis animum imbuebant, a quibus omnis ſucceſſus unice pendebat.

§. 7. Obſervationibus aſtronomicis exquiſito ſtudio inſtrumentorumque apparatu inſtitutis eodem modo uſi ſunt, hodienumque utuntur, quo communibus fuerant uſi. Nimirum ap- *Quomodo obſervationibus utantur aſtronomicis.*

applicatis Geometriæ ac Arithmeticæ principiis, præſertim Trigonometriæ utriusque regulis, & in ſubſidium porro vocatis iis, quæ tum ex obſervationibus communibus, tum aſtronomicis anterioribus collecta fuerant, inde colligunt, quæ inviolabili conſecutionis lege conſequuntur. Eſt enim Aſtronomo intellectus ſyſtematicus, quem paulo ante delineavimus, atque adeo veritates, quas cognoſcit, inter ſe connectit, nec in cognitione rerum acquieſcit, niſi eam ad ſyſtema reduxerit (§. 4).

Examen, quod Aſtronomi inſtituunt, repertorum. §. 8. Enimvero quamvis ſyſtemata ament Aſtronomi, non tamen in ſyſtemate condendo præcipitantiæ ſeſe dedunt, aut in ſemel condito acquieſcunt. Veritatem enim amant, nec ſyſtema ipſis placet niſi veritatum, ab omni erroris labe immune. Quamobrem cum difficillimum ſit in cognoſcendis rebus a cognitione noſtra tam procul remotis, cum quibus Aſtronomis negotium eſt, ad veritatem liquidam pervenire; ideo obſervationibus plenam fidem non habent, utut ſatis con-

Digitized by Google

conſcii ſint, ſe omnem adhibuiſſe diligentiam, quæ ab homine circumſpecto adhiberi poterat: neque enim ignorant, ſibi tanquam hominibus aliquid humani accidere poſſe, attentione ſua in uno ita defixa, ut alterum non advertatur, quod non minus mentis oculorumque aciem in ſe trahere debebat, resque ipſas ita eſſe comparatas, ut non prima ſtatim vice ſatis exacte determinentur. Itaque easdem obſervationes ſæpius repetere non piget, etſi a pluribus jam ſumma induſtria celebratas, atque a ſe ipſis non minore iteratas, ut reperta confirmentur vel corrigantur. Præterea ſi, quæ inde collecta fuere, veritates univerſales fuerint, non numerorum determinationes ſingulares; de novis obſervationibus ſolliciti ſunt, quibus eadem vel convenientia vel contraria deprehendantur, ut conſtet, num iisdem inter ratiocinandi principia locus concedi poſſit, nec ne.

§. 9. Veritatem cum curæ cordique habeant Aſtronomi, non vana delectantur laude, ſed ea unice capiuntur, quod

Ingenuitas Aſtronomorum.

quod ea dederint, quæ obſervationibus quam per examina comprobantur. Quamobrem ubi ex hypotheſi prælucentibus obſervationibus, ſed ſubinde nonniſi methodo conjecturali condita, cum ad certa perveniri nondum detur, Herculeo prorſus labore ac ſummo acumine deduxere, quæ cum obſervationibus nova induſtria ad reperta examinandum inſtitutis minime aut non prorſus conſentiunt; nævos hypotheſeos ſuæ minime diſſimulant, ſed Aſtronomis ceteris ipſimet miro candore patefaciunt, ut operis ſociis collatis eos emendare ſtudeant. Quodſi alter in veritate detegenda felicior fuerit, cujus quidem cauſæ variæ eſſe poſſunt, utut unus alteri nec ingenio, nec induſtria cedat; haudquaquam eam moroſi aſpernantur, multo minus errorem ſuum ridicule incruſtant, & invidioſi alterum traducunt, ſed veritatem potius miſſo errore ſuo ambabus manibus complectuntur, eaque ſyſtemati ſuo illata, quod mente comprehenſum tenent, ad ulteriora utuntur, ut cum fœnore eam reddant inventori.

§. 16.

Digitized by Google

§. 10. Ita quidem Aſtronomi conjunctis viribus faciunt, quod poſſunt, & quæ ipſimet propter rei difficultatem aſſequi nondum valent, ea poſterorum induſtriæ relinquunt. Quemadmodum enim ipſimet grato animo agnoſcunt, quod prædeceſſores ſui imperfecta reliquerint, ſine quibus ad perfectiora ipſis pervenire non datum fuiſſet; ita eundem animum gratum a poſteris non vana ſpe ſibi pollicentur, quos non minus agnituros eſſe certum eſt, quod, quæ ipſimet ad eos transmittunt, ſibi ad ulteriora, quæ aſſequentur, profuerint. Sic idem labor continuatur per ſecutura ſecula, in loca defunctorum ſuccedentibus aliis, qui idem faciunt, quod facturi erant illi, ſi immortalem naturam Dei munere accepiſſent. Atque hiſce demum moliminibus Aſtronomia a principiis tenuibus ad altum faſtigium erecta, atque continuo magis magisque expolitur, praxique inſervit humano generi & utili & jucundæ. *Quomodo idem labor continuetur per omnia ſecula.*

§. 11. Hæc quidem ea ſunt, quæ de Aſtronomorum ſtudio atque labore in veritate aſtronomica indaganda *Cur non plura de Aſtronomorum*

 in

molimi-nibus di-cantur, in medium afferre libuit, ut conſtet, quænam Medicus imitari debet. Nihil aſſeruimus, quod non ipſo facto doceri poſſit. Ab exemplis tamen abſtinuimus, quod tantam prolixitatem minime ferat præſens inſtitutum. Si quis vel noſtra Aſtronomiæ elementa attenta induſtria involverit, de facto minime dubitabit. Abſit tamen, ut quis ſibi perſuadeat, nos hic propoſuiſſe omnia, quæ in Aſtronomo imitari poſſit Medicus. Superſunt bene multa eaque præclara, ſed ex intimiori Aſtronomiæ cognitione eruenda, non tamen ea, quæ in principio imitamenti uſui eſſe poſſunt. Nobis adeo in præſente ſufficit ea propoſuiſſe, quæ eidem feliciter inchoando & per tempus bene multum continuando inſerviunt. Ipſe nimirum ſucceſſus, quem experientur Medici Aſtronomos imitaturi, animum addet ad Aſtronomorum molimina curatius penſitanda, ut plura adeo utiliter ad imitationem proponenda innoteſcant. Immo quemadmodum ipſe progreſſus Aſtronomos docuit, quid ulterius fieri conveniat, moliminibus anterioribus

Digitized by Google

rioribus non amplius ſatisfacientibus; etſi, quem imitarentur, haberent neminem; ita nullum prorſus dubium ſupereſt, fore, ut, ubi Medici Aſtronomis ſimiles evaſerint, ipſimet videant, quibus artificiis opus ſit, ut ad ulteriora progrediantur. Nos aliquando plura de Aſtronomorum arte, qua in veritate inveſtiganda utuntur, docebimus, quando omnem inveniendi artem hactenus receptam & utiliter adhibitam ad regulas revocabimus, revocatas rationibus confirmabimus, rationibus confirmatas ſyſtemati aptabimus, idemque ſyſtema novis regulis ex iisdem principiis, quibus receptæ nituntur, atquo iisdem regulis, quas uſus introduxit ſucceſſusque comprobavit, locupletabimus. Nunc igitur ſcopum noſtrum nos aſſecutos fuiſſe exiſtimamus, ubi docuerimus, quomodo ea, quæ in Aſtronomis hactenus commendavimus, utiliter imitari poſſit ac debeat Medicus.

§. 12. Enimvero ne quis exiſtimet, Medicinam ab Aſtronomia toto cœlo eſſe diverſam, ut Medicis perperam ad imitandum proponatur, quod ab *Affinitas Aſtronomiæ & Medicinæ.*

Aſtronomis utiliter ac prudenter factum, nec decantatum iſtud ingeminet: duo cum faciunt idem, non eſſe idem; ante omnia oſtendendum eſt, eam intercedere inter Aſtronomiam atque Medicinam cognationem, ut una eademque methodus utrique excolendæ aptari poſſit. Aſtronomia tota ab obſervationibus pendet, quibus tanquam baſi innititur, a priori nunquam eruenda, atque præterea ita comparata eſt, ut conjecturis ab initio opus ſit, quæ nonniſi iteratis obſervationibus emendantur ac perficiuntur, donec tandem in veritatem liquidam degenerent. Medicina ſimiliter ad obſervationes & initia & incrementa ſua refert, nec quicquam hic effeceris, ſi hypotheſibus indulgens a priori deducere volueris, quæ ad eam pertinent. Res quoque hic adeo abſconditæ ſunt, ut nonniſi conjecturis initio aſſequi detur, quod adſint; quæ non minus ac in Aſtronomia ulterioribus obſervationibus corriguntur, & correctæ firmantur. Vtrique adeo ſcientiæ, aſtronomicæ atque medicæ, eadem methodus convenit, nempe

quæ

Digitized by Google

a poſteriori eruit veritatem latentem, quam primum conjectando utcunque aſſequimur.

§. 13. Quodſi ergo Medicus Aſtronomum imitari velit, de quocunque objecto ad artem ſalutarem ſpectante, veluti de morbo quodam dato, primum colligere debet obſervationes communes ſive obvias, quæ quaſi ſponte ſua ſeſe offerunt, & obſervatoris oculos perſtringunt (§. 3). Nec obſtat obſervationes iſtiusmodi jam dudum ab aliis fuiſſe annotatas, immo ipſi vulgo cognitas: etenim ſi quis ipſe oculorum ac mentis aciem in eas intendit, & rectius, & clarius intelligit, quid ſibi velint, quam ſi ab aliis relata tantum cogitat. Ex his autem obſervationibus, in ſubſidium vocatis principiis aliis, de quibus mox diſertius dicemus, prima artis Medicæ deducere debet ſtamina, legitima ratiocinandi forma colligens, quod inde ſequitur. Neque enim admittere debet, niſi quæ citra paralogiſmum ex obſervatis inferuntur. *Obſervationes primæ Medicorum, & quomodo iisdem uti debeant.*

§. 14. Raro obſervationes primæ ita erunt comparatæ, ut liquida inde veritas *Quid facere debeat Me-*

 ritas

dicus, ſi dubia ex obſervationibus colligantur.

ritas colligatur; quin perinde ac in Aſtronomia ſæpiſſime continget, ut ex obſervatis illata dubia adhuc ſint, & a certitudine longo adhuc intervallo remota. Non tamen ideo rejicienda ſunt tanquam inutilia, ſed iisdem utendum eſt, cum incertorum ope ad certa perveniamus, quæ alias nunquam aſſecuturi fuiſſemus. Nimirum inquirendum eſt in cauſam incertitudinis, eaque cognita in modum impedimenta iſta removendi. Vnde jam aperietur campus obſervationum exquiſitiori induſtria quærendarum, nec non experimentorum utiliter inſtituendorum, de quibus alias ne ſomniando quidem cogitaſſemus. Immo dum ex obſervationibus primis propoſitiones determinatas condere, vel ex iis tales inferre conabitur Medicus Aſtronomi imitator; quid obſervationibus iſtis adhuc deſit, intelliget, quo minus huic molimini ſufficiant. Licebit adeo easdem obſervationes accuratiori induſtria repetere, ut defectus anteriorum ſuppleantur. Ita & obſervationum imperfectio, & ex iis collectorum incertitudo, & quæ exinde certo vera

col-

Digitized by Google

collegimus, quærendorum campum ampliſſimum aperient, in quibus & ingenium, & obſervandi diligentiam exercebit Medicus, qui tanto molimini par eſt.

§. 15. Enimvero cum ex obſervatis non formare liceat niſi judicia intuitiva, ex quibus nullam inferre licet concluſionem, niſi in ſubſidium vocatis principiis aliis, quemadmodum ſatis intelligunt, qui ratiociniorum in veritate eruenda uſum perſpectum habent (b); non immerito quæritur, quænam ſint illa principia, quæ Medico hic uſui eſſe poſſint, & num proſtent iſtiusmodi principia, quæ non minorem certitudinem habent mathematicis, quibus utitur Aſtronomus (§. 6.). Habet Medicus principia anatomica; quæ cum oculorum teſtimonio confirmata ſint, notionibus communibus æquipollent, ab exemplis quotidianis mentis acie ſeparatis. Cumque Medico nunc indagandæ ſint cauſæ effectuum obſervatorum, nunc ex adverſo effectus datarum cauſarum, nunc diſcernenda ſint rerum attributa neque modi; *Quibus principiis utendum ſit.*

(b) §. 551. & ſeqq. *Log.*

modi, nunc determinantia atque determinata; nunc conſtituenda genera & ſpecies rerum, &c. uſui ipſi ſunt notiones philoſophiæ primæ, quas eſſe communes a confuſis ad diſtinctas revocatas in philoſophia prima oſtendimus, ita ut earum evidentia pateat in exemplis, ſi vel maxime ignorentur demonſtrationes, quas primi damus in philoſophia prima, quæ proxime publici juris fiet. Ipſa Matheſis, quemadmodum ibidem clariſſime docemus, evidentiam ſuam omnem ab iisdem mutuatur; non igitur verendum, ne Medicina lucem ex tenebris arceſſat inani conatu, ſi ad philoſophiam primam confugiat, quam nos effecimus certam ac evidentem. Sunt præterea principia phyſica, quæ ex obſervationibus atque experimentis eodem modo derivata ſunt, quem Medico Aſtronomum imitaturo commendamus, aliena ab hypotheſibus gratis confictis, quibus vulgo delectantur homines ſibimet ipſis placentes, ſi plura ſcire imperitis videantur, quam ſciunt, aut ſcire poſſunt. Suppeditat quoque chymia principia, quæ experimentis certis

Digitized by Google

tis nituntur, atque phyſicis modo dictis æquipollent. Quodſi ergo Medicus circa hæc principia eam adhibeat curam & diligentiam, quam veritatem a poſteriori inveſtigaturo in opere noſtro Logico commendamus; non eſt, quod ſuſpecta habeat, quorum veritas a poſteriori longe clariſſime patet. His ergo, quæ commemorabimus, non aliis principiis ſi utitur, Medicinam ab hypotheſibus liberam conſervabit, quemadmodum exemplo ſuo ſuaſerat ſenex divinus *Hippocrates.*

Quomodo progrediendum in Medicina continuo perficienda.

§. 16. Nullum profecto dubium eſt, ſi Medicina ſolis obſervationibus promoveatur, hypotheſibus in eam non admiſſis, niſi quatenus anſam obſervandi & experimentandi præbent, nequaquam autem tanquam principiis, quibus theoria & praxis Medica ſuperſtruatur; Medicos eundem experiri debere ſucceſſum, quem experiuntur Aſtronomi. Vt vero artem ſalutarem continuo magis magisque perficiant, propoſitiones determinatas, quibus theoria & praxis ipſorum conſtat ad imitationem Aſtronomorum efficta, cum obſervationibus ulterioribus continuo

tinuo conferre debent, ut appareat, num conſtans earundem ſit cum experientia conſenſus, emendaturi & ſuppleturi defectus, quos deprehendunt, rejecturi, quæ erronea experiuntur, addituri, quæ nova detegunt. Ipſo etenim progreſſu non minus ac Aſtronomi reddentur acutiores in obſervando, & major continuo ſeſe offeret quærendorum numerus, de quibus antea cogitare minime dabatur.

Concordia & ingenuitas Medicorum. § 17. Dum vero ſolis obſervationibus Medicinam promovent Medici rationis ac experientiæ connubium perpetuum ſancte cuſtodientes, non tantus erit principiorum & opinionum diſſenſus, ſed facile ad concordiam redibunt, cum obſervationes ſibi mutuo non contrarientur, ſi rite inſtituantur, principia anatomica & cetera, de quibus modo diximus (§. 15.), eadem ſint, nec modus ratiocinandi alius niſi idem. Unde ſi contingat aliquem alicubi ceſpitare, alter haud difficulter errorem deteget ac corriget. Cumque Medicus Aſtronomum imitatus veritatis amore capiatur, non minor quoque ejus erit ingenuitas quam Aſtronomi, ejuſque exemplo

Digitized by Google

plo ipſe non diſſimulabit difficultates, quibus propoſitiones a ſe conditas ſubjectas eſſe deprehendet, nec aliorum operam aſpernabitur, quam ad eas tollendas afferunt.

Qualem theoriam intendat Medicus Aſtronomi imitator.

§. 18. Quemadmodum autem Aſtronomi ad praxin unice reſpiciunt, nec aliam amant theoriam, niſi quæ illi ſervit; ita quoque Medicum Aſtronomi imitatorem non alia juvat theoria, quam quæ praxi præbet firmum fundamentum; quo ipſo amore animus ab hypotheſibus alienabitur, quæ aut praxi nullum præſidium afferunt, aut prorſus nocumento ſunt. Atque hac ratione poſteri utentur iis, quæ ab anteceſſoribus accepere, atque Aſtronomorum more conjunctis omnium viribus ars ſalutaris promovebitur, ac in dies nova capit incrementa. Nullus equidem dubito, fore, ut hæc, quæ diximus de Medico Aſtronomum imitante, ad plurium ſint palatum, ſi de ſingulis ſpecialem tractationem inſtituere liceret; ſed ea quidem a præſente inſtituto aliena eſt. Dabimus autem in poſterum, quæ etiam iſta capita illuſtrant.

Finis Trimeſtris brumalis.

CONSPECTVS
TRIMESTRIS BRVMALIS.

I.

De habitu philoſophiæ ad publicam privatamque utilitatem aptæ, 1.

II.

De Notione juris naturæ, gentium & civilis juxta l. 1. §. 3. & l. 9. ff. de Juſtitia & jure, 37.

III.

De differentia intellectus ſyſtematici & non ſyſtematici, 107.

IV.

De Medico Aſtronomos imitante, 154.

Digitized by Google

HORÆ SVBSECIVÆ MARBVRGENSES

ANNI MDCCXXIX,

QVIBVS

PHILOSOPHIA

AD

PVBLICAM

PRIVATAMQVE VTILITATEM APTATVR.

AVTORE

CHRISTIAN. WOLFIO,

CONSILIARIO AVLICO HASSIACO, MATHEMATVM AC PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO IN ACADEMIA MARBVRGENSI ET ORDINIS PHILOSOPHORVM p. t. DECANO, PROFESSORE HONORARIO PETROPOLITANO, SOCIETATVM REGIARVM BRITANNICÆ AC BORVSSICÆ SODALI.

TRIMESTRE VERNALE.

FRANCOFVRTI ET LIPSIÆ MDCCXXIX.
PROSTAT IN BIBLIOP. RENGERIANO.

Digitized by Google

Digitized by Google

HORÆ SVBSECIVÆ MARBVRGENSES,

ANNI MDCCXXIX.

Trimeſtre vernale

§. I.

De Hypotheſibus philoſophicis.

§. 1.

Hypotheſeos philoſophicæ notionem explicavimus in Diſcurſu præliminari, quem de philoſophia in genere operi noſtro logico latino præmiſimus (a). Conſtituitur nimirum hypotheſis philoſophica per ea, quæ ſumuntur, ac ſi esſent, utut haudquaquam demonſtrare valeamus, quod revera ſint, quoniam per ea ratio reddi poteſt phænomenorum, quæ obſervantur. Ita experientia conſtat, cibos in ventriculo diſſolvi, quos per gulam in eundem ingerimus; qua vero ratione idem fiat, *Hypotheſis philoſophica quid ſit.*

(a) §. 126.

ſiat, non æque obſervatur. Quando itaque *Pitcarnius*, præclari nominis Medicus, ſtructuram ventriculi conſiderans, vi cujus ad varios motus idoneus deprehenditur, ſumit ſolo motu ventriculi cibos in ventriculo redigi ad formam ſanguini reficiendo idoneam (b), utut demonſtrare nequeat, ſolo hoc motu cibos ventriculo ingeſtos in eam redigi formam, quam in eodem adipiſcuntur; motus ille ventriculi, quatenus cauſa ſufficiens immutationis ciborum in eodem factæ ſtatuitur, in hypotheſium numero eſt. Similiter obſervamus, certis in organis ſenſoriis mutationibus reſpondere certas in mente perceptiones, & ad nutum mentis ſequi motus in corpore noſtro organico ejus ſtructuræ ac naturæ convenientes, ſed quomodo idem fiat, non æque patet. Quamobrem cum *Carteſius* ſumit, id fieri efficaci Numinis voluntate, etſi demonſtrare non poſſit, hoc modo non alio obtineri modificationum men-

(b) in diſſert. de motu, quo cibi in ventriculo rediguntur ad formam ſanguini reficiendo idoneam, quæ legitur in opuſculis Medicis p. m. 63. & ſeqq.

mentis ac corporis conſenſum; cauſa commercii mentis cum corpore a *Carteſio* aſſignata hypotheſibus philoſophicis accenſenda. Similiter quando *Leibnitius* ſumit, animam pariter ac corpus agere, quod ſuum eſt, conſenſum vero obtineri harmonia a Deo omniſcio ac ſapientiſſimo præſtabilita, etſi demonſtrare non poſſit eidem revera eſſe locum; ſyſtema ejus harmoniæ præſtabilitæ hypotheſis philoſophica eſt. Pari modo *Carteſii* tria elementa, quæ phænomenorum naturæ explicandorum gratia ſumit, etſi demonſtrare non poſſit, omnem materiæ diviſæ differentiam ad trium elementorum iſtorum qualitates redire, omniaque naturæ phænomena per eadem explicari modo intelligibili poſſe, hypotheſis philoſophica ſunt.

§. 2. Vt igitur hypotheſibus philoſophicis juſtum pretium ſtatuamus, probe perpendenda venit ratio, cur eædem condantur. Tenendum itaque, fieri non ſemper poſſe, ut ex effectu a poſteriori obſervato certo colligatur cauſa, ac inde porro ratio, per quam intelligitur, cur cauſa iſta effe- *Ratio, cur hypotheſes condantur.*

ctum datum producere poſſit. Quid hic a nobis fieri poſſit, in Logica (c) docuimus. Vberiorem huic argumento lucem affundemus in philoſophia prima, ubi notionem cauſæ & effectus evoluturi ſumus, & inprimis olim in Arte inveniendi, ubi ex inſtituto regulas trademus inveſtigandi cauſas rerum, ac detegendi modum, quo effectum datum producunt. Interim ex iis, quæ in Logica ea de re docuimus, jam ſatis ſuperque intelligere datur, duas inprimis eſſe rationes, cur effectus alicujus cauſa latens & modus, quo ea effectum producit, demonſtrativa ratione detegi non posſit. Etenim ut a poſteriori quid colligatur, opus eſt & obſervationibus, unde formantur judicia intuitiva, & principiis univerſalibus, quæ iisdem jungenda, ut ratiocinando perveniatur ad judicium diſcurſivum. Quamvis adeo ratiocinandi habitu polleas, ut formam demonſtrationis, quam in omni ratiocinatione ſancte cuſtodiri convenit, obſerves; duplex tamen obſtaculum objici poteſt, quo minus ad veritatem quæ-

(c) §. 697. & ſeqq.

Digitized by Google

quæſitam pertingas. Etenim aut obſervationes incompletæ ſunt, ut per ea, quæ obſervare datur, quæſitum minime determinetur; aut principia univerſalia ignorantur, quibus præterea opus eſt, ut, quod per illa determinatur, inde colligatur. Immo ſæpiſſime utrumque obſtaculum una objicitur. Aut igitur a cognitione rei prorſus eſt abſtinendum, aut ad hypotheſes confugiendum Etſi autem prius conſultius videri poſſit, cum ignorantiam ſuam profiteri præſtet, quam cognitionem dubiam amplecti; ex ſubſequentibus tamen eluceſcet, rectius ſibi ac ſcientiæ conſulere, qui poſterioris rationem habent. Vtut enim non infrequens ſit hypotheſium abuſus; ſuus tamen iisdem quoque conſtat uſus.

§. 3. Hypotheſibus adeo locus eſſe non debet, ubi ad veritatem liquidam pertingere licet. Etenim hypotheſes ultra probabilitatem non progrediuntur, atque adeo prorſus certæ non ſunt, ſed cum formidine oppoſiti adhuc conjunctæ manent. Vbi vero ad liquidam pertingere datur veritatem, *Quando hypotheſes non tolerandæ.*

 omnis

omnis formido oppoſiti exulat. Ecquis ergo in dubium vocare auſit, cognitionem certam præferendam eſſe incertæ? Quamobrem cum in Phyſica multarum rerum cognitio certa haberi poſſit, ſi ex obſervationibus certis derivantur, quæ ratiocinatione legitima inde colligere licet; illorum omnino inſtitutum parum nobis probatur, qui hypotheſes generales fingunt, ut inde omnem rerum naturalium cognitionem a priori derivent, aut ſaltem phænomenorum obſervatorum rationem ex iis exſculpent. Atque ea de cauſa in Phyſica ab iſtiusmodi hypotheſibus generalibus quam maxime ſumus alieni, & nuper (d) *Pitcarnii* aſſenſum valde probavimus, quo Medicinam ab omni hypotheſi liberam eſſe jubet.

Cur hypotheſibus non ſit utendum tanquam principio in de-

§. 4. Nullum præterea hypotheſibus philoſophicis locum concedimus, ubi principiis generalibus ad ratiocinandum opus eſt, ſive quid a poſteriori colligendum, ſive a priori eruendum, aut demonſtrandum. Ea fini jam

(d) in Trimeſtri brumali num. IV.

Digitized by Google

jam alias (e) prohibuimus, ne hypotheſes ingrediantur tanquam principia demonſtrationem propoſitionum, quæ in philoſophiam tanquam dogmata admittuntur. Cum enim hypotheſes incertæ ſint, major autem certitudo concluſioni ineſſe nequeat, quam fuerat in præmiſſis, quemadmodum nemo ignorat, niſi qui principiorum logicorum prorſus fuerit ignarus; ſi iis utimur tanquam principiis ratiocinandi, quicquid vel ex obſervatis, vel ex aſſumtis colligitur, incertum eſt. Quamobrem ſi quis hypotheſes a veritate demonſtrata aut per experientiam evicta non diſtinguit, ſed omni propoſitione in ratiocinando promiſcue utitur, is certa cum incertis confundit, nec errorem evitare poteſt, ſaltem periculo errandi continuo ſeſe exponit. Quodſi ergo dogmata hypotheſibus ſuperſtruas, quibus ad dirigendas actiones opus habes; incerta theoria incertam quoque pariet praxin. Vbi ergo praxis incerta periculoſa eſt, quemadmodum in moralibus & Medicina; ibi hypotheſibus prorſus *monſtrandis veritatibus aliis.*

(e) diſcurſ. præelim. §. 128.

ſus eſt valedicendum, nec permittendum, ut ab iis ullo modo praxis pendeat.

Quinam ſit uſus hypotheſium philoſophicarum.

§. 5. Quamvis autem præpoſterus hypotheſium philoſophicarum uſus merito damnetur; non tamen ideo earum tollendus eſt uſus. Quemnam uſum eædem habere poſſint, alias jam demonſtravimus (f). Concedendus iis eſt in philoſophia locus, quatenus ad veritatem liquidam inveniendam viam ſternunt. Hunc earum uſum dudum fecere Aſtronomi. Quodſi philoſophi eos imitentur, quantum præſidii ad veritatem latentem inveſtigandam afferant hypotheſes, reipſa experientur. Qui in Aſtronomia hoſpes eſt, ut nimis difficile ipſi videatur hypotheſium genuinum uſum ab Aſtronomo diſcere; is Arithmeticorum morem imitetur parem hypotheſium cum Aſtronomis uſum in diviſione ac radicum extractionibus facientium; quemadmodum me indicaſſe memini in Elementis Arithmeticæ latinis (g). Nimirum quando diviſor compoſitus eſt, ut beneficio abaci Pa-tha-

(f) in diſcurſu prælim. § 127. (g) §. 125.

thagorici non innoteſcat, quoties is in notis dividendi eidem reſpondentibus contineatur; ad hypotheſin confugimus, ſumentes, quod ſæpius fallere debet, diviſionem in iſtis notis toties contineri, quoties nota diviſoris prima in nota prima vel duabus primis dividendi eidem reſpondentibus contineatur. Etenim ubi hujus hypotheſeos ope quotum hypotheticum inveſtigavimus, mox ducto eodem in diviſorem hujus multiplum cum notis dividendi eidem reſpondentibus comparamus; qua ipſa collatione innoteſcit, utrum quotus ſit bene poſitus, nec ne. Quodſi quotus per hypotheſin determinatus fallit, vero major deprehenſus; tamdiu unitate minuitur, donec ſatisfaciat. Quando itaque hypotheticum non admittitur, niſi poſtquam examine facto veritati conſentire deprehenditur; hypotheſium ope ad veritatem liquidam pertingimus. Sane eodem modo Aſtronomi motuum cœleſtium phænomena numero haud pauca perpendentes, cum veram eorundem cauſam ob rationes eaſdem, quas paulo ante (§. 2.) com-

memoravimus, ex obſervatis legitima ratiocinatione colligere nequeant; ex phænomenis obviis nonnullis inferunt, qualia poni debeant, ut ea ſola inde ſequantur, ſumentes interea, quod ſæpius fallere poteſt, hypotheſin phænomenis omnibus ſatisfacere, quæ ſatisfacit nonnullis. Quamobrem ut appareat, num hypotheſis ſit bene poſita; ex eadem porro colligunt, quæ recta ratiocinandi forma inde conſequuntur, eadem cum phœnomenis ceteris, vel jam obſervatis, vel per obſervationem eruendis, collaturi, ut appareat obſervatorum cum hypotheſi vel conſenſus vel diſſenſus. Quodſi diſſenſus deprehendatur, hypotheſin emendant, atque ſic continuo magis magisque ad veritatem appropinquant. Quod vero faciunt Mathematici cum in Aſtronomia, tum in Arithmetica, adeoque non minus in Matheſi pura, quam mixta; idem ex noſtra hypotheſium philoſophicarum notione a priori conſequitur, ut adeo genuinam hypotheſium philoſophicarum uſum non ob exemplum, ſed rationem admittere debeamus. Etenim

eo

Digitized by Google

eo in caſu, ubi, quæ per obſervationem dantur, non ſufficiunt cauſæ detegendæ ejusque influxui determinando, ſumimus tanquam cauſam, quod eam eſſe probari nequit, propterea quod ea poſita intelligamus, quomodo, quæ obſervantur, determinentur. Antequam igitur hypotheſin bene poſitam affirmari poſſit, examine opus eſt. Examen inſtituimus, ubi a priori ex hypotheſi legitima ratiocinatione deducimus, quod inde conſequitur, idemque cum obſervationibus, vel jam extantibus, vel ea fini conquirendis, conferimus, ut vel conſenſu eadem confirmetur, vel ex diſſenſu emendetur. Atque ita more Aſtronomorum continuo magis magisque ad veritatem appropinquamus, donec tandem ſæpius fruſtrato ſucceſſu eadem potiamur. Si quis hunc hypotheſium uſum in philoſophia reſpuit, in eadem admittere nolens, niſi quod jam certum ſit ac exploratum, is progreſſum ſcientiarum multum remorabitur, quem tamen pro virili promovere philoſophi eſt.

§. 6.

Quando hypotheſes in errorem minime ſeducant.

§. 6. Neque vero verendum eſt, ſi hypotheſibus ita utamur, ut in errorem incidamus, vel minimum periculo errandi nos exponamus. Etenim hypotheſibus non utimur niſi ad reddendas rationes eorum, quæ obſervantur, & quæ inde a priori deducuntur, non alio fine adhibentur, quam ut novis obſervationibus ac experimentis inſerviant. Quando ex hypotheſibus rationem reddimus eorum, quæ obſervantur; demonſtrationes inde condimus a priori propoſitionum, quas a poſteriori eruimus Si in propoſitionibus vi experientiæ formandis noſtram non deſiderari patiamur induſtriam, eædem veræ ſunt. Quare ſi vel maxime contingat, hypotheſin a vero aberrare, propoſitioni veræ falſam jungimus demonſtrationem. Cum vero demonſtrationes non alium habeant uſum, niſi ut veritatis a priori convincamur, in propoſitionibus autem applicandis locum nullum prorſus, quemadmodum ex iis ſatis intelligitur, quæ de habitu philoſophiæ ad publicam privatamque utilitatem in trimeſtri ſuperiori dicta ſunt; ſi vel ma-

Digitized by Google

maxime demonſtratio, quam a priori dare prætendimus, fuerit falſa, modo propoſitio ſit vera, nihil tamen inde periculi metuendum. Multo minus autem periculi quid imminet, ubi iis, quæ ex hypotheſibus a priori colligimus, non utimur niſi ad examina hypotheſium, ut earum veritas vel confirmetur, vel, ſi quis admiſſus fuerit error, corrigatur; id quod adeo evidens eſt, ut meridiei lucem inferre conetur, qui illud demum rationibus evincere ſtudeat. Patet adeo, a genuino hypotheſium philoſophicarum uſu nullum metuendum eſſe errorem; ſed potius multiplex veritatis incrementum. Vt hactenus dicta rectius intelligantur, lubet uno alterove exemplo eadem illuſtrare. Conſtat a poſteriori, hominem incedere, atque adeo e loco uno in alterum ſeſe conferre poſſe. Ponamus Phyſicum, dum in rationem inceſſus inquirit, ad veritatem liquidam pertingere non poſſe, adeoque ad hypotheſin confugere. Ponamus eum incidere in hypotheſin falſam, qua poſita impoſſibile eſt, ut homo incedat, atque e loco uno in alterum

terum ſeſe conferat. Nihil tamen inde periculi inceſſui hominis imminet. Falſa hypotheſi ad inceſſum hominis explicandum uſus eodem modo incedet, ac is, qui veram fuit amplexus, vel ab omni abſtinet in eo acquieſcens, quod fieri poſſe a poſteriori cognovit. Rideretur autem non immerito, qui inde inferre vellet, hypotheſi hac homini adimi potentiam incedendi, homines in poſterum non amplius eſſe inceſſuros, ſed lapidum inſtar eidem loco adhæſuros, atque adeo oratores ſacros nullos in templi habituros eſſe auditores, & Principibus defuturos eſſe milites, qui patriam defendant, immo non amplius fore homines, qui agrum exerceant, conſequenter totum tandem humanum genus fame periturum. Similiter indubia experientiæ fide innotuit connubium inter mentem atque corpus, quo mentem & corpus ita agere certum eſt, ac ſi in ſe invicem influerent; ut adeo, qui a vitio ſubreptionis in experiundo ſibi cavere nequeunt, tanquam experientia comprobatum ſumant, animam in corpus & corpus in animam influere. Quod ani-

anima & corpus eodem prorſus modo agant ac ſi in ſe mutuo influerent, adeo certum eſt, ut nemo id in dubium vocare auſit, qui mentem a corpore diſtinxit, nec utramque ſubſtantiam in unam confudit. Enimvero cum rationem reddituri philoſophi ad veritatem liquidam pertingere non poſſent, ad hypotheſes ſeſe recepere, viſuri, num earum ope illam tandem in lucem protrahere detur. Hinc Scholaſtici influxum phyſicum, qui apparet, ſumſere tanquam realem, ac inde rationem illius commercii dedere. Cum influxus phyſicus ſupponat tranſitum alicujus rei de ſubjecto in ſubjectum, ac alia inde ſequantur, quæ cum principiis rerum non ſatis conſentiunt; *Carteſius* hypotheſi influxus phyſici ſubſtituit aliam, nempe immediatum concurſum Dei ſecundum potentiam ordinatam agentis, ita ut actiones animæ & corporis conſentientes conſequantur vi legis cujusdam univerſalis a Deo in prima origine rerum ſapienter ſancitæ. *Leibnitius* denique hypotheſin tertiam excogitavit, in qua animam & corpus ſibi relin-

linquit, ita ut anima agat, quod ſuum eſt, corpus itidem, quod ad ipſum pertinet, utriusque autem actiones inter ſe conſentiant ob harmoniam inter eas ſtabilitam, dum Deus in æternis rerum ideis, quas intellectus ipſius produxit, pervidens corpus animæ libere agenti in actionibus ſuis harmonicum, id eidem junxit, cum non eſſet aliud, quod cum ea unum ſuppoſitum, quod hominis nomine compellamus, conſtituere poſſet. Harum hypotheſium ſingularum, quemadmodum hypotheſium philoſophicarum in univerſum omnium, non is eſt uſus, ut inde a priori determinetur, quænam ab anima & corpore proficiſci poſſint, ac actionibus iſtis convenientes facultates determinentur, quibus cedere debeant, quæ indubia experientiæ fide conſtans, (ecquis enim erit adeo alienatæ mentis, ut vel ſomniando in cogitationes tam abſurdas incidat?); ſed illarum potius uſus huc redit, ut inde rationes eorum, quæ obſervantur, a priori exſculpamus viſuris, quantus ſit hypotheſeos cum obſervationibus, hoc eſt, cum veritate conſenſus, & ut porro

ex

Digitized by Google

ex iis a priori deducamus, quæ legitima conſequentia inde fluunt, ut ad obſervandas animæ ac corporis actiones harmonicas reddamur attentiores, dum pervidere conamur, utrum experientia ſuggerat hypotheſi conformia, num adverſa, eandem emendaturi, ubi poſterius accidit, atque ita in intimiorem animæ cognitionem penetremus, ad quam absque hypotheſeos præſidio non fueramus perventuri. Hunc uſum inprimis hypotheſis *Leibnitiana* habet, id quod philoſophis acutioribus ſatis ſuperque exploratum.

§. 7. Diximus jam ante (§. 5.), hypotheſes ita eſſe debere comparatas, ut per eas quædam phænomena ſufficienter explicari poſſint, conſequenter non modo abſolute poſſibiles eſſe debent, ita ut ab omni contradictione liberæ ſint, verum etiam iis poſitis poni debent, quæ obſervantur, & his, quæ obſervantur, ſublatis tolli neceſſe eſt ipſas hypotheſes. Sumamus hypotheſin maxime communem Aſtronomorum, qua in parte Aſtro- *Quemodo ad hypotheſes utiles perveniatur.*

nomiæ ſphærica unanimi conſenſu utuntur omnes, de motu cœli cum omnibus mundi corporibus totalibus circa terram in medio ſphæræ mundanæ quieſcentem æquabili, eodem temporis intervallo conſtanter abſolvendo. Si hanc hypotheſin ponas, illico inde a priori conſequuntur phænomena motus primi ſive communis, &, ſi phænomena motus primi tollantur, vel alia ab iis diverſa fingantur, hypotheſis non amplius ſubſiſtet. Datur adeo neceſſarius nexus inter quædam, quæ obſervantur, & hypotheſin, ita ut, ſi eadem ceteris phænomenis una ſatisfaceret, naturæ rerum conſentanea merito judicaretur: enimvero ubi examine inſtituto (§. 5.) occurrunt, quæ cum eadem parum conſentiunt, ab illa aliena deprehenditur. Ita Aſtronomi inter hypotheſin de motu communi & ejus phænomena nexum neceſſarium agnoſcunt; aſt ubi ad phænomena motus proprii explicanda progrediuntur, eam huic parum conſentientem experiuntur. Nimirum quæ in hypotheſi ſumuntur ad reddendam rationem eorum, quæ obſervantur, adeo-

Digitized by Google

deoque certa experientiæ fide nituntur, ea in determinantium numero ſunt, quemadmodum quæ obſervantur, in numero determinatorum. Datur autem, prout in philoſophia prima demonſtravimus, nexus neceſſarius inter determinantia & determinata, vi cujus ex determinato aſſumto legitima ratiocinandi forma, quam demonſtrationibus convenire oſtendimus (g), colligi poteſt determinans, & ex determinante aſſumto viciſſim determinatum. Si cui in his difficultates quædam ineſſe videntur, is nondum ſatis perſpectam habet notionem determinantis atque determinati, nec ſufficienter expendit differentiam, quæ inter rationem atque cauſam intercedit; quod utrumque ex philoſophia prima addiſcendum. Hypotheſes adeo inutiles ſunt, in quibus contrarium obtinet, nempe ubi finguntur, quæ in natura rerum exiſtere poſſe demonſtrari nequit, & ex quibus legitima ratiocinandi forma non colliguntur, quæ obſervantur. Iſtiusmodi hypothe-

(g) §. 551. & ſeqq. Log.

potheſes proh dolor! magno numero apud philoſophos proſtant, & in earum inprimis cenſum veniunt illæ generales, quæ ex notionibus quibusdam deceptricibus ad ſimilitudinem quarundam confuſarum confictis omnem rerum naturam, vel ſaltem ampliſſimam modificationum ad commune aliquod genus referendarum congeriem explicare debent.

Quomodo impoſſibilitas hypotheſeos demonſtretur.

§. 8. Sed noſtri jam inſtituti eſt, ut hypotheſium philoſophicarum theoriam ad praxin transferamus. Primum itaque perpendendum eſt, hypotheſin in numero poſſibilium contineri debere (§. 7.); quod quamdiu non patet, longo adhuc intervallo a probabilitate hypotheſis diſtat. Deeſt enim primum ad veritatem requiſitum, cum in rerum natura exiſtere nequeat, quod abſolute impoſſibile eſt. Qua ratione impoſſibilitas abſoluta demonſtretur, ex philoſophia prima liquet. Etenim ſi hypotheſis in ſe ſpectata, nullo ad aliud quidpiam reſpectu habito, impoſſibilis; contradictionem involvere debet; quod qua ratione demonſtrari poſſit, in

Digitized by Google

in philoſophia prima (h) docuimus. Nimirum latens in hypotheſi contradictio palam fieri debet legitimis ratiociniis, ad quæ principia philoſophiæ primæ, quæ hic commendamus, manu ducunt. Præcipitare adeo de hypotheſium impoſſibilitate judicia debent, quotquot vel contradictionis latentis eruendæ notionem diſtinctam non habent, vel ad eam in judicando non attendunt, vel eam in dato caſu applicare neſciunt. Incompetentes adeo judices ſunt, qui hypotheſin aliquam abſurdam, adeoque abſolute impoſſibilem appellant, propterea quod ejus poſſibilitatem ignorent, & in numerum impoſſibilium referre ſueverint ea, quorum notionem habent nullam. Etſi enim omnino verum ſit, impoſſibili notionem nullam reſpondere poſſe niſi deceptricem, conſequenter principium longe veriſſimum ſit, cujus nulla datur, ſeu ab intellectu formari poteſt notio, illud eſſe impoſſibile; in applicatione tamen principii hujus aberrant, dum notionem dari non poſſe ſumunt, quam ipſimet non ha-

(h) §. 81. & ſeqq.

habent, vel a nullo intellectu, ne quidem divino (hujus enim quoque habenda ratio eſt, ubi intellectus in genere mentio fit), notionem formari poſſe ſupponunt, cujus ipſimet notionem formare nequeunt. Demus ejus rei exemplum, quod tempori ſervit! *Leibnitius* in hypotheſi, quam in uſum explicandi commercii inter animam & corpus condidit, ſupponit motus corporis liberis animæ decretis reſpondentes mechanica ratione, hoc eſt, ex ſtructura ejus ſecundum regulas motus conſequi. Male hoc habet eos, qui eidem hypotheſi adverſantur. Ideo eam abſurdam vocant, quod impoſſibile exiſtiment, corporis motus liberis animæ decretis reſpondere poſſe, ſi mechanica ratione conſequantur, & hac impoſſibilitate præſuppoſita inferunt, poſitis iſtis motibus tolli libera animæ decreta, quemadmodum viciſſim ea præſuppoſita ſequitur, poſitis liberis animæ decretis tolli motus in corpore iiſdem reſpondentes pure mechanicos. Impoſſibilitatem corporis in motibus mechanicis animæ libere decernenti harmonici demonſtrare hacte-

hactenus nemo potuit; ſed qui eam affirmant, rationem aliam non habent, quam quod notionem iſtiusmodi corporis non habeant, nec eam formare poſſint, conſequenter absque ratione negant notionem iſtiusmodi corporis dari poſſe, & ne quidem in intellectu divino dari; id quod omnino negare tenentur, ubi ex defectu notionis impoſſibilitatem arguere voluerint, quemadmodum modo vidimus. *Jaquelotus*, Theologus eximius, corporis iſtiusmodi poſſibilitatem admittebat, atque hinc libertatem in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ non tolli inferebat. Idem fuit judicium Autorum Diarii Trevoltienſis. Ratio tam diſparis judicii in promptu eſt. *Jaquelotus*, & qui cum eo ſentiunt, Deo non impoſſibile eſſe pronunciant, cujus ipſis notio denegatur, propterea quod firma fide teneant poſſe Deum facere, quæ captum humanum longe tranſcendunt; qui vero eidem contrariantur, abſolute, conſequenter & Deo ipſi impoſſibile reputant, quod captum eorum ſuperat. Quamdiu autem impoſſibili-

Digitized by Google

tas corporis in motibus mechanicis animæ libere decernentis harmonici demonſtrari nequit, prout hypotheſium impoſſibilitatem demonſtrandam eſſe modo inculcavimus; tamdiu quoque inferri nequit, tolli per ſyſtema *Leibnitianum* libertatem, conſequenter ſponte ſua ruunt declamationes conſequentiariorum ex negata libertate deductæ. Ponamus, corporis iſtiusmodi impoſſibilitatem, quale ſumit hypotheſis *Leibnitiana*, aliquando evictum iri; tum utique patebit, libertatem animæ cum eadem conſiſtere non poſſe, ſed non ideo ſequetur, libertatem eſſe tollendam. Concludendum potius erit, hypotheſin *Leibnitianam* eſſe falſam, quod in ea poſſibile ſumatur, quod impoſſibile, quamdiu animæ decreta libera præſupponuntur, aliis rationibus ſtabilienda, cum quibus hypotheſis nihil negotii habet. Quodſi vero quis agnoſceret corporis in motibus mechanicis liberis animæ decretis harmonici impoſſibilitatem, hoc tamen non obſtante affirmaret, commercium inter mentem & corpus alio pacto ſubſiſtere non poſſe, niſi per harmoniam quandam inter modifi-

dificationes animæ atque corporis ſtabilitam; is denique per eam libertatem tolleret, eamque negaret, non hypotheſi explicandi commercium inter mentem ac corpus adductus, ſed aliis rationibus ad negandam libertatem animæ inductus, cum de explicando iſto commercio minime cogitaret. Hæc ideo paulo diſtinctius proponere viſum eſt, ut doctrinæ præſentis de impoſſibilitate hypotheſium appareat utilitas, quæ ſane non exigua eſt. Præſtat enim, ne præcipitantia in judicando famæ noſtræ in orbe erudito maculam inuramus, & ne temerariis judiciis in alios iniqui evadamus.

§. 9. Enimvero abſoluta hypotheſeos poſſibilitas non ſufficit, ut ad explicandum naturæ phænomena eadem transferatur. Etenim ſi quæ inde a priori colliguntur, cum iis, quæ obſervantur, concordare debent, porro oſtendendum eſt, ea in natura rerum exiſtere, quæ in hypotheſi ſumuntur. Quamdiu hoc probari nequit, tamdiu hypotheſeos veritas minime evicta eſt. Aliter enim ſeſe res habet in Phyſica atque Medicina, immo omni *Vnde veritas hypotheſeos abſolute poſſibilis colligatur.*

philoſophia; aliter vero in Matheſi pura. Geometris ſufficit, hypotheſin non eſſe abſolute impoſſibilem, quam ſumunt: ſunt enim veritates geometricæ & arithmeticæ univerſaliores, quam ut intra hypotheſes naturæ coërceantur. Philoſophis vero ſolæ ſatisfaciunt hypotheſes, quæ in rerum natura obtinent, cum non aliam quærant veritatem, niſi in rebus exiſtentibus obviam. Antequam igitur ii hypotheſin tanquam realem admittere poſſint, probare omnino tenentur, nihil ſumi, niſi quod in rerum natura habet locum. Secus qui facit, rerum naturam pro arbitrio fingit, quæ extra ideas ipſius non exiſtit, non vero eam contemplatur, quæ ſapientiſſimo Dei conſilio conſtituta, & ſumma ejus potentia producta fuit. Deproperant adeo judicium, qui hypotheſeos philoſophicæ realitatem cum abſoluta poſſibilitate perperam confundunt. Plurimum autem refert, ut hæc duo a ſe invicem diſtinguantur. Quemadmodum enim per hypotheſes naturæ a priori deteguntur, quæ uſui eſſe poſſunt in praxi; ita e contrario ex hy-

hypotheſi a natura aliena, etſi non abſolute impoſſibili, deducuntur, quæ uſui eſſe nequeunt. Etenim quando res naturæ, ipſas etiam mentis facultates, in uſus noſtros convertimus, non alia iisdem tribuere, vel ab iisdem expectare licet, quam quæ iis conveniunt. Hypotheſeos adeo falſitas ipſo facto ſeſe prodit, ubi praxin inde derivatam ſucceſſu deſtitui experimur. Ponamus Phyſicum aliquam de vegetatione plantarum hypotheſin comminiſci. Quodſi eadem fuerit hypotheſis naturæ, quæ inde deducuntur, praxes eventu expectationi reſpondente nobilitantur. Si fuerit ab hypotheſi naturæ diverſa, utut abſolute non impoſſibilis; praxes inde derivatæ non ſuccedunt, molimine fruſtra induſtriam defatigante. Atque ea ratio eſt, cur iſtiusmodi praxibus non alium concedamus locum, quam in tentaminibus ad explorandam hypotheſium veritatem factis, niſi ea neceſſitatis lege teneamur, ut non intentatum relinqui præſtet, quod aliquam probabilitatis ſpeciem habet, quam ab omni opere prorſus deſiſtere; qua de re non pau-

pauca dicenda forent, ſi de uſu practico hypotheſium philoſophicarum data opera ſermonem inſtitueremus. Applicemus hactenus dicta ad hypotheſin, qua commercium inter mentem & corpus explicatur per harmoniam quandam præſtabilitam, hoc eſt, ſi quod res eſt verba præ ſe ferre debent, unionem animæ cum corpore in motibus mechanicis eidem harmonico. Ponamus, demonſtratam eſſe poſſibilitatem iſtiusmodi corporis, quam ad divina attributa reſpiciens largitur *Jaquelotus*. Nondum tamen hinc inferre licet, harmoniam præſtabilitam eſſe hypotheſin naturæ. Ab abſoluta enim poſſibilitate ad actualitatem ſeu exiſtentiam rei nec valet conſequentia in præſente caſu, niſi ubi demonſtraveris alii hypotheſi non poſſe eſſe locum, haudquaquam vero argumentis tantummodo probabilibus adſtruxeris, aliis quibusdam vix videri eſſe locum. Quamobrem *Jaquelotus* perſpicaciæ jungens æquitatem harmoniam præſtabilitam in medio reliquit, utut abſolutam ejus poſſibilitatem largiretur, atque in ea libertatem

tem ſubſiſtere fateretur, ut non alia morum praxis inde deducatur, quam ex hypotheſi communi influxus phyſici. Opportune autem Theologus æquitatem acumini junxit, dum religionem adverſus homines profanos maſcule defendit, ne argumentorum pondus per rationes extrinſecas enervaretur, quibus ejus ſuſpecta redderetur autoritas. Vtinam exemplum viri de religione cum naturali, tum chriſtiana, optime meriti imitarentur, qui ejus merita publicis præconiis exornant; nec hic quoque valeret illud pervulgatum: virtus laudatur & alget.

Tolerantia hypotheſium philoſophicarum ſuis limitibus circumſcripta.

§. 10. Quamdiu hypotheſium philoſophicarum non alium facimus uſum, quam ut per eas rationes a priori reddere conemur eorum, quæ obſervantur, nullo autem modo praxin ab iis dependentem efficimus, ubi incerta periculoſa eſt, quemadmodum nos facere ſolemus, & ab omni philoſopho fieri debere ſupra evicimus (§. 4.); tamdiu nihil periculi in Theologia, Medicina, & philoſophia morali atque civili metuendum, ſi vel maxime contingat, eas eſſe erroneas. Ecquis

quis enim non videt, tum demum praxi morum periculum imminere, ubi erroribus tanquam eorum normà vel tanquam motivis uteris. Quoniam tamen hypotheſes philoſophicæ, ſi vel maxime contingat eas falſas reperiri, intelligentibus viam ſternunt ad disquiſitiones veritati eruendæ proficuas (§. 5.); uſus iſte hypotheſium non modo innocens, verum etiam humano generi utilis philoſophis concedendus. Supinam autem uſus hypotheſium philoſophicarum ignorantiam vel animum in alios injurium produnt, qui contra hypotheſes philoſophicas declamant, & omnem lapidem movent, ut philoſophis ob juſtum earundem uſum vexæ creentur. Quæ hic de tolerantia hypotheſium philoſophicarum dictæ ſunt, a praxi recepta minime abhorrent, etſi non ubivis locorum *Nicolaus Copernicus*, excellentis acuminis Aſtronomus, cum in hypotheſi terræ quieſcentis factos calculos a cœlo diſſentire animadverteret, hypotheſin terræ motæ in Aſtronomiam introducebat, periculum facturus, num ejus ope ad rectius conſtituendos motus plane-

Digitized by Google

planetarum perveniri detur. Etſi adeo tunc temporis hypotheſis iſta literæ ſcripturæ adverſa judicaretur, tanquam communi interpretationi contraria; hoc tamen non obſtante *Nicolaus Schonbergius*, Cardinalis Capuanus, & *Tidemannus Giſius*, Epiſcopus Culmenſis, eum hortati ſunt, ut opus ſuum aſtronomicum de revolutionibus orbium cœleſtium, in quo illius hypotheſeos uſum fecerat, in publicum proferret, nec ægre tulit Pontifex maximus, *Paulus* III, ut publici juris factum ejus nomini inſcriberet autor tanta autoritate & judicio calumniantium morſus repreſſurus (i). Et quamvis curia Romana ferre nollet, ut hypotheſis nondum demonſtrata ultra uſum ſuum genuinum protenſa pro veritate venditaretur, atque adeo *Galilæus*, cum ne monitus quidem tale quid facere deſiſteret, gravem cenſuram incurreret; non tamen ideo genuinum hypotheſeos uſum ſuſtulit, ſed eum liberum aſtronomis ac phyſicis permiſit. Vnde *Ricciolus*, etſi in Almageſto novo

(i) Vid. Copernici præfatio in libros Revolutionum ad Pontificem directa.

novo contra veritatem hypotheſeos *Copernicanæ* acriter diſputaſſet, hoc tamen non obſtante in condendis tabulis aſtronomicis ipſemet eadem uſus, cum aſtronomus non contendat, hypotheſin eam, qua utitur, eſſe veram, ſed ultro largiatur, poſſe eam eſſe ab hypotheſi naturæ diverſam, modo in dato caſu eidem æquipollens deprehendatur. Etenim in Arte inveniendi clariſſimis argumentis oſtendemus, non unam eſſe rationem, cur in veritate inveſtiganda ſcientes hypotheſi naturæ in dato caſu ei æquipollentem aliam præferamus. Itaque & *Ricciolus* non hoc nomine *Keplerum* reprehendit, quod in Aſtronomia tum ad explicandos motus ſiderum, tum ad condendas tabulas aſtronomicas uſus fuerit hypotheſi terræ motæ, ſed quod motum terræ tanquam verum defendiſſet contra receptam Scripturæ ſacræ interpretationem, antequam veritas fuiſſet demonſtrata (k). Multo minus tamen philoſophis denegandus eſt genuinus hypotheſium uſus, ubi hypotheſes omnes

(k) Vide plura de hoc argumento in Diſcurſu præliminari Logicæ §. 168.

omnes, quæ fingi poſſunt, praxin intemeratam relinquunt, ab eo pendentem, cujus explicandæ cauſa hypotheſis conditur. Etenim hic nihil praxi imminet periculi, ſi vel maxime hypotheſin pro veritate venditaveris. Obtinet hic caſus in hypotheſibus, quas in uſum commercii inter animam & corpus explicandi excogitarunt philoſophi. Etenim qui nobiſcum illarum hypotheſium non alium facit uſum, quam ut inde rationem a priori reddat eorum, quæ certa experientiæ fide conſtant; is non negat, quod obvia experientia manifeſtum eſt, animam nempe ac corpus ita agere, ac ſi mutuo in ſe invicem influerent, conſequenter hypotheſin rejicit tanquam falſam, vi cujus anima ac corpus aliter agere debent, ac ſi in ſe mutuo influerent, quæque adeo hypotheſi influxus phyſici non æquipollet. Quamobrem ſi quis in moralibus ac politicis uti vellet hypotheſi influxus phyſici, is tuto eadem uteretur, ſi vel maxime falſitas ejus eſſet demonſtrata, quemadmodum illi ipſi Aſtronomi, qui hypotheſin terræ quieſcentis falſam eſſe contendunt, ea-

dem tamen in parte Aſtronomiæ ſphærica ad determinanda motus communis phænomena utuntur. Monui hæc jam alias; etſi veritatem obviam pervidere non potuerint, qui, dum alta ſeſe videre jactant, in rebus tamen profundius inſpiciendis ſuum deſiderari patiuntur acumen. Atque ea de cauſa nemo Proteſtantium vexas creavit *Jo. Chriſtophoro Sturmio*, cum ſyſtemate cauſarum occaſionalium tanquam hypotheſi in explicandis cauſa & communicatione motus (l) & commercio inter mentem atque corpus (m) uteretur, immo ex eadem exiſtentiam Dei demonſtraret (n). Nemo quoque vexas creavit *Hambergero*, Mathematum ac Phyſicæ apud Jenenſes, cum viveret, Profeſſori clariſſimo, idem ſyſtema cauſarum occaſionalium in lectionibus phyſicis explicanti ac defendenti. Immo & nobis licuit olim in Academia Lipſienſi hypotheſi iſta uti in diſſertatione de loquela publice ventila-

(l) Phyſicæ electivæ S. Hypotheticæ Tom. 1. p. 161. & ſeqq. (m) Phyſicæ modernæ ſanioris Compend. p. 627. (n) in Theoſophiæ ſpecimine prop. 7. p. 918. Phyſ. Hypoth. cujus Tomo primo idem ſubjungitur.

tilata in explicandis iis, quæ circa loquelam a commercio inter mentem ac corpus pendent.

§. 11. Equidem non inutilis videri poterat diſcuſſio, undenam ſit, ut, quæ uno tempore periculoſa viſa non fuerant, ſed Theologis ipſis approbata, immo acriter defenſa, eadem tamen alio tempore exiſtimentur admodum periculoſa, ita ut per ea omnis religio, omnis virtus, omnis juſtitia penitus tollatur, immo Eccleſia atque Resp. funditus evertatur; ſed cum de his ea paucis dici non poſſint, quæ ſatisfaciunt & prudentiæ ſerviunt; illam alii loco ac tempori alii reſervamus. Nemo autem dubitabit, philoſophorum hypotheſes atque placita talia fata experiri. Dabimus ſuo loco exempla illuſtria. Nunc ſufficiat provocaſſe ad nuperrimum. Quanto fervore actionum honeſtas ac turpitudo intrinſeca contra *Puſendorffium* fuerit defenſa, nemo eſt, qui ignorat. Etſi autem ethnici, Sociniani, Pelagiani, Hobbeſiani, Athei & neſcio quo tandem nomine *Puſendorffius* fuerit infamatus; etſi non defuerint inter

Diverſa hypotheſium philoſophicarum fata.

Theologos maxime orthodoxos, qui negarunt, ſine honeſtate intrinſeca actionum intelligi poſſe ſatisfactionem Chriſti; hoc tamen non obſtante vel eo in loco, ubi contra *Puſendorffium* acerrime omnium fuit pugnatum, honeſtatem ac turpitudinem actionum intrinſecam inter atheiſmi principia referri audias. Mirificis nunc laudibus extollitur *Puſendorffius*; damnantur Scholaſtici, & in iis Theologi orthodoxiæ laude ſuo ævo celebres.

Prudentia circa hypotheſes philoſophicas adhibenda.

§. 12. Ceterum non magno acumine opus eſt, ut quis perſpiciat, præcipitatis judiciis de hypotheſibus ac placitis philoſophorum famæ ſuæ apud poſteros parum conſulere viros ceteroquin laude ſua dignos, & eadem perpetuo fruituros, niſi ipſimet eidem obicem poſuiſſent. Nec majore acumine opus eſt, ut quis videat, viros meritis in Eccleſiam & Remp. conſpicuos toti ordini præjudicium creare, ejusque autoritatem in diſcrimen adducere penes eos, qui de aliorum meritis ex æquo ſtatuere minime norunt, hoc eſt, apud plurimos, ubi invidia erga philoſophos adducti, vel aliorum perſuaſionibus aurem facilem præbentes,

tes, vel audacter calumniantium vociferationibus, vel alia quacunque de cauſa, permoti in impugnandis philoſophorum hypotheſibus, nondum ſufficienter intellectis, nedum ea, qua opus erat, diligentia & accuratione diſcuſſis, argumento ab invidia ducto utuntur, quo vel idiotam uti poſſe alibi oſtendimus (o), ſententiam ſcilicet philoſophorum male explicantes; cum inviſorum hominum, veluti *Spinoſæ*, *Hobbeſii*, & hæreticorum ab ecclesia damnatorum dogmatis conferentes, nominibus invidioſis, veluti *Spinoſismi*, *Hobbeſianiſmi*, *Pelagianiſmi*, *Socinianiſmi*, *Atheiſmi*, infamantes; invidioſis conſequentiis, quaſi eadem omnis libertas, omnis virtus, omnis religio, omnis denique juſtitia tollatur, atheiſmo, libertiniſmo, *Pelagianiſmo*, & neſcio cui tandem monſtro horrendo, quod cogitari poteſt, fores pandantur, onerantes; momentum controverſiæ, quaſi ea totius Eccleſiæ ac univerſæ Reip. ſalus nitatur, exaggerantes; ipſos denique philoſophos, quaſi venenum aliquod arcanum ſub verbis ſuis abſcondant,

(o) Log. §. 1202. & not. ej.

dant, quæ veritati conſentanea ſunt, eum unice in finem admiſcentes, ut impietatis excuſationem habeant, & pœnam promeritam effugiant, malignis ſuſpicionibus prementes (p). Enimvero ab hac imprudentiæ ac temeritatis labe (ne quid gravius dicam) facile ſibi cavebit, qui hanc ſibi curam datam eſſe exiſtimat, ne errores noxios ſerpere ſinat. Quamprimum enim ipſi innoteſcit, proferri quid a philoſopho, quod ipſe olim vel non didicit, vel quod nullibi adhuc legit, vel quod ſive auditum ſive lectum ad ſeverum examen aut nondum revocavit, aut revocare non poteſt; ante omnia inquirere tenetur, utrum id inter hypotheſes philoſophicas referri debeat, nec ne. Haud difficile eſt judicium, nec multa diſcuſſione opus eſt. Etenim hypotheſes ea fini conduntur, ut rationem inde reddamus a priori eorum, quæ obſervantur (§. 1.), nec admittuntur tanquam vera, quæ inde colliguntur, niſi quando experientiæ conſentanea deprehenduntur, attentione noſtra ad obſervandum excitata, quod

(p) §. 1050. *Log.*

quod alias inobſervatum reliquiſſemus (§. 2.). Pro certo igitur ratoque habendum, philoſophum ultra terminos hypotheſeos non progredi, ſi eo, de quo ſermo eſt, non utitur niſi ad reddendam rationem eorum, quæ indubia experientiæ fide conſtant, &, ſi qua inde a priori colligit, iisdem tamen non alium tribuit uſum, quam quem in hypotheſi examinanda habere poteſt. Nos in Pſychologia rationali, in qua ratio reddenda eſt a priori eorum, quæ de anima obſervata in Pſychologia empirica recenſentur, utimur tanquam hypotheſi ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ a *Leibnitio* ad explicandum ea, quæ a commercio inter mentem ac corpus pendent, excogitato, nec ultra hos limites idem extendimus, ne quidem eo in caſu, ubi nos exemplum aliorum tueri poterat, nec ratio defenſionem negabat, veluti cum principiis opus haberemus ad demonſtrandam Numinis exiſtentiam. Facile autem id ipſum unicuique vel perfunctoria lectione innoteſcit, modo habeat animum nullo affectuum impetu præpeditum, qui attentionem

impedit. Neque enim alibi nos ſyſtemate illo uti animadvertet, niſi in Pſychologia rationali, quæ capite quinto Cogitationum rationalium de Deo, mundo & anima, ac ente in genere, traditur. Enimvero Pſychologia rationalis ea a me appellatur Pſychologiæ pars, qua rationes eorum redduntur, quæ de anima in parte empirica annotantur (q), conſequenter vel exinde patere poterat, me illo non uti niſi tanquam hypotheſi. Immo initio illius tractationis in genere monui (r), in eſſentiam & naturam animæ ideo inquiri, ut poſſit reddi ratio eorum, quæ de eadem obſervantur, & in capite tertio annotata fuere, quod Pſychologiæ empiricæ deſtinatur. Quodſi quis iſtos articulos capitis quinti evolvit, ubi harmonia præſtabilita tanquam principio utimur; non aliud ibidem agi intelligit, quam intelligibili modo explicari, quomodo id ſtante iſta hypotheſi fiat, quod fieri nemo in dubium vocat, utpote ex-

(q) Thümmigius in Inſtit. Philoſ. Wolfianæ Tom. I. proleg. Pſychol. §. 4. (r) §. 727. Met.

experientia quotidiana confirmatum. E. gr. Hac magiſtra novimus hominem proferre voces, quibus mentis ratiocinia ſignificantur, atque eo in caſu loquela dicitur rationalis, ſeu verba fundere dicimur, rationi conformia. In Pſychologia rationali (s) idem ſumimus tanquam verum, neque ullo modo factum in dubium vocamus, vel quidpiam in eodem immutamus; atque oſtendere conamur, quomodo id fieri poſſit, ſtante harmonia præſtabilita, hoc eſt, ſi ea ſupponatur tanquam vera, ita ut, ſi ponamus, hanc eſſe falſam, minime ſequatur, nos non poſſe proferre voces, quibus mentis ratiocinia alteri ſignificentur; ſed id ſaltem certum ſit, id alia prorſus ratione fieri, quam fert hypotheſis iſta. Et ſi quis certus eſſe velit, num aliquod dogma eidem ſuperſtruatur; is non alio labore opus habet, quam ut in Theologia naturali, quæ capite ſexto traditur, & in philoſophia morali atque civili paragraphos ex Metaphyſica citatos evolvat: illico enim patebit, nihil ullibi adduci ad dogma ali-

(s) §. 843. Met.

quod ſive theoreticum, ſive pragmaticum ſtabiliendum, quod hypotheſin iſtam ſapit. Quodſi jam conſtet, philoſophum intra terminos legitimos ſubſiſtere; ut libertate philoſophandi fruatur, permittendum (§. 10.); incauti vero monendi ſunt, ne hypotheſi abutantur, dum ex male intellecta inferunt, quæ inde non ſequuntur, quod vera eſſe optent, quæ vitiis ipſorum vel pravis cupiditatibus patrocinantur. Incumbit etiam philoſopho, ut, ubi abuſus iſtiusmodi ipſi innotuerit, contrarium ex hypotheſi ſua fluere clariſſime oſtendat. Ita enim abuſus tollitur, quantum datur; qui e contrario fovetur, ubi viri autoritate pollentes ipſimet conſequentias pravas nectunt, quæ inde non fluunt, ac eas inde fluere aſſeverant, iis, quorum intereſt, ambabus manibus eas acceptantibus tanquam ex hypotheſi philoſophi fluentes, ubi præſertim acuminis ejus fiducia ipſis fuerit. Haud raro enim contingit, ut hypotheſeos abuſus non tribuendus ſit philoſopho, qui eadem legitime utitur; ſed conſequentiariis eam pravis conſequentiis, quæ inde mi-

nime

nime fluunt, onerantibus. Nulla vero ratio ſuadet, ut legitimus hypotheſeos uſus non ſine damno manifeſto ſcientiarum (§ 10.) tollatur ob abuſum a conſequentiariis introductum, aut ſaltem approbatum. Abuſus enim tollendus eſt, retinendus uſus. Ferendum nempe non eſt, ut conſequentiarii hypotheſin, cujus probabilitas ſpecioſis rationibus a philoſopho adſtructa, impiis conſequentiis onerent, quæ ex eadem minime fluunt, ne ſic incauti hypotheſin amplectantur tanquam veram, & conſequentias ideo ſimiliter exiſtiment eſſe veras, utpote libidini ſuæ pabulum ſubminiſtrantes. Non hic inculco, quæ ab uſu Politicorum prudentiorum recedunt. Ecquis enim neſcit, in Suecia, Miniſtrorum civili prudentia eminentium feraciſſima, cum *Joſua Schwarzius*, Theologiæ in Academia Lundinenſi Profeſſor, *Pufendorffium* collegam ob præclarum de jure naturæ & gentium opus editum (s) argumento ab invidia ducto aggrederetur, & omnes conſequentiarii partes ex

(s) In Indice novitatum quarundam, quas Dn. Samuel Pufendorff libro ſuo de jure naturæ & gentium contra orthodoxa fundamenta Lundini edidit.

ex aſſe adimplens eum *Paganiſmi*, *Zwinglianiſmi*, *Socinianiſmi*, *Papiſmi*, *Pelagianiſmi*, *Hobbeſianiſmi* & *Carteſianiſmi* (neque enim tum adhuc *Spinoſiſmus* innotuerat) inſimularet, ſcriptum Theologi juſſu aulæ a carnifice flammis feralibus fuiſſe traditum; nullæ autem ideo vexæ creatæ *Pufendorffio*, quod a recepta ſententia recederet in determinanda moralitate actionum. Non alia addimus exempla, quibus idem confirmatur, quod *Pufendorffii* exemplo ſtabilivimus: neque enim deeſſent alia eodem & antiquiora & recentiora. Neque etiam opus eſt, ut factum hoc regulis verioris Politicæ ad amuſſim reſpondere demonſtremus; tum quod ex iis, quæ a nobis hic dicta ſunt, ſatis ſuperque eidem ſua conſtet veritas; tum quod idem jam alibi (t) evictum dederimus, & ſuo loco uberius confirmaturi ſimus.

Prudentia politica circa hypotheſes philoſophicas

§. 13. Facile quoque ſibi cavebunt illi, qui poteſtate pollent, ne male ſanis vociferationibus & criminationibus autoritatem ſuam in periculum adduci patiantur. Etenim 1. ſuſpectæ eſſe

(t) §. 368. Polit.

eſſe debent querelæ argumento ab invidia ducto utentium, adeo vivis coloribus, quos *Clerico*, viro in Rep. litteraria celeberrimo, acceptos ferimus, paulo ante depicto (§. 12.), ut fieri non poſſit, quin ſtatim agnoſcatur. Nonne enim ſententia alterius jam abunde refutata eſt, ſi juxta formam demonſtrationis indirectæ unica inde colligitur propoſitio falſa (u)? Nonne adeo conſequentiæ conſequentiarum cumulantur alio fine, quam refutandi animo, nempe ut alterius famæ, vel fortunæ noceatur (x)? Nonne animo nocendi tota praxis argumenti ab invidia ducti debetur? Id vel exinde ſatis manifeſtum arbitramur, quod ſententia, quæ oppugnatur, cum inviſorum hominum dogmatis conferatur, nominibus invidioſis infametur, malignis ſuſpicionibus prematur; cum nemo non intelligat, inde argumentum firmum pro evincenda falſitate peti minime poſſe, neque talia a veritatis ſtudio proficiſci, quod rationum pondere, non ſcribendi virulentia nititur. Nec minus 2. ſuſpecta debet eſſe accuſatio

in controverſiam adductas.

(u) §. 1041. *Log.* (x) §. 1048. *Log.*

Digitized by Google

ſatio ſuum de facto alterius judicium loco facti in medium afferentium. Etenim nemo non videt, ſi quis alterum accuſare velit, dicendum eſſe, quid fecerit alter, non quid ſibi de alterius facto videatur. E. gr. ſi quis alterum accuſet, quod principia foveat atheiſtica, vel heterodoxa; quod atheiſmo fores pandat; quod libertatem tollat; quod juventutem ſtudioſam ſeducat; is non factum alterius, ſed ſuum de iſto judicium narrat, quod a veritate plurimum abeſſe poteſt. Sola factorum enarratione malevolorum de iisdem judicia ſæpiſſime refelluntur. Eodem pertinet, quod facta narrari debeant ſuis cum circumſtantiis; cum noto notius ſit ſub quibusdam circumſtantiis vitio carere, quæ ſine iis excuſationem non mererentur. Quamobrem & factorum narratio, omiſſis omnibus circumſtantiis, ſuſpecta merito habetur. Nec minus huc facit, quod errores, qui alteri imputantur, verbis ipſius Autoris in propoſitiones redacti proponi debeant, conſequenter ſuſpecti ſint diſcurſus vagi atque prolixi, quibus ſumma imis miſcentur.

Hiſce

Hiſce autem probabilibus expenſis, ob quæ merito ſuſpecta eſſe debet hominum philoſophis inſultantium fides, quid veri ſubſit querelis & accuſationibus, vi theoriæ de hypotheſibus philoſophicis facile aſſequitur, qui ſibi cavere debet, ne injuſtis accuſationibus aurem facilem præbeat. Etenim cum 3. omne judicium huc redeat, num ſententia philoſophi ſit hypotheſis philoſophica, & num philoſophus intra terminos hypotheſeos ſubſiſtat; non alia re opus eſt, quam ut jubeat accuſatorem α. ſententiam philoſophi verbis ipſius proponere, β. indicare loca, in quibus, quod in controverſiam adducitur, adhibet tanquam principium probandi aliquod dogma, aut quandam actionum regulam; atque deinde ex philoſopho quærat, α) utrum iſtam ſententiam ſuam agnoſcat, an in ea quidpiam emendandum eſſe contendat, emendationem in caſu altero injungens, ejusdemque ex ſcripto, in quo ea continetur, probationem imperans, β) quem uſum hypotheſeos faciat in ſcripto ſuo. Hoc pacto nimirum palam fiet, num de hypotheſi philoſophica

phica controvertatur, & num philoſophus, cui vexas creare intendunt malevoli, intra hypotheſeos limites ſubſiſtat, ut non ejus in philoſophando reſtringenda ſit licentia, ſed calumniantium potius refrænanda audacia, ne anſam dent incautis, hypotheſin innocuam & ad incrementum ſcientiæ profuturam, ſi vel maxime contingat, eam aliquando falſam reperiri (§. 5.), in abuſum noxium trahendi (§. 12.). Etenim ſi ſententia philoſophi, quæ impugnatur, expenditur, ſtatim apparet, num ſerviat rationi reddendæ a priori eorum, quæ per experientiam innnotuere, conſequenter num hypotheſis philoſophica ſit, quæ in controverſiam revocatur (§. 1.), & ſi afferuntur propoſitiones, quibus explicandis vel probandis adhibetur, non minus liquet, quemnam philoſophus ejus faciat uſum. E. gr. Ponamus querelas ſuboriri de fato, & momentum controverſiæ exaggerari, quaſi omnis virtus, juſtitia omnis, fides omnis tollatur, immo religio ac Resp. funditus evertatur. Quærenti quidnam ſit, unde fatum tam noxium conſequatur, reſpon-

Digitized by Google

reſpondetur, doceri harmoniam præſtabilitam *Leibnitii*, qua homini omnis adimatur libertas, & fatalis omnium rerum neceſſitas introducatur. Si jam ex philoſopho quæſiveris, quid ſit harmonia præſtabilita, aut Lexicon philoſoph cum a philoſopho veri nominis, qui cum acumine virtutem jungens, & honeſtatis non minus, quam veritatis tenax, mentem Autorum non pervertit, nec quicquam affectui dat ab affectuum impetu prorſus liber, conſcriptum evolveris, quale eſt Dictionarium univerſale Artium & Scientiarum E. *Chamberii*, Angli (x); ſtatim intelliges, eſſe celebre ſyſtema *Leibnitii* (verba Angli recito), per quod explicat unionem ſeu communicationem inter animam & corpus. Apparet adeo jam eſſe hypotheſin philoſophicam, cum quædam ſumantur, ut inde ratio reddi poſſit eorum, quæ indubia experientiæ fide conſtant, nempe communionis, quæ inter animæ perceptiones ac appetitus & corporis modifica-

(x) Cyclopædia, or an univerſal Dictionary of Arts and Sciences by E. Chambers, Gear. Lond. 1728. in fol.

tiones ac motus intercedit (§. 1.). Si quæſiveris porro, quid in ea hypotheſi ſumatur, tanquam eſſet (§. 1.), aut ea fini Lexicographum conſulis; reperies ibidem, ſumi, quod anima habeat certam ſeriem cogitationum, deſideriorum & volitionum; corpus autem, quod machina pura eſt, certam ſeriem motuum, qui determinantur per diſpoſitionem mechanicam partium & impreſſiones objectorum externorum; quod Deus conjunxerit talem animam & tale corpus, quorum operationes ſunt harmonicæ, hoc eſt, ubi ſeries perceptionum in mente reſpondet ſeriei motuum in corpore. Si jam quæſiveris porro, num ſeries in mente alia admittatur, ſeries motuum alia in corpore, quam futura eſſet, ſi anima in corpus & corpus in animam influeret, hoc eſt, corpus perceptiones animæ, anima motus corporis determinaret; in promptu eſt reſponſio: eandem eſſe in omni hypotheſi, qua ad commercium inter mentem & corpus explicandum utuntur philoſophi, ſeriem perceptionum in mente, eandem ſeriem motuum in corpore, cum per hypothe-

potheſin non determinetur, qualia ea, quæ ſunt, eſſe debeant, ſed tantummodo reddatur ratio, cur talia ſint, qualia eſſe deprehenduntur. Nulla enim hypotheſi negatur, quod eſt; ſed redditur tantum ratio, cur potius ſit, quam non ſit. Si jam quæſiveris ulterius, num philoſophus ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ utatur tanquam hypotheſi, non alium ejus faciens uſum, quam qui in reddenda ratione eorum, quæ ſunt, conſiſtit; evolvenda ſunt ipſius ſcripta, aut accuſator probare debet ex ejus ſcriptis, ubi aliquid tanquam ex principio deducatur, quod vel dogmatis ſalutaribus, vel morum regulis repugnet. Ita ſi quis ſcripta noſtra evolvit, ubi harmoniæ præſtabilitæ aliquem fecimus locum; nos non aliter eadem uti, quam in reddendis rationibus eorum, quæ ſunt, & a commercio inter mentem & corpus pendent, animadvertet. Non adeo difficile eſt in omni caſu, ubi de hypotheſibus philoſophicis quæſtio mota fuerit, detegere fraudes conſequentiariorum horrendis vociferationibus mentis aciem obtundere nitentium. Ceterum nec hanc praxin in-

ſoliti quid habere, exemplum curiæ Romanæ probat juſtum hypotheſibus philoſophicis pretium tribuentis (§. 10.).

Neceſſitas diſcernendarum hypotheſium a dogmatis & dijudicandi terminos earum legitimos.

§. 14. Enimvero non inutiliter præcipi hanc curam, quæ hypotheſibus philoſophicis a dogmatis diſcernendis & terminis, intra quos philoſophus ſubſiſtit, dijudicandis impenditur, non modo ex antea dictis abunde intelligitur, verum etiam ſingularibus rationibus probatur. Non dicam de eo, quod iis incumbit, penes quos ſumma eſt rerum poteſtas & qui iisdem a conſiliis ſunt; ſufficit ceteros admoneri officii ſui, qui majeſtatem reverenter habere debent. Non mediocriter ſane in eandem injurii ſunt, qui ut libidini ſuæ ac vindictæ cupidini ſatisfaciant, eam imminuere religioni ſibi minime ducunt. Crimen in eo committi vel ſenſus moralis communis probat, cum nemo ejus reus videri velit. Exprobratur Eccleſiæ Romanæ, quod *Zacharias* Pontifex *Virgilium* Epiſcopum Salisburgenſem ab Epiſcopatu arceri juſſerit ob antipodum aſſertionem, adeoque dogma aliquod philoſophicum, invidioſis conſequentiis a Patribus, ipſo

ipſo *Auguſtino* (y), oneratum, quaſi admitterentur homines ab Adamo non propagati, ac proinde nec a Chriſto redemti, nec ad civitatem Dei pertinentes. Negant id Pontificii (z), indignum ſummo Pontifice reputantes virum valde religioſum, & qui zelo propagandæ fidei in Bavariam ex Hibernia venerat, atque Eccleſiæ operam utilem navare poterat, ob conſequentias absque firmo fundamento dogmati alicui philoſophico imputatas ab Eccleſia pellere, ac ſacerdotio privare. Abuſum iſtiusmodi poteſtatis Pontificiæ in opprobrium ſedis, quam vocant, Apoſtolicæ cedere ultro agnoſcunt Pontificii, nec Proteſtantibus alia eſt perſuaſio abuſum iſtum reprehendentibus. Injurii adeo ſunt in poteſtatem ſummam juxta notionem omnibus communem, qui injuſtis vociferationibus & calumniis philoſophos clam deferunt, parum ſolliciti, quid poſteri olim ſint judicaturi, quando judicia a rationibus extrinſecis non amplius pen-

(y) de Civitate Dei lib. 16. c. 9. (z) Vid Ricciolus in Almageſto lib. 9. ſect. 4. c. 38. §. 8. f. 489.

debunt. Si quibus noſtra philoſophia moralis deteſtanda videtur, quod inter crimina referat, quæ vulgo non agnoſcuntur; illi per nos abundent ſenſu ſuo nunquam effecturi, ut majeſtatem ullo modo irreverenter habeamus. Hæc enim eſt philoſophiæ noſtræ moralis ſumma, Deum eſſe in omnibus actionibus non verbis, quod hypocritis in more poſitum, ſed ipſo opere colendum, utendo nimirum attributis ac operibus divinis tanquam motivis (a), & majeſtatem in omni opere eſſe reverenter habendam, ne quicquam a nobis fiat, quod vel tantillo in eam injurium videri poſſit.

p. 182. lin. 18 pro *aſſenſum* lege aſſertum; p. 201. lin. 12. pro *præſtat* l. intereſt.

§. II.

De Definitione Juſtitiæ Vlpiani *l. 10. ff. de juſtitia & jure, atque ejus cum notionibus* Ariſtotelicis *conſenſu.*

§. 1.

Definitio juſtitiæ Vlpiani. Vlpianus, diſcipulus *Papiniani*, Ictus magni nominis, nec autoritatis

(a) §. 651. & ſeqq. Mor. & §. 461. & ſeqq. Polit.

tatis minoris, *juſtitiam* definit, quod ſit conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi; quæ definitio ut intelligatur, doceri debet, tum quænam voluntas conſtans dicatur, quænam perpetua, tum quodnam alteri jus ſit, & quomodo ipſum ei tribuatur.

Cur juſtitia definiatur per voluntatem.

§. 2. In virtutum numero eſt juſtitia. Quod igitur in definitione generis loco ponitur, virtuti omni commune eſſe debet. Quoniam igitur notiones verbis alterius jungere non licet, niſi quæ ex rebus ipſis deſumuntur (b); a virtute deſumenda ſunt, quæ voluntati conſtanti, quæ perpetuæ reſpondent. Virtus habitus voluntatis eſt, atque adeo ſupponit actionis externæ cum eadem conſenſum. Conſentit autem externa actio cum voluntate, ſi motiva, quibus utitur mens ad eam determinandam, deſumta fuerint ab ipſa actione, veluti ſi temperans appetit cibum modicum, quod conſervando corporis ſanitati atque vigori conducit, quodque hoc pacto Numinis ſatisfacit voluntati, quod amore ac inde enato filiali timo-

 re

(b) §. 150. *Log.*

re proſequitur benignitatis divinæ veſtigia in cibo ſalubri obvia perpendens; quæ ex principiis moralibus alibi (c) a me ſtabilitis manifeſta ſunt. Juſtitia igitur ab *Vlpiano* definitur per voluntatem, ut ſignificetur, nondum juſtum eſſe, qui alia quacunque de cauſa adductus alteri tribuit jus ſuum; ſed id potiſſimum requirit, ut quis id facere velit, abſentibus licet omnibus rationibus extrinſecis, non aliunde deſumtis motivis niſi ab ipſa actione, quatenus juſta eſt. Si quis veretur, ne ſic notio aliena Juri inferatur, cum leges civiles tantummodo externas reſpiciant actiones, internæ autem ad philoſophiam moralem pertineant; is perpendat velim rationes, quas *Vlpianus* (d) reddit, cur JCti appellandi ſint *juſtitiæ Sacerdotes*, nempe quia ipſimet juſtitiam colunt, non tantum boni & æqui notitiam profitentur, & alios bonos efficere cupiunt non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione. Etſi enim in foro non judicari conveniat niſi

(c) in vernünftigen Gedancken von der Menſchen Thun und Laſſen. (d) l. 1. §. 1. ff. de J. J.

Digitized by Google

niſi de actionibus externis; civiles tamen leges & urgere, &, quantum datur, promovere debent operis externi cum actione interna conſenſum; de quibus in Politicis (e) abunde dixi. Etſi enim in foro non attendenda ſit niſi actionis externæ cum lege conformitas; non tamen ideo quis juſtus eſt in ſenſu juridico, quia actio ejus externa ea habet requiſita, quæ actioni juſtæ conveniunt, ſed quia ex hac conformitate actionis externæ cum lege præſumitur conſenſus ejusdem cum interna, propterea quod tamdiu aliquis præſumatur bonus, donec probetur contrarium, adeoque in foro, ubi actionis externæ tantummodo haberi debet ac poteſt ratio, conſequenter diſſenſus ejusdem ab interna nunquam probatur, ſemper præſumi debet. Quodſi mens alia fuiſſet *Vlpiano*, viro perſpicaciſſimo & conſideratiſſimo; juſtitiam non definiviſſet per voluntatem, ſed per facultatem tribuendi alteri jus ſuum, per facultatem non intelligens niſi potentiam activam mere phyſi-

 cam,

(e) In den Gedancken von dem geſellſchaftlichen Leben der Menſchen.

cam, quam Scholaſtici vocant, hoc eſt, poſſibilitatem eliciendi actionem, qua alteri tribuitur jus ſuum, ſive idem alteri tribuere velis, ſive non tribuere malles.

Quid ſit voluntas conſtans. §. 3. Requirit autem *Ulpianus* voluntatem conſtantem, quam a perpetua diſtinguit. Notio perpetui cum involvat relationem ad tempus, quemadmodum mox diſertius docebimus; conſtantia reſtringenda venit ad ſolam actionem. Vnde porro colligitur, per *conſtantiam voluntatis* intelligendam eſſe firmitatem propoſiti in dato quocunque caſu, ita ut voluntas per rationes intrinſecas, hoc eſt, motiva ab ipſa actione deſumta, determinata nullis rationibus extrinſecis a propoſito alteri tribuendi jus ſuum ſe dimoveri patiatur, quæ in caſibus ſingularibus ſeſe offerunt. Etenim ut aſſequamur, quid in definitione juſtitiæ, quam tradit *Vlpianus*, voluntas conſtans ſibi velit, ad notionem virtutis in genere reſpiciendum, ut appareat, quid in ea voci reſpondeat (§. 2.). Enimvero in virtute omni requiritur iſtiusmodi propoſiti firmitas, qualem modo delinea-

Digitized by Google

lineavimus. Eam igitur & juſtitiæ tribuere debemus. Vbi firmitas iſta propoſiti, ſeu voluntatis conſtantia abfuerit; extra circumſtantias conſtituti, adeoque a rationibus extrinſecis liberi, de iis, quæ ſunt virtutis, bene judicant, eadem laudant & appetunt; aſt agendi occaſione oblata, ubi rationes extrinſeçæ animum alio flectunt, ſtudium virtutis alget, ac meliora videntes probantesque deteriora ſequuntur. Si quis male agendi conſuetudinem contraxit, voluntate per rationes extrinſecas ſæpius determinata, & a propoſito per intrinſecas genito dimota; ei poſtea etiam extra ſtatum agendi memoria ſuggerit rationes extrinſecas, atque ex iis jam ſtatuens de his, quæ virtutis ſunt, ea nec amplius laudat, nec appetit, propoſito bene agendi prorſus exterminato. Quæ hic de virtute in genere dicimus, nullo negótio ad juſtitiam transferuntur, experientia non invita, ſed prorſus conſentiente.

§. 4. Dixi jam ante, perpetuum involvere relationem ad tempus, adeoque ad actus ſucceſſivos (f). Vnde faci- *Quid ſit perpetuitas voluntatis.*

(f) §. 574. Ontolog.

facile intelligitur, voluntatem dici perpetuam, ut ſignificetur, illam propoſiti firmitatem, a qua ſe nullis rationibus extrinſecis dimoveri patitur juſtus, in omni caſu adeſſe debere. Quoties nimirum offertur occaſio alteri jus ſuum tribuendi, toties quoque juſtus id eidem tribuit, ita ut nullis unquam rationibus ſe ab hoc propoſito dimoveri patiatur, qualescunque tandem caſus ſingularis offerat antea nondum expenſas, cum propoſitum per rationes intrinſecas ſtabiliretur. Nimirum non minus conſtantia, quam perpetuitas voluntatis inde eſt, quod ſatis ſuperque convicti ſimus, in dijudicandis actionibus non eſſe reſpiciendum, niſi ad rationes intrinſecas, quæ ab ipſa actione deſumuntur, præciſis omnibus circumſtantiis accidentalibus, quæ in caſu ſingulari eidem adhærent; ex illis ſolis verum actionibus pretium ſtatui, per extrinſecas vero nos a propoſito bene agendi dimoveri, ſi ad eas attentionem noſtram dirigamus, & ab illis animum avocemus. Quamobrem mentis aciem in rationes iſtas intrin-

ſecas

Digitized by Google

ſecas, quibus juſte agendi propoſitum genitum fuerat, continuo intendit, qui juſtitiam colit, & ab extrinſecis, quibus ab eodem dimoveri poteſt, oculos pariter ac animum avertit, ne quid propoſitum ſuum intervertere poſſit. Hinc velatis oculis juſtitia pingi ſolet, ut conſtans illa & perpetua voluntas *Vlpiani* ſignificetur; quæ cum juſtitiæ propria non ſit, ſed virtuti omni communis, quemadmodum modo oſtendimus, virtus quoque in genere velatis oculis a pictoribus & ſculptoribus repræſentari debebat. Quoniam vero imagines ſigna ſunt eorum, quæ rebus inſunt, eaque nobis in memoriam revocare debent, quoties ea meminiſſe debemus, quemadmodum in Moralibus oſtendi (g); ut illæ non inutiles ſint, non modo docendi ſumus, quid ſit conſtans illa & perpetua voluntas, de qua loquitur *Vlpianus*, ſed danda quoque opera eſt, ut eandem habeamus. Tum enim demum imaginum aliqua erit utilitas, ut nempe conſtantis ac perpetuæ voluntatis tuæ te admoneant inculcantes, non

(g) §. 175. Moral.

non ad alias attendendum eſſe rationes, quam ad eas, quibus iſtud propoſitum alteri jus ſuum tribuendi debes.

Conſenſus Vlpiani *cum* Ariſtotele.

§. 5. Ceterum ex conſtante illa & perpetua voluntate naſcitur agendi promptitudo in dato caſu, quam habitum voluntatis dixit *Ariſtoteles*. Rationes enim extrinſecæ, quæ cum ignorarentur, ubi deliberabatur, non expenſæ fuerant, moras injiciunt, ut non prompte agas, quod data agendi occaſione agere debes, & cum in genere deliberares, agere decreviſti. Quodſi ergo ad eas non attenderis, nulla quoque ratio moræ adeſt. Quare cum nihil adſit, quod executionem propoſiti remoretur; idem quoque ſtatim exequeris. Qui ad rationes extrinſecas non attendit, ſed ex ſolis intrinſecis de actionibus ſtatuit, & per eas agendi propoſitum firmum ſtabilit, ei non ſubnaſcitur in dato caſu nova deliberandi materia, ſed in ea deliberatione acquieſcit, unde enatum eſt agendi propoſitum, quæque adeo dudum abſoluta. Poterat adeo *Vlpianus* definire juſtitiam per habitum vo-

voluntatis alterius jus ſuum tribuendi, aut, cum omnis virtus ſit habitus voluntatis, ejus autem quædam ſpecies ſit juſtitia ab *Vlpiano* definita, quam particularem *Ariſtoteles* appellat, per virtutem, quæ alteri jus ſuum tribuit, genere proximo prælato remotiori. Quid igitur tandem dicendum eſt? Num reprehendendus eſt *Vlpianus*, quod in definienda juſtitia non modo genus remotum prætulerit proximo; ſed & definitionem generis remoti loco generis poſuerit? Eſt enim conſtans & perpetua agendi voluntas definitio habitus voluntatis, cum illa poſita ponatur & hic, illa autem ſublata tollatur & voluntatis habitus. Nobis, qui a reprehendendis viris egregiis ſumus alieni, in quorum numerum *Vlpianum* merito ſuo referimus, & levitatem animi illorum damnamus, qui ex diminutione famæ illorum ad vanam gloriam contendunt, ab omni cenſura procul remotus eſſe videtur. Ignorat enim verior Logica, in qua nonniſi propoſitionibus determinatis locus conceditur, vagis nequaquam, univerſalem illam definiendi legem, quod in

in definitionibus ponendum ſit genus proximum, non remotum, multo minus autem definitio generis tota ponenda ſit in definitione ſpeciei. Etenim genus proximum præfertur remoto in ſyſtemate, ubi definitiones ſequentes reſolvuntur in anteriores, cum ibi tantummodo notas ad genus & differentiam ſpecificam pertinentes diſcernere valeamus, ſi quidem genus determinata notione jam comprehendatur (h); ubi autem extra ſyſtema definitio condi debet, quid jubeat claritas (i), perpendendum. Cumque extra ſyſtema generis definitio ſupponi nequeat, niſi ſpeciei definitionem ad idem referamus; nil ſane obſtat, ut in definitione promiſcue enumerentur notæ definiti, non attento generis & differentiæ ſpecificæ diſcrimine; id quod & in ſyſtemate ipſo non ſemper improbatur (k). Jam *Vlpianus* definitionem juſtitiæ condit extra ſyſtema; ecquis enim ignorat, juſtitiæ explicandæ ſedem eſſe in philoſophia morali, quam in ſyſtema redige-

(h) §. 189. 190. *Log.* (i) §. 163. *Log.* (k) §. 188. *Log.*

Digitized by Google

digere non erat *Vlpiani*, iuris ſcientiam tradituri. Talem igitur iuſtitiæ definitionem afferre debebat, quæ & perſpicua foret, ut facile intelligeretur, verbis ad rem ipſam relatis, & animis Juris cultorum ea inſinuaret requiſita, ſine quibus Sacerdotes iuſtitiæ hoc eſt, JCti veri nominis fieri non poſſint. Bene igitur, nec invita Logica veriori, ab ipſo factum, quod in definienda iuſtitia genus remotum prætulerit proximo, & definitionem generis inſeruerit definitioni ſpeciei. Qua in re Geometrarum exemplo ſe tueri poterat, qui etſi ſint rigidiores ceteris omnibus methodi obſervatores, in caſu tamen ſimili idem facere non dubitant. Præſtat igitur ex virorum egregiorum factis ſapere, quam præcipitata cenſura ſibi & aliis obeſſe, quo minus ad interiorem rerum notitiam admittamur. Nobis profecto plurimum profuiſſe hoc ſtudium ultro confitemur; idem etiam proderit aliis, ubi principiis noſtris animum habuerint imbutum, ut non ſit vana ſine viribus voluntas.

§. 6. Hactenus dicta virtuti omni communia ſunt, iuſtitiæ haudquaquam *Quid jus ſit, & quomodo id alteri*

tribuatur. quam propria. Agedum igitur! videamus porro, quidnam illud ſit, quo *Vlpianus* juſtitiam a ceteris virtutibus diſtinguit, poſtquam clariſſime expoſuit, quid eidem cum ipſis ſit commune. Differentiam iſtam in eo conſtituit, quod tribuatur alteri jus ſuum. Quamobrem ut ea intelligatur, nunc porro explicandum erit, tum quid juris nomine veniat, tum quomodo idem alteri tribuatur. Jus hic non ſumi pro lege, ſed pro qualitate perſonæ, quæ ex iſta naſcitur, ut quis aliquid vi legis facere poſſit, per ſe liquet. Denotat igitur facultatem agendi moralem. *Grotius* (l) addit facultatem habendi; addit etiam facultatem utramque eſſe debere juſtam, cum jus definiat per facultatem juſte agendi & habendi: enimvero quemadmodum determinatio juſti latet in eo, quod a nobis dicatur facultas moralis in oppoſitione ad phyſicam; ita non opus eſſe videtur, ut facultatem quoque habendi adjiciamus, cum ea a facultate agendi præſupponatur, ubi eidem locus eſt. Hæc

(l) *de Jure belli & pacis lib.* 1. c. 1. §. 4. & ſeqq. p. m. 4. & ſeqq.

Digitized by Google

Hæc ut clarius intelligantur, exemplum unum alterumque afferre lubet. Inter jura in ſignificatu præſente refertur dominium Conſiſtit autem dominium in facultate de re aliqua pro arbitratu ſuo diſponendi. Ponamus *Titio* competere dominium libri alicujus. Poteſt igitur vi hujus juris librum iſtum vendere, poteſt eum alteri legendum tradere, poteſt eum donare alteri, poteſt eum Bibliothecæ ſuæ inſerere, poteſt in margine ad ea, quæ legit, annotatiunculas adjicere, & quæ ſunt alia his gemina. Non opus eſt, ut dicamus, dominium eſſe facultatem habendi librum: etenim cui competit iſta agendi facultas, is utique librum habere debet. Nemo autem præter *Titium* de libro eodem modo diſponere poteſt: etſi enim quoque ſimpliciter non repugnet, ut *Mævius* eum vendat, *Cajo* legendum tradat, *Sempronio* donet, Bibliothecæ ſuæ tanquam ſuum inſerat, annotationes ad marginem inter legendum adjiciat; non tamen niſi phyſicam hæc faciendi facultatem habet, non moralem, quia facit, quod lege prohibetur, cum e contrario *Ti-*

tius moraliter eadem agere poſſit, quia facit, quod lege permiſſum, ſeu, quod nulla lege facere prohibetur. Nimirum multa homines facere poſſunt, quæ lege facere prohibentur; atque ideo facultas moralis a phyſica diſtinguitur, nec tam late patet moralis, quam phyſica. Inde ſimul patet, cum facultatem agendi moralem lex tribuat, phyſicam natura, jus omne hominibus naſci ex lege. Ex legibus adeo dijudicandum, quæ hominibus ſingulis competant jura. Similiter inter jura refertur ſervitus ſtillicidii excipiendi, quæ definitur per jus, quod quis in area vel ædibus vicini habet, ut is impedire non poſſit, quo minus aqua ex noſtris tectis in tectum vel aream ipſius cadat. Hoc vero jus deſignat facultatem moralem tectum ſuum ita conſtruendi, ut pluvia inde in tectum vel aream vicini cadat, adeoque aliquid agendi. Quilibet tectum ſuum hac ratione conſtruere poteſt, qui ædificium excitat, adeoque phyſicam habet id agendi poteſtatem; ſed non omnibus idem agere lege permiſſum eſt, adeoque lex eam tribuit tan-

tantummodo iis, qui eam ex pacto vel contractu ſunt conſecuti. Noſtrum jam non eſt, notionem iſtam juris diſtinctius evolvere, cum nonniſi ea ſectemur, quæ definitioni juſtitiæ ab *Vlpiano* datæ intelligendæ ſufficiunt. Mittimus itaque, quæ uberius eam in rem dici poterant. Id unice hic annotaſſe ſufficiat, ad facultatem agendi hic quoque referri facultatem ab altero exigendi, ad quod præſtandum obligatur. Ita ſi *Titius* ex contractu obligatur *Mævio* ad ipſum in philoſophia inſtituendum; jus *Mævio* competit inſtitutionem a *Titio* exigendi. Hinc vero porro haud difficulter colligitur, quomodo alteri jus ſuum tribuamus, ſcilicet ſi facultatem ejus agendi moralem nullo modo impediamus, ſi ea præſtemus, ad quæ præſtanda obligamur, ſi facultatem agendi, quam lex alteri tribuit, ipſo invito non nobis aſſeramus. Jus enim, quod qualitas quædam moralis perſonæ eſt, non dicit niſi moralem agendi facultatem; qui adeo non impedit, quo minus alter agat, quæ moraliter, hoc eſt, lege non invita agere poteſt, is

alteri jus ſuum tribuit. Ita *Titio* jus ſuum tribuit *Mævius*, ſi librum, cujus vendendi occaſio adeſt, ſibi ab illo communicatum reſtituit, ut eum vendere poſſit, ne occaſio iſta non ſtatim reditura prætérlabatur. Jus vero alterius violat, qui idem facere altero invito audet, quod non niſi ipſi permiſſum. Ita *Titii* jus violat *Mævius*, ſi in libro *Titii* notas marginales textui adſcribit, illo inſcio ac invito. Et jure ſuo alterum prorſus privat, qui omnem agendi facultatem moralem eidem adimit. Ita jure ſuo *Sempronius* privat *Titium*, ſi ipſi librum clam aufert atque vendit, vel flammæ ferali tradit. Similiter cum alter ea jure exigere poſſit, ad quæ præſtanda eidem obligamur, utut in foro non ſemper ad idem eundem cogi expediat; illa vero exigendi facultas ſit jus quoddam in præſenti ſignificatu, quemadmodum modo monuimus; alteri utique jus ſuum tribuit, qui idem alteri præſtat officium, ad quod præſtandum eidem obligatur. Ita *Cajus* obligatur lege naturali ad vindicandum *Titio* librum ſuum a *Sempronio* ipſi ablatum,

vel ſaltem ad ſignificandum eidem, quod librum clam ablatum habeat *Sempronius*. Quamobrem ubi *Cajus* vel librum *Titii* aufert, *Sempronio* veroque Domino reddit, vel *Titio* ſignificat, quod librum ejus viderit apud *Sempronium*; jus ſuum *Titio* tribuit. Definitio nempe juſtitiæ, quam dedit *Vlpianus*, non ſolum reſpicit jus ex lege civili enatum, ſed in genere omne, ex quacunque tandem lege ortum trahat. Non opus eſt, ut per multas ambages idem probetur: ſatis enim ſuperque ex iis colligitur, quæ de genere juſtitiæ, quod ponit in definitione *Vlpianus*, paulo ante (§. 2. & ſeqq.) dicta ſunt.

Conſenſus juſtitiæ univerſalis Ariſtotelis *cum definitione* Vlpiani.

§. 7. Juſtitia, quam *Vlpianus* definit, ea eſt, quam *Ariſtoteles* particularem appellat: per univerſalem enim philoſophus complexum omnium virtutum intelligit, quatenus eædem ad commune civitatis bonum tendunt. Juſtitia nimirum univerſalis conſtituitur per relationem virtutis uniuſcujusque ad alios, eos præſertim, qui in eadem ſocietate civili nobiſcum vivunt. Inde eſt, quod juſti dicamur eſſe erga alios, &

juſtus appellatur, qui alias a virtute nomen trahit, quod non ſibi, ſed aliis, præſertim civitati operetur, ad ſalutem quippe totius civitatis in actionibus ſuis tendens. Ita temperans appellatur juſtus, quatenus opes ſuas profundere non vult, ut oneribus Reip. pro parte ſua ferendis par ſit, & idem juſtus eſt erga alios, quatenus ſuo exemplo docet alios, neminem vero eodem ad intemperantiam ſeducit, nec ulli offendiculo eſt. Nimirum notioni juſtitiæ *Vlpiani* inſunt principia generalia, unde haud difficulter probatur, juſtitiam univerſalem eſſe ſpeciem juſtitiæ in genere, eodem jure, quo juſtitia particularis ejusdem ſpecies conſtituitur. Etenim cum ad jus alteri tribuendum etiam referre liceat facultatem ab altero exigendi officia, quæ jure naturali debet, utut in foro ad ea præſtanda cogi nequeat (§. 6.); quilibet etiam ab altero exigere poteſt, ne ſuo exemplo ſibi ſit offendiculo, ſed potius eodem ſe doceat. Competit igitur ipſi aliquod veluti jus in actiones alterius, & alter ipſi tribuit jus ſuum, quatenus actiones leg. conformes committ-

mittit, hoc eſt, eas, quas ut alter committeret, jure ſuo exigere poterat; ex adverſo autem actiones legi difformes omittit, hoc eſt, eas, quas ut alter omitteret, jure ſuo efflagitare poterat. Qui jus iſtud alteri non tribuit, injuſtus utique eſt. Enaſcitur autem hoc jus ex lege naturali, qua alterius perfectionem promovere pro virili jubemur. Similiter Remp. conſiderare licet tanquam perſonam atque ad eam ſingulas referre actiones civium, ut appareat, utrum ſaluti Reip. conducant, an eidem adverſentur. Quoniam lege naturali unusquisque civium ſalutem Reip. promovere tenetur, quantum datur; Reip. inde enaſcitur aliquod jus, quod conſiſtit in facultate exigendi actiones ſaluti ſuæ conducibiles, & deprecandi eidem adverſas. Reip. adeo tribuit jus ſuum, qui actiones ſuas refert ad Remp. & eas, quæ ſunt virtutis, patrat, propterea quod ſaluti Reip. conducunt; ceteras vero omittit, quoniam eas eidem adverſari intelligit. Atque ita juſtus eſt erga Remp.

Fundamentum diviſionis juſtitiæ particularis.

§. 8. Juſtitia particularis, de qua accipitur definitio *Vlpiani*, dividitur ab *Ariſtotele* in diſtributivam & commutativam, quarum illa obſervare dicitur proportionem geometricam, hæc arithmeticam. Diviſionem hanc in Jurisprudentiam invexerunt Juris Romani interpretes, cum philoſophia *Ariſtotelica* in Scholis eſſet recepta, pluribus inſtitutum hoc improbantibus, nec ipſo *Grotio* (m) prorſus conſentiente. Noſtrum igitur eſt inquirere, utrum doctrina *Ariſtotelica* ſit uberior explicatio definitionis *Vlpiani*, nec ne, & num utiliter in Jurisprudentiam recipiatur. Hac enim diſcuſſione facta conſtabit, quænam fuerit ratio, cur *Grotio* præeunte non ſatis accurata, nec admodum utilis viſa fuerit. Fundamentum diviſionis deſumitur ab objecto, circa quod verſatur juſtitia particularis. Etenim jus iſtud, quod alteri tribuendum eſſe inculcat definitio *Vlpiani*, aut cui debetur, quatenus quis eſt pars ſocietatis, hoc eſt, ad finem, cujus gratia Resp. eſt, obtinendum quidpiam confert, atque ideo com-

(m) de Jure B. & P. lib. 1. c. 1. §. 8.

Digitized by Google

communia dicuntur, ad quæ jus quoddam quis habet; aut cui debetur ſine relatione ad Remp. non quatenus civis eſt, ſed alio ſingulari reſpectu, veluti ex contractu, atque ideo *propria* appellantur, ad quæ jus quoddam quis habet. Circa communia verſatur ex mente *Ariſtotelis* juſtitia diſtributiva; circa propria vero commutativa; & in illa obſervanda præcipitur proportio geometrica, in hac arithmetica.

§. 9. Definitionem juſtitiæ diſtributivæ jam explicatiorem dedit *Joannes a Felde* (n) eam optime definiens, quod ſit juſtitia, qua, quod commune eſt, dividimus inter partes alicujus ſocietatis ita, ne pars ulla conquerendi cauſam habeat. Communia cum dicantur ea, quæ concernunt cives, quatenus ſunt partes ſocietatis civilis, aut, ſi mavis, membra; huc referri debent honores, munera & onera. Ita ſi onera inter cives ſingulos diſtribuenda, maſſa integra ab omnibus ſolvenda conſtituta; diſtributio hæc ita fieri debet, ne quis conquerendi cauſam habeat,

Conſenſus Ariſtotelis *cum* Vlpiano *in juſtitia diſtributiva.*

(n) in Elementis Juris univerſi part. 1. c, 3. §. 1. p. 9.

beat, quaſi ſibi majus imponatur opus, alteri minus, cui vel majus, vel æquale imponi debebat. Si munus, quod vacat, cuidam civium conferendum; in eo quidem conferendo id agendum, ne quis alterum ſibi prælatum conquerendi cauſam habeat. Idem omnino obſervandum, ubi quis civium ad honores evehitur, ut civiliter melior altero habeatur. Quodſi jam quæſiveris, quid in diſtribuendis communibus obſervari debeat, ne pars ulla conquerendi cauſam habeat; *Ariſtoteles* reſpondet, proportionem geometricam obſervandam eſſe, qua in damno & lucro communi dividendo uti ſocios vel ex regula ſocietatis perſpicere licet, quæ in Arithmetica traditur, ubi pars lucri vel damni proportionatur parti pecuniæ collatæ, ita ut, qui ſextam pecuniæ partem contulit, fruatur quoque ſexta lucri parte, vel ferat ſextam damni partem. Nimirum in Politica demonſtratur, onera, quæ cives in Rep. ferre debent, proportionanda eſſe lucro, quæ in eadem percipiunt; honores proportionandos eſſe meritis in Remp. munera vero aptitudini, quam

quis

quis habet, ad ea obeunda. Quodſi ea obſerventur, nemo conquerendi cauſam habet, cum ex iſtis principiis demonſtrare quis teneatur, ſibi injuriam eſſe factam. Etenim qui ex principiis verioris Politicæ demonſtrare nequit, injuriam ſibi eſſe factam; is utique ſine cauſa conqueritur, ſeu conquerendi rationem ſufficientem minime habet. Querelas autem tolli, quæ ratione deſtituuntur legitima, impoſſibile cum ſit; nec juſtitiæ eſt impedire, ut nullæ prorſus ſuboriantur querelæ. Dum vero ita argumentamur, ſicuti ſe habet lucrum *Titii*, quod in Rep. percipit, ad lucrum *Mævii*, ita quoque ſe habere debet onus *Titio* irrogandum ad onus, quod imponitur *Mævio*: nemo, qui vel primis labris elementa Geometriæ deguſtavit, ignorat, ita obſervari proportionem, quam Geometræ contemplantur, quæque & moderno Mathematicorum ſtylo geometrica dicitur. Similiter dum in diſtribuendis muneribus argumentamur, quo *Titius* ad munus publicum obeundum aptior *Mævio*, eo munus, quod eidem confertur, præſtat munere, quod

con-

confertur *Mævio*; proportio denuo geometrica in hac illatione latet. Nec aliter ſeſe res habet, ubi honores *Titio* decreti ſunt, ad honores, quibus fruitur *Mævius*, ut merita *Titii* in Remp. ad merita *Mævii* in eandem. Argumentationes iſtiusmodi ſpeciales continentur ſub hac generali: Vt perſona una ad alteram, ita pars communis diſtribuendi, quæ uni debetur, ad partem, quæ debetur alteri; quæ utique proportione geometrica nititur. Patet autem ex antecedentibus, proportionem perſonarum determinari per id, quod quis ad finem ſocietatis confert, ut in mercatorum ſocietate per pecunias collatas, ſi ſocii omnes eandem operam præſtent. Nihil in hiſce continetur, quod rationi conſentaneum non ſit. Quamobrem cum & definitionem juſtitiæ *Vlpiani* eidem concordem deprehenderimus (§ 6.); vel exinde colligere datur, quod, quæ in definitione *Vlpiani* continentur, ad juſtitiam quoque diſtributivam, quam *Ariſtoteles* vocat, applicari poſſint. Sed hoc quidem docendum eſt paulo diſertius. Definitio *Vlpiani* unicuique jus ſuum tribuere

Digitized by Google

buere jubet. Videndum itaque, quod unicuique circa communia, in quibus diſtribuendis verſatur juſtitia diſtributiva, jus ſit, & quomodo eidem tribuatur. Non autem fictione inutili Resp. hic conſideratur inſtar perſonæ, quam repræſentant illi, penes quos eſt rerum poteſtas. Atque ita quoddam jus eſt Reip. a civibus eidem tribuendum; quoddam etiam jus civium tribuendum ipſis a Rep. Nimirum Resp. jus habet exigendi onera, ne deſint ſumtus ad ſalutem Reip. ac tranquillitatem promovendam & conſervandam neceſſarii. Atque adeo in Remp. juſtus eſt civis, qui onera pro rata lubentisſime ferre non recuſat; & qui Remp. repræſentant, in cives juſti ſunt, quatenus onera iſta diſtribuunt commodis in Rep. perceptis proportionaliter, conſequenter in proportione geometrica. Similiter jus civibus competit prætendendi honores meritis in Remp. proportionatos, & munus aptitudini ad idem obeundum proportionatum. Illis adeo jus ſuum tribuunt ii, penes quos eſt rerum poteſtas, ſi honores & munera in proportione geometrica diſtri-

ſtribuuntur. Jus quoque competit Reip. in cives ab iisdem exigendi, ut muneri publico viribus ſuis proportionato ſubeundo humeros ſuos ſubmittant. Civis adeo tribuit Reip. jus ſuum, qui humeros ſuos prompte ſubmittit. Quæ igitur circa communia diſtribuenda ex definitione *Vlpiani* conſequuntur, eadem ſunt cum iis, quæ de juſtitia diſtributiva tradit *Ariſtoteles*.

Conſenſus doctrinæ Ariſtotelicæ *de juſtitia commutativa cum definitione* Vlpiani.

§. 10. Videamus vero jam porro, quomodo eidem conſentiant, quæ de juſtitia commutativa ſeu correctoria *Ariſtoteles* docet. Sententiam philoſophi denuo optime explicavit *Joannes a Felde* (o), juſtitiam commutativam definiens per iuſtitiam particularem, quæ tollit querelas in commutationibus partim ſpontaneis, partim invitis. Commutatio hic dicitur actus, quo aliquid, quod erat *Titii*, transfertur in *Mævium*. Sunt adeo commutationes ſpontaneæ contractus, qui mutuo contrahentium conſenſu perficiuntur; invitæ autem furta, rapinæ, damna iniuria data. Ex commutationi-

(o) loc. cit. a. 4. p. 12.

itized by Google

tionibus invitis ſtatim oriuntur querelæ, veluti ex furto, ex injuria verbali, ex injuria reali; ex ſpontaneis tum demum, quando *Mævius*, quod erat *Titii*, accipit, *Titio* autem vel nihil retribuit, vel non tantum, quantum debet, vel non eo loco & tempore, quo debet. Ponamus *Mævium* domum *Titi* emere 4000 thaleris, eamque ipſi tradi; *Mævium* tamen ſtatuto tempore non ſolvere pretium, aut non ſolvere integrum. Naſcuntur inde querelæ, quod *Mævius* non ſolvat, quod debet, vel non ſolvat, quod debet, integrum. Has igitur querelas tollit juſtitia commutativa, ſive correctoria. Videndum vero jam erit, quomodo querelæ tollantur. Si querelæ ex commutatione ſuboriuntur, unus quidem plus habet, alter minus. Quamobrem ut tollantur, plus habenti ſubtrahitur, quod plus habet, atque minus habenti detractum additur. Ita in caſu præcedente *Mævius*, cui tradita eſt domus *Titii*, plus habet, quam habere debet, nempe domum & pretium 4000 thalerorum ſimul, cum tantummodo domum habere debeat;

ex adverſo autem *Titius* minus habet, quam habere debebat, cum pretium habere debeat. Tolluntur adeo querelæ, ſi *Mævius* ſolvit *Titio* 4000 thaleros. Facta enim ſolutione nullam amplius conquerendi cauſam habet *Titius*, qui querebatur de 4000 thaleris ſibi non ſolutis eo tempore, quo ſolutionem promiſerat *Mævius*. Atque ea quidem in commutationibus ſpontaneis ſatis manifeſta ſunt; paulo majore autem attentione opus eſt, ubi cum commutationibus invitis negotium fuerit. Commutationes invitæ delictorum nomine veniunt. In delictis æſtimandis ſpectatur & damnum illatum, & offenſa, qua tum civem quoad perſonam ſuam privatam, tum Remp. læſit. Si *Mævius* mille aureos *Titio* abſtulit, duplici ex capite querelæ oriuntur, nempe ob jacturam mille aureorum, & ob terrorem, triſtitiam alioſque affectus moleſtos ex ea perceptos. Tolluntur adeo querelæ, ſi non modo mille aurei reſtituuntur, ſed & offenſæ ſatisfiat pœna inflicta. Hinc pœna furti ab ipſo Deo in Rep. Hebræorum pecuniaria erat conſtituta,

& mul-

& mulcta ſolvebatur domino, cui res furto fuerat ablata. Minus enim habebat *Titius*, quam habere debebat, non modo quod mille aureis careret, quos habere debebat, ſed & quod pretio deſtitueretur, quanti tædia ob jacturam mille aureorum creata æſtimabantur. Quamobrem non modo reſtitui juſſit (p) Deus, quod furto erat ablatum; ſed ejus potius nunc quintuplum, nunc quadruplum pro quantitate tædii percepti, ut extingueretur vindictæ cupido, ſicque querelæ prorſus ceſſarent. Pro uno nimirum bove reſtituendi erant boves quinque; pro ove una tantum quatuor. Homicida vindictæ ſatisfaciens quaſi lucrum, occiſus damnum habet. Eripitur eidem jure talionis vita (q), ut æqua ſit utriusque conditio. Eadem eſt ratio æſtimationis injuriarum in jure Romano. Quoniam itaque in juſtitia commutativa uni demitur, quod plus habet, detractumque additur alteri, qui habet minus; ideo obſervari dicitur proportio arithmetica, in qua

(p) Exod. XXII. 1. (q) Exod. XXI. 12.

addendo & ſubtrahendo omnia perficiuntur. Tenendum ſcilicet eſt, Mathematicos veteres proportionis nomine tantummodo appellaſſe eam, quæ geometrica nunc dicitur; arithmeticam vero tanquam in Geometria parum utilem non conſideraſſe. Vocavit igitur *Ariſtoteles* proportionem geometricam, qua utuntur Geometræ; cum vero alia opus eſſet in commutationibus ad jus revocandis, hanc arithmeticam appellavit; qua in re hodie Mathematici plurimi ipſum ſequuntur, vocantes propoſitionem arithmeticam, ubi eadem eſt differentia terminorum. Etſi autem *Ariſtoteles* potiſſimum ad hoc reſpexerit, ut inæqualitas tollatur, & ad æqualitatem reducantur inæqualia; in proportione tamen inæqualitatis notioni nunc receptæ convenienter facta explicatio multo evidentior eſt. Nimirum in juſtitia commutativa, quæ in corrigendis inæqualitatibus ex commutationibus ortis tota verſatur, retributio ita fieri ſolet, ut ea facta ſtatus *Titii* ac *Mævii* quoad bona fortunæ idem ſit, qui fuerat ante commutationem. Vn-

de

by Google

de & injuriæ, & offenſæ olim pecunia æſtimabantur, perinde ac bona ſive mobilia, ſive immobilia, quorum pretium pecunia determinatur. Quodſi igitur juſtitia obſervari debet in commutationibus, id effici debet, ut, quænam erat ſtatus *Titii* ac *Mævii* differentia ante commutationem, eadem ſit poſt retributionem, quoad bona ſcilicet fortunæ, reſpectu hujus commutationis, præciſis ceteris, quæ ad eam nihil faciunt, cum quoad cetera ſtatus *Titii* atque *Mævii* idem permanſiſſe ſupponatur, qui fuerat ante commutationem. Hanc vero regulam niti proportione arithmetica nemo ignorat, qui prima Arithmeticæ rudimenta animo comprehenſa habet. Per commutationem differentia ſtatus commutantium mutatur, per retributionem vero ex diverſa eadem efficitur, quæ fuerat ante; id vero aliter fieri non poſſe, quam ſi id, quod plus habenti ſubtractum fuerit, addatur minus habenti, quemadmodum præcipit *Ariſtoteles*, nemo non intelligit, modo utatur ea attentione, quæ hic ſufficit. Hanc retributionem, qua

Digitized by Google

querelæ civium tolluntur, eſſe definitioni *Ulpiani* conſentaneam, levi attentione cognoſcitur. Oriuntur enim in commutationibus ſpontaneis querelæ *Titii*, quod ipſi *Mævius* non tribuat jus ſuum; in commutationibus autem invitis, quod violaverit jus ſuum. Quare cum juxta doctrinam *Ariſtotelicam* retributio ita fieri debeat, ut, eadem facta, perinde ſit, ac ſi commutatio facta non fuiſſet; ecquis non videt eadem juſte conquerenti de jure ſuo jus ſuum tribui? Ita vero ſatisfit juſtitiæ juxta definitionem *Ulpiani*, quæ unicuique jus ſuum tribui jubet.

Dubiis Grotii occurritur.

§. 11. Dubio vero cuidam hic occurrendum eſt, quod cum ipſum *Grotium* perplexum reddiderit (r), dignum judico, quod expendatur. Nimirum quæ *Ariſtoteles* de proportione geometrica in juſtitia diſtributiva; de arithmetica in commutativa obſervanda inculcat, ex eorum genere eſſe dicuntur, quæ ſæpe locum habent, non ſemper. Enimvero id quidem inde eſt, quod determinatio ejus, quod retribui debet, confundatur cum modo retribuendi, quo-

(r) de J. B. & P. lib. 1. §. 8. n. 2. p. m. 7.

Digitized by Google

quorum hunc, non iſtam præſcribit juſtitia. Etenim dum quæritur, quomodo retributio fieri debeat, ut nemo juſtam conquerendi cauſam habeat; ſupponitur utique id, quod retribui debet, & de quo juſtæ ſunt querelæ, quas tollere eſt juſtitiæ commutativæ. Neque enim negari poteſt, in factorum & rerum æſtimatione proportionem ſæpius obſervandam eſſe geometricam. Etenim ponamus, ſocium unum ſolvere alteri nolle partem lucri ex ſocietate debitam. Quodſi ſinguli ſocii non eandem contulerint pecuniæ ſummam, ſed diverſam; vel ex communi Arithmetica conſtat, in lucro dividendo obſervari proportionem geometricam, unoquoque ſociorum partem lucri pecuniæ collatæ proportionalem accipiente. Enimvero juſtitia commutativa non definit modum, quo ſocii lucrum commune inter ſe dividere debent; ſed tantummodo ſocio tribuere jubet partem lucri ipſi debitam, qui, quod ipſis ſociis ceteris non tribuatur, conqueritur. Pars lucri debita ut plurimum definienda eſt ex contractu. Aſt dum retributio fieri

debet ejus, quod ex contractu debetur, in ea obſervandam eſſe docet *Ariſtoteles* proportionem, quam vocat, arithmeticam. Principia determinandi id, quod retribui debet, varia eſſe poſſunt; ſed modus retribuendi ſemper per proportionem arithmeticam intelligitur, quemadmodum paulo ante docuimus (§. 10). Non addimus exempla plura, qualia inprimis factorum æſtimatio in commutationibus invitis ſuppeditat, cum ex dictis ſatis manifeſtum ſit, quid etiam in iis difficultatem faceſſat. Ceteræ *Grotii* difficultates, quas contra diviſionem juſtitiæ *Ariſtotelicam* in diſtributivam & commutativam faceſſit, minoris ſunt momenti, ac leviori attentione ſolvuntur. Dum enim vocabulum commutationis nimis arctum eſſe judicat, quam ut omnia comprehendat, quæ ad commutativam juſtitiam referuntur; ſatis apparet ex antecedentibus, invito *Ariſtotele* vocabulum commutationis reſtringi ad ſolas ſpontaneas, cum tamen idem generalius ſumatur, ut invitas etiam tanquam alteram ſpeciem ſub ſe comprehendat. Si notio generalis, qualem dedimus paulo

paulo ante (§. 10.), ex contextu *Ariſtotelis* eruatur, regulis illis interpretandi conformiter, quas in Logica dedimus; nihil nominari poterit ad juſtitiam commutativam referendum, quod non per definitionem commutationis ad eam referendum eſſe judicetur. Neque in iis latet difficultas, quod juſtitia diſtributiva non recte verſari dicatur circa communia, commutativa vero circa propria, ſeu res ſingulorum. Quando enim dicitur civitas, quæ de communi reddit, quod civium quidam in publicum impenderunt, nonniſi commutativa juſtitia fungi, minime autem diſtributiva; id omnino verum eſt, ſed contra doctrinam *Ariſtotelicam* nihil facit, cum hic non diſtribuatur aliquod commune, ſed civitas inſtar perſonæ privatæ conſideratæ reddit perſonæ privatæ alteri, quod ex contractu debet. Eodem modo apparet, ipſum a ſignificatu vocabuli communium recedere, quando ad juſtitiam diſtributivam refert caſum, quo quis de re ſua legat alteri. Neque enim hic diſtribuitur, quod commune eſt civium, quatenus ſunt partes ſocietatis civilis; ſed teſtator legat pri-

 vato

vato, quod nullo jure exigere poterat. Naſcitur demum legatario aliquod jus ex voluntate teſtatoris, & hoc eidem tribuere debet juſtitia commutativa. Legatum enim ad commutationes ſpontaneas referri debere, commutationis definitio generalis inſinuat (§. 10). Satis igitur ſuperque apparet, *Grotium* non tanti feciſſe doctrinam *Ariſtotelicam*, ut eam attentione ſua dignaretur, cum ſubſtiterit in notionibus confuſis, quas etymologia vocum inſinuat, parum ſollicitus, utrum eæ ita explicari poſſint, nec ne, ut doctrina *Ariſtotelica* cum veritate conſentiat; id quod tamen in omni interpretatione æqua obſervandum eſſe alibi (s) docuimus. Etenim ſi attentione ſufficiente uti voluiſſet, acumen tanti viri effugere non poterat, quod in ſolida argumenti diſcuſſione adeo obvium eſt. Quodſi quis cum eodem *Grotio* juſtitiam commutativam expletricem, diſtributivam attributricem appellare malit; nobis quidem perinde eſt, modo in re nihil mutet: alias enim, quod ipſi *Grotio* accidit, non notiones *Ariſtote-*

(s) *Log.* §. 907. 908.

Digitized by Google

ſtotelicas retinet, ſed tantisper variatas cum novis nominibus iisdem ſubſtituit. Nos hic non aliud agimus, quam ut oſtendamus, doctrinam *Ariſtotelicam* de juſtitia a veritate non eſſe alienam, ſed perutilem ac ſanam, nec male feciſſe ICtos recentiores, quod eandem cum definitione *Vlpiani* conjunxerint tanquam uberiorem ipſius explicationem.

Vtilitas doctrinæ præſentis.

§. 12. Cum quilibet juſtus eſſe debeat erga alios, nemo profecto dubitare poteſt, quin diſtincta juſtitiæ notio unicuique multum utilitatis afferat. Inprimis uſui ſunt, quæ de juſtitia univerſali (§. 7.) tradidimus, non modo quod inde appareat deeſſe quid virtuti, niſi juſtitiæ perpetua comes fuerit; ſed quod a juſtitia univerſali nova deſumantur actionum quarumcunque motiva; multiplicatis autem motivis virtutis ſtudium facilitari & firmari, dudum docuimus alibi. Non parum voluptatis hinc percipit, qui ad virtutis gloriam contendit, ubi intelligit, virtutem unamquamque ad novum aliquem perfectionis gradum evehi poſſe, de quo vulgo pauciſſimi cogi-

cogitant. Et quoniam Icti ſunt ſacerdotes juſtitiæ, omnisque eorum labor in juſto ab injuſto ſeparando verſatur; ipſorum utique intereſt noſſe, quomodo & in univerſum omnes, & ſinguli quoque juſti eſſe queant, tum quomodo querelæ de injuſtitia, aut ſaltem juſtitiæ defectu tollantur. Latent in notione juſtitiæ in præcedentibus evoluta principia admodum fœcunda, quæ & ad prudentiam legislatoriam conducunt, & ad rationes legum ſcrutandas manuducunt; quarum in interpretatione præſertim extenſiva & reſtrictiva multus eſt locus. Judicis officium in eo conſiſtit, ut tollat querelas ex commutationibus ortas. Ipſi adeo facem præferunt ea, quæ de juſtitia commutativa propoſuimus. Nec difficile nobis foret, judicis officium omne ex notione juſtitiæ commutativæ deducere. Illorum, penes quos eſt rerum poteſtas, cura haud poſtrema eſt, ne cuiquam civium juſta conquerendi cauſa ſit. Juvabit igitur ipſos notio juſtitiæ diſtributivæ penitius evoluta. Nec difficile nobis foret, demonſtrativa ratione inde dedu-

deducere, quæ ad omnes hujus muneris partes adimplendas faciunt. Singula ſpeciminibus ſane illuſtribus illuſtrare poteramus; ſed de ſpecialibus alio tempore dicendorum campus ſeſe aperiet.

III.

De ſucceſſiva Aſſenſus generatione, in ſolida rerum cognitione.

§. 1.

Ad generationem aſſenſus vulgo non attenditur; ex defectu autem hujus attentionis multæ in praxin deviationes redundant. Quamvis itaque in Logica docuerimus (t), quæ ſatisfaciunt, ſi principia omnia anteriora, unde evidentia illius doctrinæ pendet, quis habuerit perſpecta; utilitatem tamen hujus doctrinæ commonſtraturi, ut ea præmittamus, quæ ad geneſin iſtam diſtincte percipiendam ſufficiunt, conſultum omnino ducimus. Ceterum de aſſenſu hic nobis ſermo eſt, qui ex plenaria convictione naſcitur, ſeu cum omnimoda *Vtilitas & ratio præſentis inſtituti.*

(t) §. 993.

da certitudine conjungitur, minime fallax, ſed ab omni errandi periculo procul remotus; minimi autem nobis eſt negotium cum aſſenſu, quem perſuaſio parit, ſæpiſſime fallax & cum periculo errandi ſemper conjunctus. Cumque ſolida rerum cognitio nobis curæ cordique ſit, de eo aſſenſu inprimis agimus, qui per rationes intrinſecas, non autem per extrinſecas extorquetur. Etſi enim aſſenſum, qui extrinſecis rationibus debetur, non omni in caſu rejiciamus, ſed ejusdem præclarum, immo indiſpenſabilem uſum in praxi & agnoſcamus, & aliquando, ſi Deus vitam viresque corporis ac animi conceſſerit, in Logica probabilium adſtructuri ſimus; in præſenti tamen de eo non agimus, utut haud pauca ad eum quoque applicari poſſint, quæ de aſſenſu rationibus intrinſecis nitente dicemus, propterea quod quædam utrique communia ſint, quæ tamen hic ſimul tradenda, & ad unam ſpeciem applicanda, ubi extra ſyſtema de eadem loquimur. Multa enim non modo licent, verum etiam fieri debent extra ſyſte-

ma,

ma, ut rem pro dignitate tractes, lecto-rique intelligenti ſatisfacias, quæ in ſy-ſtemate non probantur. Dedimus exemplum aliquod jam in ſuperiori-bus (u). Obiter vero monemus, aſſen-ſum certum non eſſe confundendum cum certitudine veritatis. Etenim cer-tus quoque aſſenſus eſt, qui præbetur propoſitioni probabili, tanquam pro-babili, ut nimirum certi ſimus, propo-ſitionis veritatem nonniſi probabiliter a nobis cognoſci. Incertus vero aſſen-ſus eſt, qui præbetur vel propoſitioni certæ, quando quis certus non eſt, pro-poſitionis veritatem a ſe evidenter co-gnoſci.

§. 2. Quodſi igitur aſſenſus vel vi demonſtrationis, ut certus præbeatur propoſitioni certæ, vel vi probationis probabilis, ut certus præbeatur pro-poſitioni probabili, extorquendus ve-nit; ſingula principia, quæ demon-ſtrationem, vel probationem proba-bilem ingrediuntur, & probe perſpe-cta, & familiaria eſſe debent (x). Per-ſpecta nobis ſunt principia, ſi ea in-telligimus, & ſive veritatem, ſive pro-babi- *Aſſenſus generatio.*

(u) II. §. 5. (x) §. 191. *Log.*

babilitatem eorum agnoſcimus. Intelligimus autem principia, ſi eam in nobis excitare valemus notionem, quæ iisdem reſpondet (y), nempe quæ repræſentat cum eas determinationes, per quas ſubjectum conſtituitur, & quæ ſunt ratio ſufficiens prædicati tribuendi, tum præterea eas, quæ prædicato reſpondent, & cum illis una ponuntur; quemadmodum ſatis ſuperque agnoſcere debet, qui principia noſtra Logica ſucceſſiva & iterata lectione ac meditatione ſibi familiaria reddidit. Perſpicimus veritatem propoſitionis, dum & de veritate principiorum demonſtrandi, & de forma demonſtrationis nullum nobis ſupereſſe dubium poteſt: probabilitatem autem agnoſcimus, ubi de probabilitate unius alteriusve principii, de veritate ceterorum, de forma denique probationis, vel de requiſitorum ad veritatem inſufficientia fuerimus ſolliciti. Enimvero familiaria tum demum nobis dicenda ſunt principia, quando & notiones iisdem reſpondentes veluti ſponte ſua nobis ſuccurrunt, quoties de iisdem cogi-

(y) §. 520. *Log.*

cogitandi occaſio offertur, hoc eſt, verbis nonnullis, vel omnibus ad eadem pertinentibus auditis vel lectis; & notio ſimul certitudinis vel probabilitatis in nobis renovatur. Hæc denuo & clara & certa eſſe debent illi, qui Logicam noſtram ſeria attentione perluſtravit. Ex his autem intelligitur, quænam ad hoc requirantur, ut aſſenſus firmus ac immotus gignatur, qualem Geometræ propoſitionibus ſuis præbent. Etſi autem ex iisdem porro doceri poſſit, quomodo fieri nequeat, ut aſſenſus aliter quam ſucceſſive gignatur; idem tamen multo clarius eluceſcit, ubi præterea cogitaveris, quam multa principia præſupponantur, antequam vel uni propoſitioni aſſenſum præbere poſſis, niſi eum præcipitare volueris. Neque enim aſſenſus gignitur per principia, quæ demonſtrationem vel probationem probabilem ingrediuntur, niſi ubi aſſenſum firmum atque immotum ipſis quoque principiis præbueris. Enimvero cum hic denuo eadem recurrant circa demonſtrationem vel probationem principia, quæ de demonſtratione

vel probatione propoſitionis datæ tenenda fuerant, aſſenſus huic dandus reſolvitur in aſſenſus anteriores. Immo anteriores porro in alios ipſis priores reſolvi debent ex eadem ratione, donec tandem perveneris ad principia ſine probatione admittenda, qualia ſunt definitiones nominales, utpote prorſus arbitrariæ, cum nemo prohibere poſſit, ne per hoc vocabulum hoc vel iſtud ſignificari velis, atque axiomata, quorum genuinam formam in Logica (z) delineavimus. Datur itaque aſſenſuum quædam genealogia, & quemadmodum impoſſibile eſt, ut filius naſcatur ante parentem, nepos ante avum, pronepos ante proavum, abnepos ante abavum, & ita porro; ita quoque fieri nullo modo poteſt, ut aſſenſus quidam poſterior naſcatur ſine quodam anteriore, unde in actu ſuo pendet. Illa autem aſſenſus genealogia in dato caſu agnoſci nequit, niſi ubi veritates omnes in ſyſtema fuerint redactæ, ita ut nullum in demonſtrando ſumatur principium, quod per ſe evidens non ſit, niſi quod ex ante-

(z) §. 263. & ſeqq.

Digitized by Google

anterioribus citetur; quæ ſane ratio nos impulit, ut non modo Matheſin univerſam in ſyſtema iſtiusmodi harmonicum redigeremus, ad quod deinceps facile referre licet, quæ præter veritates in ſyſtemate extantes vel alibi leguntur, vel proprio Marte a nobis inveniuntur; ſed idem quoque magis difficili labore circa philoſophiam moliamur, quemadmodum ex Logica a nobis evulgata & Philoſophia prima nunc eidem juncta intelligitur. Oſtendi autem jam in Logica (a), quomodo aſſenſuum continua ſeries ſit detegenda, ubi iſtiusmodi veritatum ſyſtema præſuppoſueris. Docui ibidem, aſſenſum propoſitioni de eliminatione ſuperfluorum ex definitionibus præbendum, qualem nos habemus, præſupponere aſſenſus centum & triginta, quorum unusquisque menti ingenerari debet, antequam ipſe in eadem naſci queat, etſi exemplum non ſtudio quæſiverimus, ſed primo oblatum arripuerimus. Quoniam vero Logica diſciplinam aliam non ſupponit, ſed, quæ ibidem tradimus, ex principiis per

(a) not. §. 992.

ſe admittendis deducuntur; vel hinc facile intelligitur, ſeriem aſſenſuum præſuppoſitorum fore multo prolixiorem, ſi ad ceteras diſciplinas progredimur, quæ alias præſupponunt, atque ex iisdem principia ſua hauriunt; id quod exemplis ex Matheſi docere poteramus, ſi quidem opus foret. Sed id quidem opus eſſe non exiſtimamus vel ideo, quia quivis per ſe videt, præter aſſenſus, quos præſupponit aſſenſus uni principio dandus in ea diſciplina, unde principium mutuatur, ſuperaccedere alios, qui diſciplinæ illi domeſtici ſunt, ad quam propoſitio propoſita ſpectat.

Neceſſitas ſyſtematum veri nominis.

§ 3. Hinc eluceſcit neceſſitas ſyſtematum veri nominis, in quibus veritates repertæ ad ſua principia prima, unde pendent, reducuntur, & inter ſe connectuntur. Diximus de his ſyſtematibus in Trimeſtri ſuperiori (b), eorumque formam delineavimus, quæque in eo condendo ſint obſervanda, prolixe ſatis inculcavimus. Certum eſt per ea, quæ ibidem traduntur, in ſyſtemate veri nominis ſolo veritates eo ordine

(b) Num. III. §. 11. p. 129. & ſeqq.

dine proponi, quo cognitio unius a cognitione alterius pendet, ut nempe continuo præmittantur, quæ ad intelligenda & probanda ſequentia requiruntur, ne ullibi utamur voce, niſi per antecedentia clara, nec ad probandum ſumantur, niſi quæ per antecedentia ſunt evidentia: claritatem enim notionibus, quatenus conſtat, quænam ad eas referantur, evidentiam propoſitionibus tribuimus, quatenus certi ſumus, prædicatum ſubjecto vi notionis ejusdem eſſe tribuendum. Jam vero aſſenſus firmus propoſitioni alicui dandus non generatur, niſi ubi a notionibus, quæ tanquam per ſe claræ aſſumi poſſunt, progrediaris ad eas, quarum claritas pendet ab aliis, & a principiis, quæ tanquam per ſe evidentia ſumere licet, ad propoſitiones, quarum evidentia in illorum evidentiam reſolvitur. Syſtemata igitur veri nominis ita comparata ſunt, ut aſſenſus certus atque immotus legitima eorum tractatione generari poſſit. Exemplo nobis ſunt Mathematici, quibus immotus eſt aſſenſus, quem propoſitionibus geometricis præbent: nemo

mo enim unquam ullis artificiis efficiet, ut Geometra dubitet de veritate theorematis *Pythagorici*, vel alterius *Euclidei* cujuscunque, quin potius de veritate ejus adeo perſuaſus eſt, ut, ſi veritatem quandam inveſtigandam ſibi proponens in propoſitionem inciderit, unde contrarium ejus deducitur, quod theoremate aliquo *Euclideo* continetur, illico inferat propoſitionem a ſe repertam eſſe falſam, quantocunque etiam gaudio perfuſus fuerit, cum exiſtimaret veritatem quæſitam a ſe fuiſſe inventam. Aſſenſus itaque adeo firmus eſt, ut ad quemlibet affectuum impetum immotus perſiſtat, ac impoſſibile ſit id maxime credi, quod quis maxime vult. Neque vero putandum eſt, id tribuendum eſſe præjudicio in limine ſtudii mathematici tyronum animis inſtillato, quemadmodum ſubinde videre licet homines errorem circa religionem tanto fervore defendentes, ut vel martyrium pati, quam ab eodem recedere mallent. Vt enim taceam, rationes aſſenſus diſtincte doceri poſſe, per quas intelligenti obvium eſt nullum hic præjudi-

judicio eſſe locum, multo minus pertinaciæ erroris defendendi rationes extrinſecas dari, quales in altero caſu frequentiſſimas eſſe nemo non novit: ſufficit hic provocaſſe ad conſtantem ſeculorum omnium morem, cum nullum unquam extiterit tempus, quo Elementa *Euclidea* legitima attentione ſtudioque tractantes immotum iſtiusmodi aſſenſum non fuerint conſecuti, ubi cum iis nobis eſt negotium, qui geneſin iſtam aſſenſus in ſe minime experti claram ejus notionem nondum animo comprehenſam tenent. Etenim ubi quædam perſuaſio a præjudicio ortum trahit, eadem non omni tempore firmitas perſiſtit. Exemplo nobis eſt honeſtas & turpitudo actionum intrinſeca circa finem ſuperioris ſeculi in Academiis Germanicis adeo pertinaciter defenſa, ut atheiſmi rei fuerint poſtulati, qui eam non admitterent, ubi nunc tanto fervore impugnatur, ut atheiſmi rei judicentur, qui eidem aſſenſum præbent. Neque dubium ullum eſt, fore, ut ſcena iterum mutetur, cum honeſtas ac turpitudo actionum intrinſeca firmo nitatur talo,

ut nonniſi ab iis impugnetur, qui vel contrarium in juventute fuerint edocti, vel per rationes domeſticas extrinſecas contrariam ſententiam eligere coacti, quemadmodum ſolenne eſt ingeniis non ſyſtematicis, quorum a voluntate, immo appetitu ſenſitivo pendet aſſenſus. Inprimis etiam notandum eſt, non defuiſſe, qui maturiori judicio demonſtrationes *Euclideas* ad examen rigoroſum revocarunt; id quod ex Scholis Mathematicis *Petri Rami* ſatis ſuperque apparet, atque controverſia de angulo contactus inter *Jacobum Peletarium* & *Chriſtophorum Clavium* mota, quod propoſitio *Euclidea* dubio cuidam obnoxia videbatur, defectu notionis ſatis claræ infinite ſeu incomparabiliter parvi. Quemadmodum vero aſſidua Syſtematum veri nominis tractatione aſſenſum firmum atque immotum gigni manifeſtum eſt; ita ex adverſo probatu haud difficile eſt, talem a libris alia quam ſyſtematica methodo conſcriptis fruſtra expectari. Etenim ſi libri communi more fuerint conſcripti, in antecedentibus occurrunt termini, qui demum explicantur

in

in ſequentibus, & quibus nulla in tyrone reſpondet notio confuſa. Atque ea ratio eſt, cur lector hæreat in intelligenda mente autoris, niſi, quæ Autor tradit, aliunde ipſi fuerint perſpecta, conſequenter opera alterius indigeat, qui terminos iſtos eidem explicet. Similiter in antecedentibus ſumuntur tanquam principia, quæ demum in ſubſequentibus occurrunt, & ideo impoſſibile eſt, ut quis certum præbeat aſſenſum propoſitioni probatæ, cum veritatis principii, unde certitudo pendet, nondum fuerit convictus. Haud raro etiam contingit, ut committatur circulus in probando, ſi ad probanda anteriora ſumuntur principia ex ſequentibus, & ad probanda ſequentia principia ex anterioribus. Ita viro cuidam inter ingenia non ſyſtematica magnæ autoritatis oſtendi, quod circulum commiſiſſet in probandis, exiſtentia Dei ac finibus, cum exiſtentiam Dei probaturus ſumeret, dari fines, & probaturus, quod dentur fines, præſupponeret, dari Deum, mihi autem publice magno fervore, aut potius furore inſultaret, quod alicubi monuiſſem, in

probanda exiſtentia Dei per fines rerum naturalium communiter circulum committi. Nec difficile fuiſſet plurima iſtiusmodi exempla ex ejusdem ſcriptis in medium afferre, ſi quidem operæ pretium fuiſſet. Extra omnem vero dubitationis aleam poſitum eſt, aſſenſum nullo niti fundamento, ubi circulus in probando committitur. Denique in libris vulgari methodo conſcriptis probationes quoque non evolvuntur, ſed fontes tantummodo indicantur, aut, ubi quis evolutas proferre decreverit, plurimi tamen hiatus admittuntur a lectore non facile ſupplendi. Quamobrem hac quoque de cauſa fieri nequit, ut aſſenſus firmus ac indubitatus gignatur. Quoniam itaque omnes libri aut ſyſtematici ſunt, aut non ſyſtematici; ex libris autem ſyſtematicis gigni poteſt aſſenſus firmus atque immotus, ut autem talis ex non ſyſtematicis gignatur, pro impoſſibili habendum; ex libris ſyſtematicis ſolis aſſenſum firmum atque immotum gigni palam eſt. Atque ea ratio nos impulit, ut genus humanum a perpetuis fluctationibus libera-

berare ſtuderemus; quod ſi ex aſſe conſequi nobis datum non fuerit, non tamen prorſus contemnenda ſubſidia nos præſtituros confidimus, ſi quidem Deo viſum fuerit, ut opera philoſophica bonis avibus cœpta feliciter continuare liceat. Vtinam plures ea de re cogitarent, ut de adjutoribus lætandi occaſio daretur, ſicuti nunc haud contemnendus eſt eorum in Germania numerus, qui laborem generi humano adeo utilem impedire nituntur. Quod absque ſyſtematibus veri nominis firmus atque immotus aſſenſus gigni minime poſſit, experientia abunde confirmat. Videmus enim quotidie, quantum vacillet aſſenſus eorum, qui aliquo ſaltem acumine præditi ſunt, ubi ad ſcripta minime ſyſtematica legenda animum appellunt. Cumque ſtudio mathematico perficiatur acumen, ac inprimis animo ingeneretur notio illius ſenſus, quo certitudinem cognitionis percipimus ex convictione ortam; enatæ hinc ſunt nonnullorum querelæ, quaſi Matheſis corrumpat intellectum, & hominem ad alia ſtudia tractanda ineptum reddat, propterea quod

quod experiantur in Matheſi aſſiduos conqueri de obſcuritate, dum proferuntur termini nondum ſatis explicati, & evidentiam majorem deſiderantes aſſenſum præbere nolle, ubi ſumuntur principia nondum probata, nec probationes ſufficienter evolvuntur. Neque alia profecto ratio eſt, quod acutiores cum *Hüetio* in ſcepticiſmum tandem prolabantur, quaſi nihil ſit, quod certo ſciri poſſit in philoſophia, imbecillitatem rationis humanæ accuſantes. Immo ex eodem fonte manat inconſtantia in ſententia defendenda, ut ſæpius vertumno mutabiliores nunc hanc, nunc alteram contradictionis partem tueantur, prout rationes extrinſecæ in hanc potius, quam alteram partem aſſenſum trahunt. Inde etiam eſt, quod in fundamentis ponendis ac iterum diruendis continuo verſentur eruditi, nec Mathematicorum more ulterius progrediantur, quodque tot hypotheſes abſurdæ indeſinenter in publicum protrudantur ab iis, qui prima cognitionis humanæ principia nondum perſpexere; quod inter docentes eminere velint, qui vix digni repe-

reperiuntur, ut in diſcentium numero ſint; quod imperiti impugnent doctrinam ſolidam, quam non capiunt, quaſi per ignorantiam privilegium obtingat, ut quis judicis partes teneat inter eruditos. Alia mala longe plurima iſtisque majora ſilentio præterimus, quæ a defectu aſſenſus firmi atque immoti ortum trahunt.

Modus legendi ſcripta ſyſtematica.

§. 4. Porro modus, quo aſſenſus firmus atque immotus gignitur, docet, quomodo in legendis libris ſyſtematicis verſari debeamus, ut eandem certitudinem conſequamur, quæ autori fuit. Nimirum cum aſſenſus ſucceſſive gignatur, nec vi demonſtrationis extorqueri poſſit, niſi principia nobis fuerint intellecta atque familiaria, in legendis libris ſyſtematicis lento gradu progrediendum, ut notiones definitionibus ac propoſitionibus reſpondentes altas in mente radices agant, ſenſusque claritatis ac certitudinis cum iisdem firmiter connectatur. Experiuntur idem, qui ad elementa *Euclidis* legenda ſeſe conferunt. Etſi enim definitiones fuerint faciles ac longe clariſſimæ, etſi axiomata ad exempla applica-

itized by Google

plicata luce ſua radient; non tamen ſibi conſulit, qui fugitivo nonniſi oculo illas atque hæc percurrit. Ad ſequentia pede promoto ipſo opere intelligit, quod ea propter ſibi alia ſint obſcura, alia inevidentia. Ex adverſo autem non habet, cur eum operæ ſuæ pœniteat, qui ſingulis diebus nonniſi aliquot definitiones accurata analyſi perluſtravit, & diutina attentione memoriæ firmiter infixit; qui axiomatis multiplici ad exempla applicatione lucem affudit, eoque ſtudio ſimul ea memoriæ demandavit; qui ad propoſitiones demonſtrativas progreſſus accurata demonſtrationum analyſi, quam alibi (c) docuimus, paucas una vice ſibi reddidit evidentes ac familiares. Etenim is ſine difficultatum tædiis ad ulteriora progreditur, & voluptas, quam ex ſucceſſu percipit, diligentiæ aſſiduitatem confert. Quoniam philoſophiam ſyſtematica methodo trado, qua *Euclides* ſua conſcripſit elementa; in operibus meis legendis eodem modo verſari debent, qui eam doctrinarum ibi propoſitarum claritatem ac evidentiam

(c) §. 551. & ſeqq. *Log.*

Digitized by Google

tiam conſequi cupiunt, quam ego experior. Cui nimis tædioſum videtur lento adeo gradu progredi, ac niſi cum die ex iisdem proficere, ei vehementer ſuadeo, ut ab iis legendis deſiſtat: neque enim unquam certus eſſe poterit, ſe mentem meam rite percepiſſe, nec veritatem, etſi manifeſtam, perſpiciet. Quodſi vero operam dederit, ut aſſenſus ſucceſſive generetur; tum nihil mihi ſupereſt dubii fore, ut doctrinam, quam trado, ſolidam ac utilem eſſe experiatur. Cum nuper homines nonnulli a doctrina ſolida ſibi metuentes horrendo latratu per orbem eruditum aërem implerent, quod ipſis exploratum eſſet, plurimos eſſe eruditos, qui canum more latratui latratus jungant, utut cauſam ignorent; non defuere circumſpectiores, qui libros meos ante legere ac relegere maluerunt, quam imputationibus aliorum plenam fidem haberent, ut ſolidis argumentis, non ficulneis ac ſtramineis, quibus conſequentiarii utebantur, doctrinam meam refutarent. Sed qui animo refutandi acceſſerant, doctrinam veram ac ſolidam a me proponi ultro

ultro agnoverunt, & veritatis, & utilitatis convicti partim privatim (d), partim publice (e) ejus rei teſtimonium mihi præbuerunt, ac arma in adverſarios converterunt. Et ideo dudum pronunciarunt viri graves ac intelligentes ſcripta mea contra vociferationes male ſanas nulla defenſione egere, ſed ipſamet pro me ac pro ſe loqui, atque ego imputationes horrendas absque ulla reſponſione Metaphyſicæ Germanicæ præfigi curavi, certus, fore, ut omnes lectores attenti intelligant, eam a vociferatoribus non ea attentione lectam fuiſſe, quæ ſufficit, ut intelligatur, adeoque male conſuluiſſe famæ ſuæ, qui iisdem fidem habuere, meis prorſus non lectis.

Præcox aliorum impugnatio quomodo vitetur.

§. 5. Qui ſucceſſivam aſſenſus generationem probe perpendit, is ſibi a præcoce aliorum impugnatione cavebit, qua nihil frequentius inter Germanos eſſe ſolet, in nonnullis præſertim Academiis Proteſtantium. Cum enim plurimi ſint, qui orbi erudito innoteſcere

(d) Vide exemplum in den Nachrichten von meinen Schriften §. 210. 212. 213. (e) Vid. Cl. Hollmanni, Prof. Witteberg. Obſervationes Elencticæ in Controverſia Wolfiana.

Digitized by Google

ſcere geſtiunt, ex curta autem, quæ ipſis eſt, ſupellectili depromere non poſſint, quæ cum applauſu excipiantur, & unde nominis celebritatem conſequantur; facillimam eſſe viam ad nominis claritatem contendendi ſibi perſuadent, ſi viris de Rep. litteraria bene meritis ac merentibus inſolenter inſultent, eorumque famam laceſſant. Fovetur hoc præjudicium ſubinde a viris in dignitate conſtitutis, qui, cum ſingularem moderationis laudem affectent, aliorum tamen famam proſcindi e re ſua eſſe arbitrentur, juvenes petulantes ſpe patrocinii ipſis profuturi ad hoc conducunt, ut omne conviciorum genus impudenter in eos evomant, a quibus diſcere ipſis proficuum fuerat. Ab intempeſtivo iſto pruritu alios impugnandi utique ſibi temperabit, qui ſucceſſivam aſſenſus geneſin diſtincte cognitam intuetur. Etenim cum intelligat, nonniſi cum die, plurimo accedente labore, notiones fieri ſatis claras ac evidentes, ut, quid in iis contineatur, & quod quædam eorum per alia determinentur, perſpici poſſit; ſi qua ex virorum præclarorum

doctrinis, aut ſententiis ac hypotheſibus, abſurda ſequi videntur, ea non illis imputabit, ſed inde potius oriri ſuſpicabitur, quod mentem illorum nondum fuerit ex aſſe conſecutus. Abſurda igitur illa in ſuo cerebro quærere ſtudebit, tantoque alacriori animo atque attentione majore diſcutiet, quæ ſibi abſurda videntur, donec majore luce colluſtratus, quam nonniſi cum die naſci novit, defectum cognitionis agnoſcat, unde illa abſurda ortum trahebant. Accidit etiam mihi, ut in limine ſcientiarum conſtituto multa viderentur abſona, multa a veritate aliena, quæ a viris in Rep. litteraria ſummis proferebantur, etſi non deeſſent viri docti ac celebres, qui nonnihil tribuebant judicio meo. Enimvero ſucceſſivam claritatis atque aſſenſus generationem tempeſtive edoctus, quod elementa *Euclidis* eo animo legiſſem ac relegiſſem, ut in rationes evidentiæ ſtudioſe inquirerem, non eſſe talia judicavi, quæ videntur. Viris igitur præclaris & merito ſuo celeberrimis majus acumen tribuens quam mihi in limine adhuc conſtituto, omnem

omnem dedi operam, ut meum, quod naſcebatur, acumen ulterius perficerem; quo facto longe alia mihi viſa ſunt, quæ initio maxime videbantur abſurda. Cumque ſemel ac iterum didiciſſem, quantum mihi obfuiſſem, in viros autem bene de ſcientia meritos injurius fuiſſem, ſi ipſis abſurda imputare voluiſſem, quæ meo cognitionis defectui tribuenda fuerant; eundem morem mihi conſtantem effeci. Neque ejus me unquam pœnitet; vehementer autem doleo, quod neglectu hujus officii totidem deſint ſibimetipſis. Etenim ſi omnes hunc morem ſequerentur, quemadmodum ſequi debebant, niſi in legem naturæ immutabilem peccare velint, ſolida utique doctrina in felicitatem generis humani invaleſceret, & orbis eruditus tandem purgaretur a plebejis illis moribus, qua quis ex obtrectatione aliorum ad nominis famam contendit. Vtinam igitur aſſenſus ſucceſſivi generationem, quam vivis coloribus depinxi in opere Logico, ſibi cognitam atque perſpectam redderent, quotquot de rebus nondum diſcuſſis judicium

deproperare ſolent, ſuæque in judicando præcipitantiæ nimium tribuunt, ut non eſſent Reip. litterariæ dedecori homines, qui ventoſa eruditione turgidi plebejis moribus infamantur!

Præcipitantia in judicando quomodo evitetur.

§. 6. Ex ſucceſſiva illa, cum qua nobis jam negotium eſt, aſſenſus generatione porro intelligimus, non omnium dijudicationem eſſe in poteſtate noſtra, nec omnia omnibus poſſe demonſtrari, ut veritatis convincantur. Etenim per eam intelligimus, quam multa præſupponantur principia nobis cognita atque familiaria, antequam per demonſtrationem aſſenſus extorqueri poſſit, & quam multum requiratur tempus, antequam principia iſta cognoſci atque familiaria fieri poſſunt. Quodſi ergo deprehendimus, principia iſta nobis nondum eſſe perſpecta, nec ſuppetere tempus, quo eadem cognoſcere nobisque familiaria reddere valemus; judicium noſtrum utique ſuſpendimus, & rem omnem iis dijudicandam relinquimus, qui eam diſcutere valent. Aſtronomi motum telluris defendunt, quietem ejus cum motu ſolis rejiciunt. Aſſenſus, quem hypotheſi terræ motæ præbent, pendet a prin-

a principiis geometricis, arithmeticis, trigonometricis, opticis, aſtronomicis, calculis aſtronomicis & obſervationibus, conſequenter nonniſi plurimorum annorum ſtudio atque labori debetur. Neque adeo poſſibile eſt, ut eundem aſſenſum in ſe experiatur, qui principia iſta vel omnia, vel aliqua ſaltem ignorat. Deerat in *Tychone* asſenſus iſte, etſi principiorum geometricorum, arithmeticorum, trigonometricorum, opticorum & aſtronomicorum probe gnaro, propterea quod nondum ſubduxiſſet calculos, eosque cum obſervationibus contuliſſet. Noto enim notius eſt deceſſiſſe *Tychonem*, antequam tabulas aſtronomicas conderet, ut calculos ſubducere, eosque cum obſervationibus conferre poſſet. Nullum vero prorſus eſt dubium, ſi adhuc ſupervixiſſet, ut manum operi admovere potuiſſet, eum idem experturum fuiſſe, quod deinde expertus *Ricciolus*, ſtrenuus ille motus ſolis propugnator, & motus telluris oppugnator, non poſſe tabulas aſtronomicas condi, quæ cum obſervationibus conſentiunt, niſi in hypotheſi terræ motæ. Aut igitur obſervationibus ſuis

 fidem

ſidem omnem denegare debebat, aut hypotheſi *Copernicanæ* de motu telluris aſſenſum præbere cogebatur; quod poſterius fecit *Keplerus*, cum a Cæſare eidem operi admoveretur, quod præmatura morte decedens *Tycho* dereliquerat, utpote certus de veritate obſervationum *Tychonicarum*. Veritatem igitur aſtronomicam capere non eſt cujusvis, conſequenter non immerito puerile viſum *Copernico*, ſi quis ſibi de ea judicium ſumit, cui impoſſibile eſt, ut aſſenſus, qui datur in Aſtronomo, notionem habeat, hoc tamen non obſtante ab Aſtronomo exigit, ut aſſenſum ſuum in gratiam rationum extrinſecarum, per quas de veritate aſtronomica ſtatuere non datur, mutet. Tanta profecto inſania non cadit in vulgus, quod potius artifici in arte ſua credendum eſſe ultro largitur. Equidem non ignoro, faſtum exprobrari *Copernico*, immo in caſu ſimili Mathematicis in genere, quaſi ſibi ſoli ſapere videantur, dum ab aliis res quasdam dijudicari non poſſe contendunt, ita ut non deſint, qui eos vel pedantiſmi poſtulare non erubeſcant.

Digitized by Google

ſcant. Enimvero ſi probe perpenderent, faſtui tribui non poſſe, quod quis ſecundum rei veritatem ſententiam dicit, ad liberandum genus humanum a contentionibus, quæ dedecent viros eruditos, multorumque malorum cauſæ ſunt, & ad removenda obſtacula, quæ incremento ſcientiarum objiciuntur; faſtui potius tribuendum eſſe faterentur, quod ſibi quis plus ſapere videatur, quam ſapit, immo quam ſapere poteſt, ac judicis partes ſibi arroget de rebus, quas non intelligit, nec intelligere poteſt. Si quod enim datur pedantiſmi vitium, id in eos utique cadit, qui ſibi videntur, qui non ſunt, ac ſe ſuper alios hoc nomine efferunt. Quoniam philoſophia vitia hominum corrigere debet, nemo nobis vitio vertet, quod philoſophiam ad publicam privatamque utilitatem tranſlaturi communibus quoque eruditorum vitiis inde medelam afferre ſtudeamus. Et valde vereor, ne in pedantiſmum nimis facilis ſit prolapſus, ubi quis ferre nequit, ut vitiis, quæ dedecent viros eruditos, medela afferatur. Non aliud hinc metuendum eſt malum, quam

quam quod juſtum eruditioni uniuscujusque pretium ſtatuatur, ut ſint, qui videntur, non vero videantur, qui non ſunt; quod malum verum non eſſe, ſed tantummodo apparens iis, qui a pedantiſmi vitio ægre ſibi temperant, nemo ſanus non intelligit. Maxima profecto utilitas in ſcientias mathematicas redundat, quod Mathematici, quibus aſſenſus geneſis optime perſpecta eſt, a vitio iſto liberi ſint, nec quicquam mali inde redundat, quod alii aliis præſtare, nec omnium eædem eſſe dotes exiſtimentur, ſed unicuique ſua tribuatur laus, quam meretur. Præjudicium enim nimis leve eſt, quod quis ſe contemni arbitretur, ſi alterum qua in re ſe ſuperiorem agnoſcit. Non deſcendimus jam ad rationes morales, quibus contrarium doceri poterat, cum nobis hic tantummodo propoſitum ſit ex ipſa aſſenſus geneſi docere, cur non omnia poſſimus omnes, ne plus de facultatibus noſtris ſperemus, quam in iis eſt. Exemplum enim Mathematicorum docet, non rectius præcoci aliorum impugnationi mederi, quam ubi no-

tio

tio diſtincta generationis aſſenſus animo ingereratur. Et quando noſtra methodo philoſophari cœperint homines, a variis iſtis ac pentoſis contentionibus tandem liberabitur genus humanum.

Præjudicium nimiæ confidentiæ quomodo eradicetur.

§. 7. Dum vero ſucceſſiva aſſenſus generatio nos edocet, quænam prærequirantur, antequam aſſenſus gigni poſſit in dato caſu, ſeu quibus aliis aſſenſibus ſucceſſive genitis is tandem oriatur; ut plus de facultatibus noſtris ſperemus, quam in iis eſt, fieri profecto nequit. Quare cum præjudicium nimiæ confidentiæ in eo conſiſtat, quod quis de facultatibus ſuis plus ſperet, quam in iis eſt; non rectius idem eradicatur, quam ubi ſucceſſivæ aſſenſus generationis notionem diſtinctam animo habueris comprehenſam. Experientia idem abunde confirmat. Etenim Geometræ ac Aſtronomi primi ordinis ab hoc præjudicio immunes ſunt. Vltro confitentur, ſi qua in poteſtate ſua non ſunt, ſibi ad ea viam nondum patere; alterum ei, quod quæritur, detegendo eſſe aptiorem. Si vero quidam adhuc hoſpites fuerint in Matheſi, rationes autem extrinſecæ

quænam ſuadeant, ut imperitis videantur, qui non ſunt; ab iis alienum eſſe non ſolet, ut opus aggrediantur humeris ſuis impar. Inprimis autem apparet, eos, qui intellectus ſyſtematici nuper a nobis delineati (f) notionem nullam habent, conſequenter nec ſucceſſivam aſſenſus generationem animo comprehenderunt, de re qualibet judicandi libertatem ſive licentiam ſibi arrogare, immo, quo quid abſurdius cogitari nequit, prætendere, quod de eadem rectius judicare poſſint ceteris, qui longo ſtudio atque labore talia inquirendi & dijudicandi facultatem ſibi compararunt. Exempla afferre poteram domeſtica; ſed ea hac vice ſeponere libet. Recolamus animo, quæ paulo ante (§. 5.) de ſyſtemate mundi *Copernicano* dicta ſunt: ex iis enim ſatis ſuperque intelligitur, quantum defectus notionis, qua ſucceſſiva aſſenſus generatio exhibetur, foveat præjudicium nimiæ confidentiæ. Aſtronomia autem plura exempla ſuppeditat, & in poſterum ſuppeditabit, cum nondum ſpes eſſe poſſit, fore, ut eruditi

(f) in Trimeſtri brumali Num. III.

Digitized by Google

diti omnes intelligant, quod ignorent, & cui dijudicando impares ſint: id enim judice *Melanchtone* tum demum obtinebit, ubi ad ſolidam ſtudiorum rationem juventus revocabitur. Emiſit anno ſuperiori Romæ in lucem opus ſplendidum de Heſperi & Phoſphori novis phænomenis, *Franciſcus Blanchinus*. Papæ Prælatus domeſticus, quod intelligentium applauſu excipietur, quoniam & Phyſicis, & Aſtronomis perutile. Obſervavit is in Venere circa polos duo, circa æquatorem ſeptem maria cum fretis quatuor & promontoriis utrinque iisdem adjacentibus octo, ope teleſcopii centum quinquaginta palmorum. Mirabuntur nonnulli, quomodo fieri potuerit, ut illuſtris Autor talia ſibi perſuaſerit; immo magis adhuc mirabuntur, ubi intellexerint, alios eidem fidem habere, impium & abſurdum pronunciantes in Venere maria fingi cum fretis ac promontoriis, quod riſum, ſi abſurditatem, indignationem, ſi impietatem ſpectes, mereatur potius, quam aſſenſum. Enimvero nos minime miramur illorum temeritatem

in

in judicando, propterea quod rationem manifeſtam perſpicimus, cur ipſis abſurda videantur ac impia, quæ non ſunt. Ignorant enim ſucceſſivam aſſenſus generationem, qui eſt *Blanchino;* ignorant ſucceſſivam aſſenſus generationem, qui eſt ceteris, quotquot non temere eidem fidem habent. Illius aſſenſus non ſimplex eſt, ſed geminus. Etenim certus eſt, ſe in obſervando non fuiſſe deluſum, & ex eo, quod obſervavit, marium, fretorum atque promontoriorum exiſtentiam in Venere recte colligi. Aſſenſus prior pariter atque poſterior in plures alios anteriores a ſe invicem dependentes reſolvitur, ut longæ ac amplæ enaſcantur cauſarum ſeries, per quas uterque diſtincte explicari poteſt, ita ut intelligatur, quomodo ex eo ſtatu, qui mirantium ac temere judicantium eſt, ad eum pervenerit, in quo pronus eſt aſſenſus. Multa hic præſupponuntur principia mathematica, præſertim optica & aſtronomica, itidemque principia phyſica cum notionibus communibus, exquiſitus ratiocinandi habitus, & multa circa obſervationes

Digitized by Google

tiones teleſcopicas experientia, quæ non uno die, ſed multorum annorum intervallo animum ad aſſenſum diſpoſuerunt; id quod a nobis ex opere Autoris eximio ope principiorum mathematicorum & noſtrorum philoſophicorum demonſtrari poterat, ſi iſtam aſſenſus geneſin a priori integro quodam volumine explicare nobis propoſitum eſſet. Qui firmum aſſenſum dictis ejus præbent, illi & notionem quandam habere debent aſſenſus, qualis datur in Autore, ita ut, ſi ipſis obſervatoris loco eſſe daretur, idem prorſus in iisdem productus fuiſſet aſſenſus, ac præterea ex ipſo opere per principia fidei certæ de illius autoritate ſtatuere tenentur. Quibus ignota loquor, illi non mirentur, quod ſe ab aſſenſu adeo remotos experiantur: etenim miraculum veri nominis foret, ſi in eo, quo conſtituuntur, ſtatu vel eundem in ſe deprehenderent aſſenſum, qui eſt *Blanchino*, vel alterum, qui eſt haud temere eidem fidem habentium. Enimvero ne præcipitanter judicent, judicium ſuum ſuſpendant de re, quæ infra ipſorum horizontem eſt,

ut

ut acumen ipſorum eam non attingat, quemadmodum faciunt, qui ſucceſſivam aſſenſus generationem in genere edocti, & in dato caſu eam veluti per tranſennam adſpicientes agnoſcunt ſe rei dijudicandæ impares eſſe; id quod non dedecori, ſed laudi cedit, ſi vel maxime idem ultro confiteamur, cum non omnia poſſimus omnes, nec intelligentes fugiat, quinam ſint impares, etſi imperitis fucum facere poſſint, ubi videri volunt, qui non ſunt. Major profecto intellectus perfectio eſt diſtinguere inter ea, quæ capere ac dijudicare poſſumus, ac inter ea, quæ a cognitione noſtra remota aliorum dijudicationi ſunt relinquenda, quam quæ requiritur, ut quis ſibi perſuadeat ſe eſſe parem operi, cui vires non ſufficiunt.

Cauta veritatis communicatio & defenſio.

§. 8. Quoniam vero ipſa ſucceſſiva aſſenſus generatio in dato caſu defectum virium aperte monſtrat, quænam ad veritatem aliquam capiendam & dijudicandam requirantur, ut huic labori pares ab aliis, qui eidem impares ſunt, optime diſtinguantur; illa quoque obtinetur, ne cum aliis ſermones

nes miſceamus de rebus, quas capere ac dijudicare neſciunt. Neque enim inter eruditos probatur illud Poëtæ: Navita de ventis, de tauris narrat arator. Multæ dantur rationes morales, per quas conſtat, cur id fieri minime debeat, ſed quæ ſunt ab inſtituto præſenti alienæ; ſucceſſiva autem aſſenſus generatio ubi rite fuerit intellecta, efficit, ut officium iſtud ex aſſe adimpleamus. Etenim oppoſitum vitium, quod garrulitatis quædam ſpecies eſt, adeo exoſum reddit, ut vix quicquam aliud ipſo magis faſtidiamus. Eadem de cauſa animus a controverſiis tractandis maxime redditur alienus; nec facile concipi datur, quod eruditos magis pacificos reddat, quam ubi ſucceſſivam aſſenſus generationem dijudicare valent. Nos ſane id ſatis ſuperque experti ſumus, & adhuc experimur. Et inter eas rationes, quæ impediunt, quo minus nos nullis convitiis & criminationibus adduci patiamur, ut ſerram contentionis cum hominibus imperitis reciprocemus, haud poſtrema ea eſt, quod per ſucceſſivam aſſenſus generationem

tionem edocti ſimus, quam parum profeceris, ubi cum imperitis, præſertim malæ mentis, res tibi fuerit. Et eadem mente *Melanchtonis* ſedit perſuaſio, dum diſſidiorum & contentionum in orbe erudito finem unquam fore negavit, niſi quando ad ſolidam doctrinam adſuefient animi juvenum; quod ubi factum fuerit, nemo quoque erit inter eruditos, cui ſucceſſiva aſſenſus generatio fuerit ignota. Etenim doctrina ſolida non hauritur niſi ex ſyſtemate veri nominis, cujus neceſſitatem paulo ante (§ 3) adſtruximus. Ex ſyſtematis autem veri nominis aſſenſus ſucceſſiva generatio manifeſta eſt, quam citra ipſius opem aſſequi longe difficillimum eſt. Id vero molimur circa philoſophiam, ut univerſam in ſyſtema iſtiusmodi redigamus, cui nomen ſuum conveniat; cum quo deinceps facile copulabuntur, quæ ad Facultates, quas vocant, ſuperiores pertinent. Quantum hinc redundet in genus humanum utilitatis ac felicitatis, præter pacis illud ſtudium, de quo jam nobis ſermo eſt, alias oſtendam, quando de uniformitate ſtudiorum verba ſum facturus.

§. 9.

Digitized by Google

§. 9. Ipſa quoque ſucceſſiva aſſenſus generatio indifferentiam a methodo ſtudendi aufert, quæ multis impedimento eſt, ut ſolidam doctrinam nunquam conſequantur. Solidam enim doctrinam non conſequitur, niſi is, in cujus notionibus nihil latet obſcuri, & cujus aſſenſus in nullo caſu in aliquid precarii reſolvitur. Quamobrem non perinde eſt, quo ordine res ad ſingulas pertinentes in iisdem tibi reddas perſpectas; ſed primo loco addiſcenda ſunt, unde ſequentes notiones ſuam derivant evidentiam. Hac ipſa autem indifferentia, qua tot egregia ingenia corrumpuntur, a methodo ſtudendi remota, litterarum ſtudia a multiplici difficultate ac tædio liberabuntur. Cur enim tot difficultates, cur tot tædia experiuntur juvenes litteris operam dantes? Non alia ſane de cauſa, quam quod memoriæ mandare tenentur, quæ vel prorſus non, vel non ſatis intelligunt, & cujus veritatem ipſimet non perſpiciunt, ſed fide alterius admittere tenentur. Non vero alia ratio eſt, quod legant, vel audiant, quæ non intelligunt, quam

Cur methodus ſtudendi non ſit indifferens.

quod percipiant terminos nondum ſatis explicatos, ipſisque tanto obſcuriores, quo plures præſupponuntur notiones ſimpliciores, quæ notionem illis reſpondentem ingrediuntur, quodque in probandis propoſitionibus adhibeantur principia, quæ ſæpius ne intelligunt quidem deſtituti notione determinata illis conveniente, tantum abeſt, ut de veritate eorundem fuerint certi. Inprimis tædia illa ac difficultates ſentiunt, qui, ut cum *Platone* loquar, animum habent per ſtudia mathematica defæcatum: ipſis enim probari nequeunt notiones, in quibus aliquid ſupereſt obſcuritatis, nec aſſenſum extorqueri a ſe patiuntur, ubi precarius quidam ante prærequiritur. Etſi autem tædia illa cum difficultatibus prorſus tolli non poſſint, niſi veritates omnes ad ſyſtemata harmonica redigantur; tolerabiliora tamen evadunt, ubi docentes ſucceſſivam aſſenſus generationem edocti & intellectu ſyſtematico præditi notionum claritati conſulunt per exempla; evidentiæ autem aſſenſus per experimenta & obſervationes, ut veluti ex rebus ipſis col-

ligant ſenſu duce, quæ per ratiociniorum ambages conſequi prohibentur. Hac ratione enim notiones ſparſim collectæ in animo tale quid non cogitante connectuntur, ut confuſæ ſpeciem quandam ſyſtematis exhibeant; id quod etiam accidit viris egregiis, qui rebus gerendis præfecti experientia ſcientiæ defectum ſupplent.

Qua ratione notionem pragmaticam ſucceſſivæ aſſenſus generationis conſequamur.

§. 10. Quoniam notio diſtincta generationis ſucceſſivæ aſſenſus tantæ utilitatis deprehenditur, quemadmodum modo oſtendimus; ſupereſt, ut oſtendamus, quomodo notionem iſtam conſequamur. Sæpius jam monui, notiones rerum, præſertim practicarum, ex rebus ipſis deſumi, conſequenter rerum practicarum a praxi propria derivari. Conſultum igitur eſt, ut ſyſtemata veri nominis ea attentione legamus, qua apparet, quomodo claritas & evidentia ſequentium a claritate & evidentia antecedentium pendeat, facta ſubinde analyſi definitionum ſequentium in definitiones antecedentes, & reductis primitivis terminis, qui absque definitione ſumuntur ad intuitum rei præſentis, factaque

analyſi demonſtrationum ſequentium in propoſitiones antecedentes, & axiomatis, quæ ſine probatione ulteriori ſumuntur, reductis ad exempla, per quæ notio clara ipſis reſpondens fit evidens, ſicuti oſtendimus alibi (h). Etenim hac ratione non modo clariſſimum eſt, quod & quomodo claritas notionis cujuscunque reſolvatur in claritatem notionum præcedentium; verum etiam quod aſſentiamur propoſitioni datæ ideo, quia aliis anterioribus aſſenſum præbuimus. Patet etiam, quot & quinam aſſenſus anteriores præſupponantur, antequam eſſenſum præſenti præbere poſſis; quot & quænam claritates præſupponantur notionum, antequam eidem ſua conſtet claritas, quæ propoſitioni præſenti reſpondet. Inſerviunt huic fini diſciplinæ mathematicæ legitima methodo pertractatæ. Quamobrem Matheſin univerſam vero ſyſtemate complexus ſum in opere præſertim Latino, quod nunc auctius & limatius excuditur; in quo nullo negotio reſolutio aſſenſus datæ cuidam propoſitioni in diſcipli-

na

(h) *Log.* §. 992.

Digitized by Google

na quacunque præbendus reſolvitur in anteriores, & ad notiones primitivas reducitur, quæ a perceptionibus noſtris immediate derivantur, vi citationum data induſtria ita ordinatarum, ut huic uſui ſerviant. Cumque idem inſtitutum in opere præſertim Latino philoſophiæ univerſæ, cujus unam & alteram partem publici juris fecimus, ſequamur; idem quoque aſſenſus geneſin ſucceſſivam in dato quocunque caſu reddit manifeſtam. Alia ratione impoſſibile eſt, ut notionem ſucceſſivæ aſſenſus generationis diſtinctam conſequamur; multo magis autem impoſſibile eſt, ut in dato caſu enumeremus integram aſſenſuum ſeriem, in quam aſſenſus quidam datus reſolvitur, atque aſſenſus iſtos a ſe invicem dependentes per modum cauſæ atque effectus inſtar cauſarum in continua ſerie ſibi invicem ſubordinatarum rita coordinemus. Et cum illa demum analyſis doceat, nihil in determinatione aſſenſus dati deſiderari poſſe; alia vero ratione conſtare nequeat, eum in nullum principium precarium, in nullam notionem deceptri-

ceptricem reſolvi; nec alio modo certi eſſe poſſumus, multo minus alios docere valemus, aſſenſum eſſe omnibus ſuis numeris abſolutum. quamvis a poſteriori oſtendi poſſit, aſſenſum noſtrum eſſe legitimum, quatenus per experimenta vel obſervationes conſtat, nos eum præbere propoſitioni veræ. Ceterum hinc liquet, cur pauci admodum eruditorum notionem aliquam claram atque diſtinctam ſucceſſivæ aſſenſus generationis habeant, & cur exulent fructus, quos ea fert, nempe cur faſtidiant ſcripta ſyſtematica, cur, quæ non intelligunt, impugnent, cur de facultatibus ſuis plus ſperent, quam in iis eſt, cur judicia ſua deproperent de rebus parum intellectis vel non ſufficienter diſcuſſis, cur controverſias adament, cur denique nullo ordine ſcribantur, doceantur & diſcantur, quæ ſcribenda & diſcenda ſunt.

IV.

De Notionibus directricibus & genuino uſu philoſophiæ primæ.

§. 1.

Inſtitutum Autoris. Prodit nunc in publicum philoſophia prima, methodo ſcientifica con-

conſcripta, quæ convenit ſyſtematì veri nominis: cum nobis propoſitum ſit, philoſophiam univerſam in ſyſtema harmonicum redigere, ut antiquæ veritati ſua conſtet claritas, ſua evidentia, ſuus uſus. Deduximus philoſophiam primam omnem ex principio contradictionis & rationis ſufficientis, rebus exiſtentibus non invitis; a quibus eædem notiones a poſteriori derivantur, quæ ex iſtis principiis a priori conſequuntur. Principium contradictionis non admittit, ſimul poni, quæ ſibi mutuo repugnant. Quodſi ergo ponis, quæ ſibi mutuo non repugnant; habebis aliquod poſſibile & in ente primum conceptibile, ſicque naſcitur cum poſſibilitatis notione eſſentiæ quoque notio. Poſitis quibusdam ſibi mutuo non repugnantibus, fieri non poteſt, ut ſimul ponantur alia; quo ipſo cum notione determinati ac determinantis attributorum notio naſcitur, itemque notio neceſſitatis. Quatenus vero per ea, quæ primum ponuntur, intelligitur, cur cetera ſimul poni debeant, naſcitur hinc notio rationis ſufficientis. Enim-

vero poſitis quibusdam ſibi mutuo non repugnantibus, ponuntur alia tantummodo quoad poſſibilitatem ſeu potentiam, non vero quoad actum, propterea quod quædam, quæ ſibi mutuo quidem repugnant, non tamen ſigillatim repugnant vel iis, quæ primum ponuntur, vel per hæc ſimul poni debere intelliguntur. Hinc conſequuntur notiones modi & modificationis, itemque contingentis. Et quoniam vi principii rationis ſufficientis, quod in attributis obtinet, quemadmodum modo vidimus, modorum quoque ratio ſufficiens dari debet, per quam intelligitur, cur hic potius exiſtat, quam alius, cum ens per eſſentialia & attributa ad utrumque oppoſitum indifferens ſit; ideo ut modi ineſſe poſſint, cum ente uno ponenda ſunt alia, in quibus modificationis ratio continetur, hoc eſt, in quibus ea deprehendimus, per quæ intelligimus, modum hunc potius quam alium enti dato ineſſe debere, quod per ſe ad utrumque indifferens eſt. Hinc jam naſcitur cauſarum & principii notio cum aliis inde pendentibus, & quatenus ea, quæ

in

Digitized by Google

in uno ente inſunt, intelliguntur per alia, quæ inſunt aliis, cur ipſa inſint, notio veritatis rerum, itemque dependentiæ rerum a ſe invicem & relationis ad ſe invicem. Quodſi ergo res ad ſe invicem referimus, cum notione identitatis ac diverſitatis naſcuntur notiones generum, ſpecierum ac individuorum, fundamento relationis in eſſentialibus conſtituto; notiones ſimilitudinis & diſſimilitudinis fundamento in omnibus rei determinationibus poſito. Ex his notionibus fundamentalibus conſequuntur ceteræ; id quod manifeſtum evadet lectori Ontologiæ noſtræ attento, ubi integra rite intellecta iterata lectione notionum dependentiam a ſe invicem ſcrutetur. Neque ullus dubito fore, ut, iterata hac lectione inprimis accedente, eandem in philoſophia prima lucem experiatur, quam in Geometria experimur. Abſonum vero foret talem expectare lucem, quæ fulgore ſuo percellit lectores nonniſi oculos corporis apertos, mentem vero alto ſopore immerſam ad lectionem afferentes: talis enim & Elementis *Euclidis* negatur, quod

unusquisque per ſe experiri poteſt. Quemadmodum vero ſtudio & labore opus eſt, qualem inſinuat ſucceſſiva asſenſus generatio paulo ante explicata, ut lucem videre poſſis; philoſophiæ primæ vero eadem ſit conditio, quæ elementorum *Euclidis*, ut uſus non ante appareat, quam ubi probe intellecta & familiaria facta applicantur; ideo precibus nonnullorum facile me adduci pasſus ſum, ut uſum genuinum philoſophiæ primæ vulgo non ſatis animadverſum hic edocerem, & quo ſenſu ſcientiæ Architectonicæ nomen mereatur, exponerem.

Philoſophia prima uſus ſingularis.

§. 2. Eſt aliquis uſus philoſophiæ primæ ſingularis, qualem diſciplina quædam alia præter ipſam non agnoſcit. Conſiſtit autem in eo, quod principia ontologica dirigant intellectum in veritate cognoſcenda, ſive ea a nobis inveſtigari, ſive ab aliis inveſtigata dijudicari debet. Hunc vero uſum habere nequit, niſi notiones generales, quæ ad ipſam pertinent, a confuſis ad diſtinctas revocentur. Atque ideo intelligitur, cur eodem hactenus fuerit deſtituta, cum nemo negare poſſit, qui inter notionem

nem confuſam & diſtinctam diſtinguere novit, defuiſſe huc usque notiones diſtinctas, immo alicubi prorſus claras; eam ſaltem fuiſſe philoſophiæ primæ conditionem, ut lectores plurimi non fuerint conſecuti niſi notiones bene multas prorſus obſcuras. Natæ hinc ſunt querelæ de tenebris, quibus philoſophia prima involuta; immo eadem de cauſa diſciplina longe utiliſſima in contemtum adducta prorſusque deſerta fuit. Vt igitur uſum iſtum prorſus ſingularem conſequeremur, eximiam hanc philoſophiæ partem excoluimus, notionibus Scholaſticorum confuſis ad diſtinctas reductis, cumque ita redditæ fuerint fœcundæ, plurimis principiis demonſtrativa ratione inde deductis. Ipſa autem experientia nos edocet, quod hac ratione ſimus conſecuti, ut notiones ontologicæ intellectum dirigant in veritate inveſtiganda & inveſtigata dijudicanda. Neque ullus dubito fore, ut idem experiantur alii, ſi quidem easdem notiones ſibi familiares reddiderint. Dabimus autem præclara ſpecimina ſuo tempore, quibus notionibus

Digitized by Google

bus noſtris uſum tam præclarum convenire palam faciemus. Immo mox aliqua in medium afferemus, quibus dictis fidem faciemus.

Notiones directrices quænam dicantur. §. 3. Propter eximium hunc uſum *notiones* ontologicas *directrices* appellare ſoleo. Per *notiones* enim *directrices* intelligo eas, per quas apparet, quo cogitationes ſint dirigendæ, ut reperiatur, quod quæritur. Notiones adeo directrices viam quaſi monſtrant, qua ſit eundum, ne ad devia deflectamus, vel lucem affundunt, ut via illa appareat, quæ absque illis minime conſpicitur. Eſſe illas maximi momenti nemo non agnoſcit, cum hac luce deſtituti quaſi in tenebris oberremus, ut caſui tribuendum ſit, ſi veritatem palpando veluti deprehendamus; idem tamen clarius conſtabit, ubi deinceps exemplis docuerimus, notiones ontologicas eſſe directrices. Neque vero difficile eſt idem quoque probari a priori, ut non philoſophiæ, ſed philoſopho tribuendum eſſe agnoſcatur, ſi quæ tales non deprehendantur. Etenim in philoſophia prima explicatur notio entis in genere, & notiones

nes

nes generales proponuntur prædicatorum, quæ eidem convenire poſſunt, ſive illud in ſe conſideretur, ſive ad entia alia referatur. Sunt igitur veluti genera ſuprema, ad quæ reducuntur omnia prædicata ſpecialia enti cuidam dati generis datæque ſpeciei tribuenda. Ex his adeo notionibus colligitur, qualia ſint prædicata ſpecialia inveſtiganda vel dijudicanda, conſequenter ad ea applicari poſſunt, quæ de prædicatis generalibus in philoſophia prima fuerit demonſtrata. Exemplo nobis eſſe poſſunt regulæ Logicæ, quarum rationem in opere noſtro Logico ex notione entis in genere deduximus. Plurimæ ſane huc ſpectantes occurrunt cum in doctrina de definitionibus, tum ubi de propoſitionibus agitur. Et multum lucis Logicæ affudimus, quod quædam de notione entis in genere doctrinis iſtis præmiſerimus uberius & ex inſtituto explicata in philoſophia prima. Regulæ autem logicæ dirigunt intellectum in veritate cognoſcenda, conſequenter cum pendeant a notionibus ontologicis, notiones ontologicæ inſerviunt dirigendo

gendo intellectui in veritatis cognitione. Enimvero cum per exempla multo clarius appareat, quod & quomodo notiones ontologicæ ſint directrices; res ipſa poſtulat, ut talia in medium afferantur.

Notionum directricium exempla.

§. 4. Notio impoſſibilitatis longe ſimpliciſſima eſt, & inter maxime abſtractas referenda, cum ipſam notionem entis in genere tranſcendat. Facillime autem oſtenditur, quod ſit directrix, ubi in impoſſibilitatem inquirendum, vel de impoſſibilitate ejus, quod aſſeritur, judicandum. Notio impoſſibilitatis etiam ſcholaſticis diſtincta fuit, quam ideo retinuimus in philoſophia prima (i). Dicitur nimirum impoſſibile eſſe, quod contradictionem involvit. Ponamus jam ab Aſtronomo affirmari, quod dentur in Luna montes, & quod maximorum altitudo ſit infra dimidium milliare Germanicum Non deſunt, qui ubi aſſertum Aſtronomi audiunt, impoſſibile eſſe pronunciant, ut talia norit. Judicium deproperant, propterea quod ad notionem directricem non atten-

(i) §. 79.

attendunt: etenim aſſertum in medio relinquerent, ſi notionem impoſſibilitatis conſulerent. Ad hanc enim reſpicientes intelligerent, ſibi oſtendendum eſſe, quænam contradictio lateat in hoc aſſerto: Aſtronomus exiſtentiam montium lunarium agnoſcere eosque dimetiri valet. Quodſi ergo perpenderent, ut appareat, impoſſibile eſſe, ut Aſtronomus exiſtentiam montium lunarium agnoſcat, atque eos dimetiatur, ex propoſitione affirmativa colligendum eſſe, quod eidem, vel propoſitioni cuidam veræ alteri contradicit (k); aut tale quid a ſe colligi non poſſe animadverterent, aut ſe in ratiocinando vel materiæ, vel formæ vitium admittere deprehenderent. Ponamus enim notitiam illam Aſtronomo impoſſibilem pronunciari, quod Luna adeo procul remota ſit, ut ad eam accedere non detur, vel ab alio peritiori hanc afferri rationem, quod tubi non adeo amplificent objecta, ut, quod ultra ſuperficiem Lunæ intervallo dimidii milliaris Germanici elevatur, ad eam diſtantiam videri poſſit, in

(k) Ontolog. §. 81.

in qua Luna diſtat; in neutro caſu impoſſibilitatem evictam eſſe notio directrix palam faciet. Etenim ex eo, quod Luna adeo procul remota ſit, ut ad eam accedere non liceat, non aliud colligitur, quam montes lunares a nobis videri non poſſe; id quod de oculo quoque armato negatur in caſu altero. Vt igitur adſit contradictio, ex ea propoſitione, Aſtronomus novit exiſtentiam montium lunarium, eosque dimetiri valet, colligi debet, quod montes lunares viderit, quodque eosdem eodem modo dimetitus fuerit, quo vel nos altitudinem januæ dimetiri ſolemus, vel Geodæta montis in terra altitudinem metitur. Enimvero non multo acumine opus eſt, ut videamus, id ex illa propoſitione colligi minime poſſe. Supponimus enim, exiſtentiam montis non aliter agnoſci poſſe, niſi quando eum videmus, nec aliter dimetiri Aſtronomum eundem poſſe, niſi vel more vulgari, menſura ad menſuratum applicata, vel methodis Geodætarum; quod utrumque precarium eſſe agnoſcit, qui neutrum a ſe probari poſſe advertit. Patet itaque

Digitized by Google

que defectu attentionis ad notionem directricem judicium deproperari, cum impoſſibilis pronunciatur cognitio, antequam oſtendi poſſit, quod ea admiſſa ſequatur aliqua contradictio. Oſtendimus jam in ſuperioribus, cum de hypotheſibus philoſophicis ageremus (l), momentum controverſiæ de harmonia præſtabilita redire ad poſſibilitatem corporis liberis animæ decretis in operationibus ſuis harmonici; ſed oſtendi quoque, quod conſequentiarii tamdiu inani boatu aërem repleant, quamdiu ſepoſita notione directrice de contradictione in ſuppoſitione iſtiusmodi corporis latente inveſtiganda non fuerint ſolliciti. Per notionem enim directricem apparet, alia via controverſiam terminari non poſſe, nec conſequentiis ex ſumtione precaria, quaſi libertas per harmoniam præſtabilitam tollatur, deductis quicquam confici: etenim tolli libertatem non ante patet, niſi evicta impoſſibilitate corporis decretis animæ liberis in operationibus ſuis harmonici, hoc eſt, demonſtrata contradictione inter ſtru-

(l) Num. I. §. 8. p. 194. & ſeqq.

ſturam corporis humani a cauſis materialibus ad motus ſuos determinati & libertatem. Vides adeo in prima philoſophiæ principia peccare, qui ſibi tanti heroës videntur, ut de philoſophorum ſummorum (quos inter *Leibnitium* magno ſuo merito referimus) hypotheſibus ſententiam decretoriam ferant. Rectius notione directrice utuntur Geometræ, dum aſſerti impoſſibilitatem per latentem intus contradictionem manifeſto demonſtrant; quemadmodum ex forma demonſtrationis indirectæ liquet, quam alibi a nobis clariſſime depictam (m) conſequentiariis vociferationes deproperantibus perpendendam commendarem, niſi obſtarent ea, quæ de ſucceſſiva aſſenſus generatione paulo ante dicta ſunt. Sed agedum demus adhuc alia nonnulla exempla, quæ notionum directricium uſum palam loquuntur. Si rationem quis dare prætendit, cur ſol oriatur & occidat, tibique dijudicandum proponitur, num eam fuerit aſſecutus; notio directrix erit notio rationis ſufficientis ontologica.

(m) *Log.* §. 553.

gica. Probe autem notandum eſt, ad notionem rei non tantummodo referri definitionem, ſed præterea omnia prædicata, quæ de eadem vi definitionis & determinationum aliarum eidem ſuperaccedentium, ſeu non repugnantium, demonſtrantur. Quoniam ratio ſufficiens eſt id, unde intelligitur, cur aliquid potius ſit, quam non ſit (n), & poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt (o), atque adeo claret id, quod allegatur, eſſe rationem ſufficientem ejus, de quo quæritur, ſi vel demonſtratione, vel experientia patet, hoc ideo eſſe, quia illud eſt; de ratione ortus & occaſus Solis judicium laturus inquirere debet, num per eam intelligatur, quomodo ſol oriatur & occidat, hoc eſt, num ex ea aſſumta tanquam vera directe demonſtrari queat, ſolem oriri & occidere debere, & num præterea id, quod rationis loco affertur, poni etiam poſſit, hoc eſt in præſenti caſu, in natura rerum obtineat. E. gr. ponamus ortum & occaſum Solis tribui motui ejus,

(n) Ontolog. §. 56. (o) Ontolog. §. 118.

quo ab oriente in occidentem circa terram quieſcentem revolvitur, quemadmodum vulgo faciunt, qui rerum aſtronomicarum ſunt ignari. Tum equidem evidens eſt, poſito iſtiusmodi motu ſolis poni etiam ejus ortum atque occaſum, cum id accurata demonſtratione evinci poſſit, niſi in cognitione intuitiva acquieſcere velis, quam ſatis clare in præſenti caſu exhibet notio confuſa: enimvero demonſtrandum præterea eſt, motum iſtum poni poſſe, hoc eſt, in rerum natura revera obtinere. Quamdiu igitur poſterius demonſtratum non eſt, nec certus eſſe potes, motum ſolis circa terram quieſcentem eſſe ortus atque occaſus rationem, etſi vi demonſtrationis prioris palam fiat, quod talis eſſe poſſit. Obiter moneo, conſpicuam hic fieri rationem, cur quidam arbitrentur in Phyſicis nunquam certos nos eſſe poſſe, quod veram rationem fuerimus aſſecuti, propterea quod ſemper ſuperſit ſuſpicio, annon res eadem alia adhuc ratione ſeſe habere poſſit. Debetur enim defectui attentionis ad notionem directricem,

vi

vi cujus manifeſtum eſt, ut certi ſimus, rationem datam eſſe genuinam, duo demonſtranda eſſe, nempe primo poni id, quod rationis loco allegatur, & ſecundo eodem poſito poni quoque alterum, cujus illud ratio eſſe debet. Demonſtrationem priorem inſuper habent, qui notione directrice deſtituuntur, nonniſi ad poſteriorem ſolam animum advertentes, quam in notione rationis confuſa pro acuminis ſui modulo perſpiciunt. Qui vero notione directrice utuntur, illi ejusdem beneficio & norunt, quando certo conſtet, rationem datam eſſe genuinam atque ſufficientem; & in dato caſu dirimere valent, utrum eandem habeamus perſpectam, nec ne, &, ſi nondum penitus perſpecta fuerit, quid adhuc deſit omnimodæ certitudini. Sæpius impingunt non modo philoſophi, ſed Facultatum omnium eruditi, quod notionem rationis ſufficientis in Ontologia evolutam non experiantur cogitationum ſuarum directricem; id quod multis exemplis doceri poterat, ſi de vi directrice, quæ notioni rationis ſufficientis convenit, ex inſtituto ageremus.

mus. Enimvero in poſterum talia occurrent, de quibus lectorem veritatis cupidum monebimus. Ecce tibi nunc exemplum adhuc aliud, quo notionum ontologicarum vis directrix illuſtratur! Ponamus quæſtionem moveri, utrum mundus, qui exiſtit, ſit perfectus, an imperfectus. Conſulamus Ontologiam, quæ notionem perfectionis evolvit (p). Videmus perfectionem omnem rationem aliquam generalem habere, per quam intelligitur, cur ea, quæ perfecto inſunt, ita ſe potius habeant, quam aliter, ſeu talia potius ſint, quam alia; exinde derivari regulas, per quas in dato caſu ſpeciali explicari poſſit, cur determinationes intrinſecæ tales potius ſint, quam aliæ, exceptionem locum habere in perfectione compoſita, nec verum, ſed tantummodo apparentem gignere defectum, ſalvaque perfectione fieri, & quæ ſunt alia ad notionem perfectionis pertinentia, ibidemque enucleata. Apparet adeo de perfectione mundi judicaturum inquirere debere in rationem generalem, per quam intelligitur, cur, quæ in

(p) §. 503. & ſeqq.

in univerſo exiſtunt, talia potius ſint, quam alia; eundem in regulas quoque inquirere debere, quæ ex ratione iſta generali derivantur, & per quas reddi poſſunt rationes ſpeciales determinationum cum eſſentialium, tum accidentalium; cumque exceptiones ex eo oriantur, quod duæ regulæ vi rationum quarundam una obſervandæ ſibi mutuo repugnent (q), in regularum illarum colliſionem eundem ulterius inquirere debere. Quodſi jam perpendamus, quantus ſit mundus materialis, & quam parum nobis ſint perſpecta, quæ in eo dantur; judicium de mundi perfectione non eſſe in poteſtate noſtra intelligemus, a rationibus intrinſecis derivandum, conſequenter judicium ſuum eos deproperare agnoſcimus, qui ob mala phyſica & moralia mundum imperfectum arguunt, antequam expendere valent, quomodo illa tanquam exceptiones ex regulis optimis reſultent, & inquirere poſſunt, utrum ſalva perfectione mundi iſtis locus eſſe potuerit, nec ne. *Si* notionibus directricibus tanquam perſpicillis uterentur, qui, nulla prorſus

(q) §. 510. Ontolog.

facta diſcuſſione, de rebus infinitam diſcuſſionem requirentibus adeo ſuperciliofe ſententiam decretoriam pronunciare ſolent, non adeo facilia ipſis viderentur, quæ difficillima, immo ſubinde cognitu impoſſibilia deprehenduntur a viris, qui rebus difficilibus diſcutiendis pares ſunt. Sed de mundi perfectione ex inſtituto agemus in Coſmologia.

Vſus notionum ontologicarum in Arte inveniendi.

§. 5. Quoniam notiones ontologicæ intellectum dirigunt in veritate inveſtiganda, ne a vero tramite ad devia deflectat; ars vero inveniendi regulas tradit veritates inveſtigandi; ex notionibus ontologicis demonſtrandæ ſunt regulæ artis inveniendi, quatenus ab objecto pendent. Etenim quatenus regulæ iſtæ a natura mentis humanæ pendent, principia artis inveniendi ex Pſychologia petenda. Non rectius idem doceri poteſt, quam ſi artis inveniendi regulæ generales ipſæ exhibeantur, & demonſtrationibus ſuis munitæ in ſyſtema redigantur; id quod olim præſtabimus, quando ceteris philoſophiæ partibus ad umbilicum perductis artem inveniendi methodo ſcientifica

tra-

trademus. Ne vero quis ſuſpicetur, regulas iſtas eſſe minus genuinas, quemadmodum non infrequens eſt, ut tales præſcribant, qui artis inveniendi notionem nullam habent; illas præclaris in philoſophia & Matheſi inventis confirmabimus. Enimvero cum ad Artem inveniendi, qualis nondum datur, hic provocare non liceat; ſufficit nunc uno alteroque exemplo docuiſſe, quomodo notiones ontologicæ hunc uſum præſtent in ipſa Algebra, & quomodo aliquem earum uſum fecerimus in Logica. In Algebra veritatem inveſtigamus ope æquationum; æquationes autem conſtant duplici charactere ejusdem quantitatis, conſequenter nituntur axiomate iſto ontologico, quod idem ſit æquale ſibimetipſi. Subſtituimus in calculo algebraico æqualia pro æqualibus vi notionis æqualitatis ontologicæ, quod æqualia ſint, quæ ſibi mutuo ſubſtitui posſunt, ſalva quantitate. Reducimus duas æquationes ad unam ope principii ontologici, quod in Ontologia ex ſuis notionibus a priori deducitur, æqualia eidem tertio eſſe æqualia inter

ſe, & æqualibus æqualia inter ſe æqualia eſſe. Reductio æquationum magna ex parte nititur duobus principiis ontologicis, quæ itidem in philoſophia prima ex ſuis notionibus derivantur, tota eſſe æqualia, ſi æqualibus æqualia adjiciantur, & reſidua æqualia eſſe, ſi æqualia ab æqualibus auferantur. Immo in eadem Algebra utimur principiis aliis ontologicis de quantitate, veluti quod altero æqualium majus vel minus ſit id, quod uno æqualium majus vel minus eſt; ſi majori & minori adjiciantur æqualia, totum prius eſſe poſteriori majus; ſi æqualia a majori & minori auferantur, reſiduum prius eſſe poſteriori majus, & quæ ſunt alia complura, quæ in Ontologia noſtra demonſtrata reperire licet. Notiones ſignorum, quas in Ontologia expoſuimus, inſerviunt regulis Artis characteriſticæ generalis demonſtrandis ac eruendis, quarum aliqua pars in Algebra ad denominandas quantitates & eruendos duos valores æquivalentes transfertur. Immo ex notionibus infiniti & infinite parvi, quas cum reales, tum imaginarias explicat

plicat philoſophia prima, ubi officio ſuo ſatisfacit, principia Analyſeos infinitorum demonſtrantur. Qui hæc perpendit, ei dubium ſupereſſe nequit ullum de utilitate notionum ontologicarum in Arte inveniendi. Et ſicuti notiones quantitatis ontologicæ inſerviunt arti inveniendi veritatem de quantitatibus, ſeu mathematicam; ita notiones ontologicæ ceteræ inſervire debent arti inveniendi veritatem reliquam de aliis, quæ præter quantitatem rebus conveniunt. Dedimus jam ſpecimina aliqua in Logica, ubi ejus uſum in inveſtiganda veritate expoſuimus. Ideo præter notionem entis in genere, ac generum ſpecierumque definitiones in limine Logicæ ſtatim ex Ontologia mutuo petitas, ex eadem quoque mutuo deſumſimus definitionem cauſæ (r). Quodſi quis notiones ontologicas ſibi reddiderit familiares, ac methodum demonſtrandi, qualem in Logica delineavimus, in poteſtatem ſuam redegerit; is reipſa experietur, quantum præſidii in notionibus ontologicis poſitum fuerit, ubi quis in

(r) §. *696. Log.*

in meditando cogitationes ſuas legitime dirigere voluerit, ut videat, quid in dato caſu factu ſit opus, ut veritatem conſequatur.

Notionum ontologicarum uſus in demonſtrando.

§. 6. Non minor vero notionum ontologicarum uſus eſt in demonſtrando in omni diſciplinarum genere. Etenim re ipſa experimur, ſi in principiis acquieſcere nolimus, niſi ad talia perveniatur, quæ evidentia ſunt, nos ubivis tandem pervenire ad principia ontologica. Vbi philoſophiam univerſam ea methodo pertractatam, qua Logicam & Ontologiam pertractavimus, exhibuerimus; abſque omni labore innoteſcet, quomodo tandem omnia in principia philoſophiæ primæ reſolvantur. Omnis Matheſis reſolvitur in Elementa *Euclidis;* elementa autem *Euclidis* in principia ontologica, quæ *Euclides* inſtar axiomatum ſumit. Sane nullum datur axioma *Euclidis*, quod ex linearum & figurarum notionibus deſumtum non eſt, quod a nobis in Ontologia, ubi de quantitate agimus, non fuerit demonſtratum; ut adeo manifeſtum ſit, univerſam Matheſin in principia ontologica reſolvi, & ab his

his lucem ſuam mutuare. Neque alia eſt ratio diſciplinarum philoſophicarum. Vidimus profecto, nos Logicam pro dignitate pertractare non potuiſſe, niſi principiis nonnullis ontologicis præmiſſis. Videbimus proxime in Coſmologia, mundi ſeu univerſi alicujus notionem a priori formari non poſſe, niſi præſuppoſitis principiis ontologicis. Immo ex ceteris diſciplinis philoſophicis patebit, quam ſæpe recurrendum ſit ad principia philoſophiæ primæ, ut propoſitiones ad illas pertinentes demonſtrari poſſint, vel ad propoſitiones alias, quæ vi principiorum philoſophiæ primæ, ſive in eadem diſciplina, ſive in alia quadam anteriori, demonſtrata fuere. Quod uſus iſte ampliſſimus philoſophiæ primæ hactenus non fuerit animadverſus, cauſæ potiſſimum duæ ſunt. Prima eſt, quod Scholaſtici in philoſophia prima præter terminorum obſcuras explicationes nullas dederint propoſitiones determinatas, quæ uſui eſſe poterant in diſciplinis ceteris. Obſcuræ autem terminorum explicationes notionibus fœcundis ſubſtitutæ nullius uſus ſunt in diſci-

diſciplinis ceteris, utpote ad ratiocinandum inutiles. Altera cauſa eſt, quod philoſophi illarum propoſitionum, quas inter axiomata refert *Euclides*, in philoſophia prima nullam fecerint mentionem, ut adeo vel ipſi Mathematici ſibi perſuaſerint, propoſitiones iſtas eſſe principia mathematica, minime autem ontologica, atque adeo non agnoverint, vel prorſus negaverint, elementa *Euclidis*, conſequenter Matheſin univerſam evidentiam ſuam mutuare ab Ontologia, vel ipſo nomine exoſa & abjecta viſa; cujus tamen contrarium ex Ontologia noſtra conſtare poteſt. Neque obſtat, quod *Euclides* ex nulla Ontologia in formam artis ſuo tempore redacta notiones iſtas communes, quas vocat, deſumſerit; ſufficit principia iſta ad Ontologiam pertinere, nec niſi in ea ex aliis notionibus anterioribus eodem modo demonſtrari poſſe, quemadmodum *Euclides* ex definitionibus figurarum demonſtrat, quæ iisdem conveniunt. Ars characteriſtica univerſalis, quæ Artis inveniendi pars quædam eſt, quemadmodum ſuo loco palam

lam faciemus, nondum eſt in formam artis redacta; hoc tamen non obſtante principiis ejus utuntur Mathematici in Algebra tum communi, tum in Analyſi recentiori, ſeu infinite parvorum.

§. 7. Dum vero *Euclides* demonſtrationes in Elementis ſuis in principia ontologica reſolvit, quibus notiones communes reſpondent; hoc ipſo non modo Matheſin elementarem, ſed univerſam reliquam ad notiones communes reducit, quo nomine cum ab ipſo, tum aliis principia iſta ex Ontologia mutuo petita appellari ſolent. Iisdem enim principiis utimur in ratiocinando communiter omnes de rebus maxime obviis, quemadmodum in Ontologia docui, ubi principia iſta demonſtrationibus a me muniuntur. Ecquis enim ignorat, æqualitatem altitudinum duarum januarum intervallo quocunque a ſe invicem diſtantium inde colligi, quod filo ſecundum altitudinem utriusque extenſo eidem æqualis deprehendatur altitudo uniuscujusque? Vtimur igitur in colligenda æqualitate altitudinum januarum

Reductio Matheſeos & philoſophiæ ad ſenſum communem.

rum

rum principio ontologico, quod æqualia eidem tertio ſint æqualia inter ſe, quod *Euclides* inter axiomata retulit, ſeu eas notiones repoſuit, quibus propoſitionibus ſuis lucem affundit. Notiones iſtas communes cum admittant etiam illi, qui in confuſis acquieſcentes ſolo ſenſuum judicio ſtare ſolent; ideo ad communem hominum omnium ſenſum reducitur, cujus veritas in notiones iſtas reſolvitur, hoc eſt, cujus primitiva demonſtrandi principia ſunt notiones illæ. Patet igitur *Euclidem* Matheſin univerſam ad ſenſum communem reduxiſſe, dum illas Geometriæ ac Arithmeticæ propoſitiones, in quas tanquam principia demonſtrationes mathematicæ omnes reſolvuntur, in notiones iſtas communes tanquam principia primitiva reſolvit. Etenim inde eſt, quod propoſitionem mathematicam quamcunque negans per ſufficientem Analyſin tandem eo redigi poſſit, ut negare teneatur, quod ipſi ſenſui obvium eſt, & univerſali hominum omnium ſenſu utentium conſenſu comprobatur, ita ut ipſi vulgo maxime imperito

rito ſe deridendum propinet, ſi in ea negatione perſiſtere velit. *Euclides* igitur exemplo ſuo abunde docet, quid ſit ſcientiarum ad ſenſum communem reductio, nempe reſolutio demonſtrationum in principia tanquam prima, quibus notio communis confuſa reſpondet communi uſu approbata, quemadmodum a me jam alibi (s) annotatum eſt. Philoſophia igitur ad ſenſum communem reducitur, ſi propoſitiones determinatæ *Euclidis* exemplo demonſtrentur, & demonſtrationes reducantur ſimiliter ad principia tanquam prima, quibus notiones reſpondent communi uſu in ratiocinando approbatæ nec in dubium revocandæ, niſi te ſenſu percipere negare velis, quæ percipis. Quemadmodum vero *Euclides* iſtiusmodi principia de quantitate, de qua utiliter tractare ipſi propoſitum fuerat, non reperit niſi in philoſophia prima, quæ notiones quantitatis generales easque primas explicat; ita nec philoſophus iſtiusmodi principia de rebus ad ſe pertinentibus alibi reperire poteſt,

(s) Ontolog. §. 125.

quam in philoſophia prima. Etenim in philoſophia prima agitur de ente in genere, atque adeo primæ explicantur notiones, quibus aliæ priores dari nequeunt, cum genus ſummum, ſub quo cetera genera omnia collocantur, ſit ens in genere. Notiones autem iſtæ ſunt omnibus communes, etſi confuſæ, iisdemque utuntur in ratiocinando in caſibus obviis omnes, quatenus ex notionibus confuſis ſpecies quædam ratiocinii naſci poteſt, prouti in Pſychologia explicabo diſtinctius, &, ſi quæ præterea quædam occurrunt, eædem in ipſa Ontologia ad communes per demonſtrationes reducuntur. Quamobrem qui in diſciplinis philoſophicis demonſtrationes tandem reſolvit in principia ontologica rite evoluta, is philoſophiam ad ſenſum communem eodem modo reducit, quo *Euclides* Matheſin ad eundem reduxit. Atque ideo in philoſophia prima oſtendi notiones diſtinctas, quas dedi, & in quas ceteræ per demonſtrationes reſolvuntur, eſſe communibus confuſis conformes, quamvis etiam inter notiones derivativas haud

haud paucæ occurrant, quibus confuſæ communes reſpondent; id quod paſſim a me annotatum legitur, & in aliis ab attento lectore intelligitur. Ex his autem conſtat, quid circa philoſophiam omnem moliamur, dum eam & certam & utilem efficere ſtudemus. Nimirum dum certam efficere nitimur, eam exemplo *Euclidis* ad ſenſum communem reducere conamur, reſolutis tandem demonſtrationibus omnibus in notiones communes, & his ulterius reductis, quando datur, ad notiones communes alias ſimpliciores, ut primitivarum numerus admodum exiguus evadat. Ex iisdem porro liquet, rigorem demonſtrandi cum reductione philoſophiæ ad ſenſum communem ſubſiſtere poſſe, atque adeo multum aberrare a vero, qui, cum ſe ſolos alta videre glorientur, tractationem ſuperficiariam cum reductione ad ſenſum communem confundunt, quaſi philoſophi ſit, in notionibus confuſis, quæ vulgo ſunt, acquieſcere, & cum eodem terminis ac judiciis vagis ratiociniisque confuſis inhærere, peccatum vero, immo delictum publicum committat

mittat philoſophus, ubi notiones a ſe invicem ſeparat, quæ in rebus involvuntur, & in ſimpliciores reſolvit, quamdiu datur, ut in omni propoſito caſu accurate diſcerni poſſint, quænam in notione confuſa contineantur. Diſcant igitur, cogitationes *Euclidis* eique ſimilium alias eſſe quam cogitationes eorum, qui in regno veritatis eminere volunt, propterea quod fortuna in regno opinionum eos ſupra alios extulit, quaſi quis in regno veritatis eandem habeat autoritatem, quæ ipſi eſt in regno opinionum. Diverſitas facile oſtenditur. Dum enim *Euclides* Matheſin reducit ad ſenſum communem, & dum alii philoſophiam ejus exemplo ad eundem reducunt, non alio fine idem moliuntur, quam ut certitudini & utilitati doctrinæ conſulatur; dum vero alta videntes diſciplinas ad ſenſum communem reducunt, certitudinem cognitionis tollunt, & diſciplinas ſteriles efficiunt. Ipſa enim experientia loquitur fertilitatem Elementorum *Euclidis* & ſterilitatem diſciplinarum communi more pertractatarum. Ratio fertilitatis illorum & ſte-

ſterilitatis harum patet per ea, quæ in Trimeſtri ſuperiori de habitu philoſophiæ ad publicam privatamque utilitatem aptæ diſſeruimus. Nemo igitur, qui ſapit, negabit, omnem dandam eſſe operam, ut philoſophia eo modo ad ſenſum communem reducatur, quo *Euclides* Matheſin ad eundem reduxit. Quare cum extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, quod id tum demum fieri poſſit, ubi philoſophia prima fuerit exculta, & ceteræ diſciplinæ per demonſtrationes legitimas in eandem fuerint reſolutæ; præclarus quidam Ontologiæ uſus in aprico poſitus eſt, quem a diſciplina nulla alia ſperare licet. Male igitur ſibi conſulunt, qui eam contemnunt; bene autem operam ſuam collocant, qui in ea excolenda & amplificanda deſiderari non patiuntur induſtriam ſuam.

Notionum directricium uſus in docendo.

§. 8. Quoniam notiones ontologicæ intellectum ad ea dirigunt, quæ in re propoſita enodanda perpendere debemus; maximo nobis adjumento ſunt, ut, quæ olim didicimus, nobis ordine in memoriam revocare valea-

 mus.

mus. Experimur nos quotidie hunc uſum in tradenda philoſophia; quam vel ideo quantivis facimus, quod ſine ulla animi defatigatione ordine maxime naturali notionum directricium ſubſidio, accedentibus regulis genuinæ methodi in opere Logico expoſitis, aliis proponere valeamus, quæ docenda ſunt, perinde ac ſi nunc demum ex aſſumtis ratiocinando eruerentur. Ac iisdem notionibus debemus, quod ad rem enodandam nihil peregrini afferamus, nec quicquam a nobis prætermittatur, quod ad eam enodandam faciat, etſi ſenſui nihil objiciatur eorum, quæ dicenda ſunt. Dumque vi notionum directricium & regularum methodi genuinæ quaſi per meditationes demum eruuntur, quæ ore proferuntur, adeo defixa eſt in notionibus, quæ verbis ore prolatis reſpondent, attentio, ut nulla objecta ſenſui obvia eam inde divertere poſſint. Inde eſt, quod doceamus alios non ſine voluptate inſigni, & docendo animus in ſtatum redigatur tranquillum. Hæc ingenue cum aliis communicamus, ut, quorum eſt docere

alios,

Digitized by Google

alios, intelligant, quantum ipſis ſubſidio eſſe poſſint notiones directrices, methodo genuinæ junctæ. Illas vero in Ontologia, hanc in Logica ea perſpicuitate explicavimus, ut, ſi ad utrumque opus legendum conveniens attentio afferatur, in ipſa Logica abunde ſatis deſcripta, ubi librorum legendorum regulæ proponuntur, non hanc minus, quam illas ſibi comparare posſit; Matheſin quoque univerſam & opera philoſophica in eam formam redegimus, ut eorundem lectione habitum utendi regulis methodi genuinæ nobis comparare valeamus. Quamobrem ſi quis mediis hiſce uti voluerit ad notiones directrices & methodi genuinæ leges ſibi familiares reddendum; nullus profecto dubito fore, ut idem experiatur, quæ ego quotidie experior, nec eum unquam pœniteat laboris.

§. 9. Neque hoc ſilentio prætereundum eſt, quod notionum directricium ſingularem prorſus experiar vim in augendo acumine. Neque ejus rei ratio obſcura eſt. Etenim notiones directrices cogitationes noſtras eo dirigunt, quo ſunt vertendæ, ut appa- *Notionum directricium vis in augendo acumine.*

 reat,

reat, quid in re propoſita enodanda perpendendum. Figitur adeo attentio noſtra in iis, quæ alias eandem effugerent. Quid ergo mirum, quod perſpicillis iſtis uſi videamus, quæ absque iis videre minime poteramus. Eſt autem acumen iſtud profundum, cum ejusdem efficacia in interiora rei penetremus, quæ a ſenſu procul remota ſunt, conſequenter ab iis minime advertantur, qui nonniſi in ſuperficie rerum hærent. Atque ita notiones noſtræ continuo fiunt magis adæquatæ, &, dum in concretis abſtracta pervidere adſuefimus, nihil fere nobis occurrit, quod vile & abjectum apparet, a quo non univerſalia multæ utilitatis abſtrahere, & in judicia determinata redigere liceat. Quodſi quis hoc acumine res maxime obvias perluſtrare voluerit, is non modo notiones ontologicas a nobis traditas experimento confirmabit, verum etiam alias iisdem ſuperaddet, ſicque notionum directricium theſaurum locupletiorem reddet. Nullum vero dubium eſt, quin propoſitiones ſic repertas ex principiis noſtris demonſtrare poſſit, qui

qui methodi demonſtrandi compos fuerit, ſicque eos cum his connectere atque adeo ſyſtemati inferre valeat. Ecce tibi modum valde obvium, notiones ontologicas ad examen revocandi, atque ſcientiam longe utiliſſimam novarum acceſſione locupletandi. Pertinent hæc examina ad *Ontologiam experimentalem*, atque idcirco de iis uberius dicemus, quando ex inſtituto in his Horis ſubſecivis docebimus, quomodo philoſophia experimentalis ultra arctos ejus limites ad quamcunque philoſophiæ partem ſit extendenda.

§. 10. Eximius quoque notionum directricium uſus in eo conſiſtit, quod ſcepticiſmum profligent. Quædam huc ſpectantia jam in ſuperioribus monui (§. 4.), cum oſtenderem, quosdam a cognitione phyſica omnem certitudinem perperam removere, propterea quod ſemper ſuperſit ſuſpicio, annon res eadem alia adhuc ratione ſeſe habere poſſit. Quæ ibidem de Phyſica dicta ſunt, ad alias quoque philoſophiæ partes transferri poſſe vel inde apparet, quod, quemadmodum *Notionum directricium uſus in arcendo ſcepticiſmo.*

Phyſicus rerum naturalium, ſeu phænomenorum in mundo materiali obviorum rationem reddit, ita in aliis philoſophiæ partibus rationes aliorum, quæ ſunt, redduntur, vi illius differentiæ, quæ inter cognitionem hiſtoricam & philoſophicam intercedit (t). Eodem nimirum modo in quacunque philoſophiæ parte patet, nos veram rationem fuiſſe aſſecutos, quo in Phyſicis patere oſtendimus, nos ab ea non aberraſſe. Enimvero non uni notioni rationis ſufficientis debetur, quod Scepticiſmus per philoſophiam primam profligetur, quamvis uſus ejus ampliſſimus ſit, cum per omnem cauſarum ſeriem atque cohortem ſeſe extendat. Sed omnes omnino notiones ontologicæ ſive a nobis propoſitæ, ſive in poſterum a nobis, vel aliis iisdem ſuperaddendæ, huc concurrunt. Etenim notionibus in univerſum omnibus tribuenda eſt vis illa directrix, qua intellectus in cognitione rerum a deviis in verum tramitem vel invitus adducitur (§. 3), & iisdem in univerſum omnibus acceptum refertur, quod philoſophia omnis ſecundum leges verioris me-

(t) §. 7. Diſc. prælim.

Digitized by Google

methodi ad ſenſum communem reduci poſſit (§. 7.). Quoniam itaque major certitudo ne optari quidem poſſit, quam quæ hoc pacto obtinetur; ab omni ſane philoſophia, perinde ac a Matheſi, Scepticiſmum procul removet philoſophia prima. Enimvero cum id tum demum fiat, ubi propoſitiones datæ per demonſtrationes legitimas in notiones communes, quas tradit Ontologia diſtinctas, reſolvuntur; nemo hunc uſum neget propria experientia fretus, qui veriorem methodum ne intelligit quidem, tantum abeſt, ut eadem dextre uti poſſit. Ne quis hic plus ſperet de facultatibus ſuis, quam in iis eſt, attenta lectio & relectio operis noſtri logici efficiet, præſertim ſi Mathematum tractatio frequens accedat, quæ nos in eum ordinem redegimus, quo methodi leges in Logica expoſitæ facilius percipiuntur. Etſi autem quis Ontologiæ auxilio a philoſophia Scepticiſmum profligare nondum poſſit; non tamen id obſtat, quo minus notiones ontologicæ vi, qua pollent, directrice animum a Scepticiſmi labe præſervent, quatenus per eas

Digitized by Google

eas aſſequitur ſuſpicionem impoſſibilitatis ad certitudinem perveniendi nullo fundamento niti: neque enim hic alia re opus eſt, quam applicatione illorum principiorum, quæ de impoſſibilitate demonſtranda ex definitione impoſſibilis eruimus (t). Neminem fugit, Scepticiſmum de immaterialitate animæ, a qua ejus immortalitas pendet, per plurimos annos fuiſſe diſſeminatum non alia de cauſa, quam quod immaterialitatis demonſtratio ideo impoſſibilis habeatur, quod non conſtet; annon Deus materiæ vim cogitandi ſuperaddiderit. Ex notionibus ontologicis liquet impoſſibilitas, quemadmodum in Pſychologia oſtendimus, & per eas conſtat adeo abſurdum eſſe, tribuere vim cogitandi materiæ, ac efficere ut triangulum ſimul habeat quatuor angulos quemadmodum quadratum, licet tantummodo eidem ut triangulo conveniant tres. Enimvero ad arcendum Scepticiſmum ſufficit, ut videamus, impoſſibilitatem demonſtrationis precario ſumi, propterea quod nondum demonſtratum fuerit fieri poſſe,

(t) §. 81. & ſeqq. Ontol.

Digitized by Google

ſe, ut materiæ vis cogitandi ſuperaddatur. Vt enim intelligatur id fieri poſſe, oſtendendum eſt, quod non involvat contradictionem. Quocunque enim argumento utaris, id tandem in notionem poſſibilitatis reſolvi debet, alias non erit genuinum; id quod pervulgatum eſt iis, qui leges methodi perſpectas habent, & ex notione entis, vel inde derivatis principiis logicis, demonſtratur.

Vſus ſpecialis notionum ontologicarum.

§. 11. Etſi autem, quæ de uſu Philoſophiæ primæ dicta ſunt, eam ſatis commendent, atque palam faciant, cur ſcientia Architectonica dicatur, cum notiones ontologicæ eodem munere fungantur, quod Architecto convenit; ſunt tamen notionibus ſingulis ſui etiam uſus peculiares, & inter eos haud poſtremi, qui in directionem actionum liberarum, adeoque in prudentiam non minus publicam, quam privatam influunt. Enimvero cum talia in genere doceri non poſſint; dabimus ſpecimina in poſterum, quibus veritatis ac virtutis cupidos eo perducamus, ut theſauris ſuis fruantur. Neque enim veritas, quæcunque illa fuerit, & quam procul

Digitized by Google

procul a vitæ negotiis remota eſſe videatur, ideo addiſcenda, ut ſciantur; ſed danda omnino opera eſt, ut in directionem actionum tandem influat; quod etſi non ſtatim ubivis appareat, non tamen acutioribus, hoc eſt, nexum veritatum perſpicientibus, nec in una diſciplina ſola ætatem omnem conſumentibus impoſſibile deprehenditur. Vtinam huc adverterent animum, qui veritatum non alium faciunt uſum, quam ut rixandi materiam habeant, quaſi veritas ſit ventoſitatis ac odiorum pabulum! Ita enim humanum genus veritate frueretur, nec eam abominando abuſu converteret in perniciem ſuam.

V.

De officio hominis circa injurias juxta mandatum Chriſti Matth. V. 39.

§. 1.

Officium hominis circa injurias, quibus

Officium hominis circa injurias præcipit Chriſtus his verbis ex verſione vulgata: *Ego dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in*

in dextram maxillam tuam, præbe ei & alteram. Purioris Latinitatis tenax *Caſtalio* ita vertit: *Ego vobis dico, non eſſe reſiſtendum injuriis, quin, ſi quis colaphum in dexteram malam impegerit, obverte ei etiam alteram.* Verba hæc præcipere videntur, quæ a ratione aliena ſunt. Quamobrem *Henricus Hammondus* in Paraphraſi Novi Teſtamenti ea ita reddit: Ne vim opponite hominum injuriis, ſed contra, quantumlibet contumelioſe vobiſcum agant, omnia patienter ferte, quamvis etiam, dum ita vos geritis, videamini occaſionem malis præbere vos iterum laceſſendi. In rebus exigui momenti par eſt ejusmodi periculum ſubire potius, quam vim vi repellere. Etenim ipſi perſuaſum eſt *genam obvertere* proverbialiter idem ſignificare, ac aliquid patienter ferre; quod ipſi manifeſtum videtur Thren. III. 3. Et *Clericus* in Notis ex Scriptoribus profanis idem probat: etenim apud *Livium* lib. 4. c. 35. & *Tacitum* lib. 3. c. 31. *os contumeliis præbere* idem eſt, ac ſe injuriæ & contumeliæ exponere. *Lutherus* in nota marginali prohiberi a Chri-

verbis Chriſti contineatur.

a Chriſto inculcat vindictam privatam, & omnem deferri Magiſtratui. *Clericus* tamen in iisdem notis non modo vindictam privatam a Chriſto interdici exiſtimat in caſu levis contumeliæ, ſed etiam vindictam illam, quæ fit per leges implorata Magiſtratus auctoritate. *Lightfootus* (u) ex Judæorum Doctoribus adducit mulctas graviſſimas ei ſtatutas, qui colaphum alteri in maxillam impingit, quas vi legis talionis in terrorem ac demonſtrationem peccati latæ dictatas ex charitate Chriſtiana emolliendas eſſe, ex verbis Chriſti infert. Enimvero videamus, quomodo ſenſus verborum Chriſti juxta noſtras regulas logicas beneficio principiorum moralium & politicorum eruatur, ut appareat, quidnam in ſententiis virorum doctiſſimorum ſubſit veri, & quinam inter eos ſit conſenſus.

Senſus verborum Chriſti inveſtigatur.

§. 2. Monui non alias in Scriptura ſacra ſupponi poſſe notiones, quam quæ a rebus præſentibus abſtrahuntur (y). Conſtat vero integris propo-

(x) in Horis Hebraicis & Talmudicis in 4. Evangeliſtas ad hunc locum p. m. 282. 283. (y) §. 972. *Log.*

poſitionibus ſuas reſpondere notiones poſſibiles. Vt igitur has a rebus præſentibus abſtrahere poſſimus, primum certi eſſe debemus, de qua re Chriſtus loquatur, cum alias non conſtet, in quam mentis aciem convertere debeamus; deinde opus eſt nonnullis principiis, per quæ liquet, quænam rei inſint, cum non omnia intuitiva ratione conſequamur. Quænam vero ſint illa principia, objectum ipſum, de quo loquitur Salvator, indicabit. Objectum hoc in præſente caſu patet per contextum. Etenim Chriſtus præceptum ſuum opponit legi talionis, quod adeo manifeſtum eſt, ut nemo interpretum hoc non viderit. Ita enim habent verba contextus: *Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, &c.* Lex talionis erat forenſis ſeu civilis, quæ legitur Exod. XXI. 22. 25. & ex verſione vulgata ita habet: Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem, & prægnantem & abortivam quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubjacebit da-

(z) §. 520. *Log.*

no, quantum maritus mulieris expetiverit, & arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. Eadem repetitur Levit. XXIV. 19. 20. ubi ex verſione vulgata hæc leguntur: Qui irrogaverit maculam cuilibet civium ſuorum: ſicut fecit, ſic fiet ei. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet; qualem inflixerit maculam, talem ſuſtinere cogetur. Quoniam vero per *Moſen* a Deo lata erat Judæis, ideo injuſtitiæ accuſari nequit; id quod etiam patet ex iis, quæ ſuperius (a) de juſtitia commutativa dicta ſunt, & in ſpecie, quatenus ea verſatur circa commutationes invitas. Nemo enim ignorat querelas inde ortas tolli jure talionis, & ex principiis politicis patet, eas ſtatuendas pœnas in delinquentes, quæ delictis coërcendis pro ſtatu hominum ſufficiunt (b), ubi ratio etiam habetur naturæ eorum corruptæ.

(a) Num. II. §. 10. (b) §. 343. Polit.

Digitized by Google

ruptæ. Quodſi ergo quis alteri vulnus inflixerat, jure talionis obligatus erat ad pœnam, qua ſimile vulnus eidem infligeretur, ne haberet vulneratus, quod conquereretur, & ut alii exemplo vulnerantis ſapere diſcerent. Enimvero cum vi principiorum politicorum pœnis durioribus non ſit locus, ubi mitiores proſunt (c); ideo pœna convertenda erat in mulctam, prouti a Judæis factum fuiſſe ex antecedentibus conſtat. Mulctæ autem non modo determinandæ erant ex æſtimatione injuriæ, qualis & olim obtinuit apud Romanos; verum etiam ex eo, quod publico intererat, ne quis facile alterum injuria laceſſere auderet; unde denuo Judæi, quemadmodum modo retulimus, mulctas graviſſimas eo in caſu decernebant illi, qui colaphum alteri in maxillam impegerat. Chriſtus itaque præceptum ſuum juri talionis non opponit tanquam legem civilem civili. Sequitur adeo, quod ipſum eidem opponat, tanquam legem naturæ legi civili; conſtat enim (d) legem civilem ſubinde a naturali recedere, & aliqua

(c) §. *cit.* Polit. (d) §. 401. Polit.

eidem ſuperaddere, in quorum numero etiam ſunt pœnæ civiles. Idem quoque ex ipſo contextu perſpicuum eſt, ubi quis caput integrum mente attenta perlegit. Phariſæi enim legem civilem cum naturali, ſeu, ut Theologi loqui amant, forenſem cum morali confundebant; Chriſtus vero confuſionem iſtam tollit moralem forenſi opponendo. Quamobrem verbis Chriſti ea reſpondet notio, qua officium hominis circa injurias jure naturali continetur. Patet adeo, quomodo ad eam perveniri poſſit, ubi eandem ex re ipſa derivare volueris. Nimirum jure naturali fons officiorum erga alios eſt amor alterius (e), ſive is amicus fuerit, ſive inimicus (f); id quod etiam doctrinæ Chriſti conſentaneum novimus (g). Oſtendimus vero (h), nos tum amare alterum tanquam noſmetipſos, ſi ex ejus felicitate eam voluptatem percipimus, quam ex propria percipere ſolemus, conſequenter & ex alterius infelicitate eum dolorem, illud tædium

(e) §. 774. Mor. (f) §. 856. Mor. (g) Matth. XXII. 39. 40. c. V. 44. (h) §. 449. Met. & §. 774. Mor.

dium, quod ex propria percipimus. Quamobrem ſi jure talionis ei, qui nobis injuriam intulit, eandem ipſi inferimus, eundem inde dolorem percipere debemus, quem ex ea percipiebamus, quæ nobis inferebatur. Enimvero ſi ita diſpoſitus fuerit animus, fieri nullo modo poteſt, ut alteri malum inferamus, qui nobis male fecit: qui enim hoc facit, ex malo, quo alter afficitur, voluptatem percipit, qua dolorem ſuum lenit, adeoque odio adverſus alterum flagrat, quod in ea animi diſpoſitione conſiſtere, qua quis voluptatem percipit ex alterius infelicitate, conſequenter ex eo, quod ipſi ægre fiat, alibi (i) dudum oſtendimus. Apparet adeo, cupidinem vindictæ omnem adverſari amori inimicorum, qui juri naturali conformis eſt, conſequenter a vero aberrare, & jus civile cum naturali, ſeu forenſe cum morali, confundere, qui jus talionis regulam morum eſſe volunt. Etenim morum regula hæc eſt, ut habeamus animum ab omni cupidine vindictæ vacuum. Quare cum

(i) §. 454. Met.

præceptum Chriſti juri talionis opponatur tanquam regula morum, Salvator autem optimus ſincerum juris naturalis uſum inculcaverit, vitæ integerrimæ doctor; verbis quoque ejus alia notio reſpondere nequit, niſi animus ab omni vindictæ cupidine vacuus. Enimvero principium juris naturalis, quod nos in Moralibus ſtabilivimus, requirit actionis externæ cum interna conſenſum (k); cumque interna in ſenſum minime incurrat, ex externa interna colligitur, ſi poſita externa interna etiam ponatur. Quamobrem Chriſtus notionem animi ab omni vindictæ cupidine liberi in auditoribus excitaturus actionem externam commemorare debebat, a qua animus iſte abeſſe nequit. Cumque notiones univerſales ab imaginibus ſeparatæ claritate careant, quam per eas habent notiones ſpecialiſſimæ, quibus nonniſi caſus ſingulares reſpondent, atque adeo illis evidentia conciliandа ſit per demonſtrationes; huic inſtituto actio externa quædam ſpecialiſſima conveniebat, quæ nonniſi ſingula-

(k) §. 13. Moral.

gulares ſub ſe complectitur, ne notiones in animo recurrentes ſua deſtituerentur claritate. Patet igitur, cur exemplo colaphi in maxillam impacti uſus fuerit Salvator, actione obvia neminique ignota. Jam ſi quis alteri colaphum incutit, & hic eidem viciſſim alapam impingit; alter jure talionis abuſus, jure civili cum naturali confuſo, vindictæ cupidinem prodit, atque cum ea ſimul odium, utpote voluptatem exinde percipiens, qua ſuum lenit dolorem. Si quis alterum colapho cædit, & hic eidem alapam non impingit viciſſim, ejus quidem rei ratio gemina eſſe poteſt, vel quod ſibi metuens a majori malo vindictam differt, ab ea autem non abſtinet; vel quod animum habet a vindicta cupidine alienum; vel quod talem ſimulet, conſequenter cum omiſſione actionis, quæ animum vindictæ cupidum manifeſto prodit, non neceſſario conjungitur animus a vindictæ cupidine alienus, conſequenter ad eam provocans in animo alterius notionem animi a vindictæ cupidine prorſus alieni excitare nequit. Quodſi denique

Digitized by Google

quis colapho cæditur, & tam parum inde afficitur, ut malam alteram eidem obvertat; is animum ab omni vindictæ cupidine procul remotum habere debet, conſequenter ad hunc caſum provocans notionem animi ab omni vindictæ cupidine procul remoti in eo, cum quo loquitur, excitat, vel ſaltem eum ita diſponit, ut in dato caſu judicare poſſit, quod is ſit ab omni vindictæ cupidine prorſus alienus. Etenim tum demum intelligit, animum ſuum ab omni vindictæ cupidine vacuum eſſe, ubi injuria affectus ita diſpoſitum ſentit animum ſuum, ut eam denuo perpeſſurus nihil in ſe deprehendat, quod reluctetur, ſeu eum ad averſandum diſponat. Atque adeo jam patet ratio, cur Salvator optimus, in quo omnes ſcientiæ ac ſapientiæ theſauri abſconditi, ad caſum poſtremum provocaverit, ubi populum docturus erat, nos in perferendis injuriis habere debere animum ab omni vindictæ cupidine ita remotum, ne amori inimicorum ulla ex parte contrarietur. Et talem revera animum ipſemet habuit Chriſtus; id quod ſatis ſuper-

Digitized by Google

perque probavit, cum in crucem actus Deum his verbis invocaret (l): *Pater, dimitte illis* (nempe inimicis, qui in cauſa erant, ut inter latrones in cruce vitam finire cogeretur), *non enim ſciunt, quid faciunt*, ut adeo *Petrus* animum a vindictæ ſtudio alienum commendaturus exemplum Chriſti nobis imitandum proponat (m). Quemadmodum enim comminationibus proditur animus vindictæ cupidus, ita ex adverſo preces ad Deum fuſæ pro inimicis, ne malum pro malo iis rependat, loquuntur animum ab omni vindicta alienum.

§. 3. Enimvero etſi quis habeat animum a vindictæ cupidine prorſus alienum, ut adeo, ſi per eum ſtaret, injuriam ſibi illatam non vindicari mallet; id ipſum tamen non obſtat, ut, quantum Reip. intereſt, vindictam Magiſtratui committat. Vindicta enim publica opus eſt, ne, qui deſunt officio ſuo, alios injuriis frequenter afficiant, mutuisque injuriis Reip. ſalus ac tranquillitas turbetur. Quamobrem non in ſe, ſed in alios & ſocietatem

Conſenſus interpretationis Lutheri cum noſtra.

(l) Luc. XXIII. 34. (m) 1 Petr. II. 23.

Digitized by Google

tatem omnem, in qua vivit, injurius eſſet, ſi quis injurias ſibi illatas publica autoritate vindicari nollet, ubi vindicta publica malitia coërceri poteſt. Etenim non ita amandi ſunt inimici, ut odio habeamus amicos, ſeu eos, qui ſaltem inimicum in nos non produnt animum. Quamobrem *Lutherus* (§ 1.) recte omnino ſentit, prohiberi a Chriſto vindictam privatam, dum animum eſſe jubet ab omni vindictæ cupidine vacuum, non vero publicam; ſed eam omnem deferri Magiſtratui, a quo nimirum exerceri poteſt absque omni perſonæ odio, & a quo exerceri debet, ob ſalutis ac tranquillitatis publicæ curam ipſi injunctam. Colliduntur in præſenti caſu amor amici atque eorum, qui inimicum in nos non habent animum, etſi nec in numero amicorum ſint, atque amor inimici. Exceptio itaque fieri debet per ea, quæ in Ontologia docuimus (n). Nulla vero ratio eſt, cur a præcepto de amore amicorum & eorum, qui indifferenti erga nos ſunt animo, exceptio fieret; cur vero eadem fiat a præcepto, quod amorem inimicorum injungit, & ipſum

(n) §. 510. Ontol.

Digitized by Google

ipſum præceptum de amore amicorum & eorum, qui indifferenti erga nos ſunt animo, ſuadet, & ſalus ac tranquillitas Reip. urget. Non abſimili modo doceri poterat, cur animus a vindictæ cupidine vacuus nec obſtet defenſioni ſui, neque juri inculpatæ tutelæ; ſed cum idem ex inſtituto demonſtremus in moralibus, & in Jure Naturæ idem argumentum diſcuſſuri ſimus, a repetitionibus inutilibus abſtinendum eſſe judicamus. Ex eadem ratione prætermittimus, quæ ex præcepto de perferendis injuriis animo a vindictæ cupidine prorſus alieno deduci poterant, cum de iis ſuo loco in philoſophia morali plura dicturi ſimus.

§. 4. Ex hoc ipſo ſpecimine patet philoſophiæ uſus in interpretanda Scriptura ſacra, & quidem eo in caſu, ubi veritas non eſt pure revelata, ſed ex principiis quoque rationis demonſtrabilis. Nec multa attentione opus eſt, ut intelligamus, uſum, quem præbet philoſophia, eum eſſe, ut eodem ſucceſſu philoſophiæ aliud quid ſubſtitui nequeat. Confirmat idem collatio interpretationis a nobis factæ cum ceteris, quæ Criticæ ſuperſtructæ ideo a nobis fuerunt præ-

Uſus philoſophiæ in interpretanda S. S.

Digitized b

præmiſſæ, cujus alium eſſe uſum, quam in notionibus perveſtigandis, quibus verborum ſenſus continetur, alibi oſtendimus (o). Duo inprimis probe perpendenda, quæ in ſpecimine noſtro manifeſta ſunt. Nimirum primo ſi quis principiis philoſophiæ in Scriptura ſacra interpretanda dextre uti noverit; is ſenſum genuinum a ſe eſſe repertum demonſtrare poteſt. Quoniam vero principia philoſophiæ deſumenda ſunt ex ſyſtemate, ne quid circa ea dubii ſupereſſe poſſit; demonſtrativam eſſe interpretationem nemo judicare valet, niſi qui & formam demonſtrationis animo comprehenſam tenet, & principia, quibus utitur, ad ſyſtema refert. Patet adeo novus uſus ſyſtematis veri nominis: neque enim contemnendus eſt uſus demonſtrativæ interpretationis, quoniam facit ad controverſias terminandas, quamprimum ſyſtema receptum fuerit. Deinde ſecundo liquet, interpretationem eo more inſtitutam, quem nos ſecuti ſumus, intimius in viſcera rei penetrare, quam vulgo fieri ſolet, cum eorum prodeat ratio, quorum aliquam dari

(o) §. 978. *Log.*

dari poſſe ne cogitari quidem ſolet; id quod loquentis elevat autoritatem, & magnum momentum affert ad S.S. divinitatem contra Anti-Scripturarios adſtruendam, atque ad univerſalia principia inde abſtrahenda. Talia bene multa exemplo præſenti inſunt, ſed quæ abſtrahi & dilucidari præſens locus non permittit.

§. 5. Colophonis loco obſervandum, ex hoc ipſo ſpecimine Sole meridiano clarius elucere, quam bene principiis metaphyſicis, moralibus atque politicis noſtris conveniat cum principiis Chriſti. Qui philoſophiam noſtram probe excultam cum legibus verioris methodi in Logico opere expoſitis conjunxerit, & methodo utendi facultatem ſibi comparaverit; is ſenſum verborum Chriſti atque Autorum ſacrorum oppido profundum in aliis quoque Scripturæ S. locis deteget eodem modo, quo nos in caſu præſenti eum eruimus. Et ut alii idem intelligant, utque aliorum conatus exemplis juvemus; in poſterum ſpecimina dabimus alia, quibus diligenter expenſis regulæ hermeneuticæ in uſum interpretationis demonſtrativæ abſtrahere licebit.

Conſenſus philoſophiæ Autoris cum Chriſto.

CON-

CONSPECTVS TRIMESTRIS VERNALIS.

I.

De Hypotheſibus philoſophicis, 177

II.

De Definitione Juſtitiæ Vlpiani *l. 10. ff. de juſtitia & jure, atque ejus cum notionibus* Ariſtotelicis *conſenſu,* 230

III.

De ſucceſſiva Aſſenſus generatione in ſolida rerum cognitione, 269

IV.

De Notionibus directricibus & genuino uſu philoſphiæ primæ, 320

V.

De officio hominis circa injurias juxta mandatum Chriſti Matth. V. 39. 350

Finis Trimeſtris Vernalis.

HORÆ SVBSECIVÆ MARBVRGENSES
ANNI MDCCXXIX,
QVIBVS
PHILOSOPHIA
AD
PVBLICAM
PRIVATAMQVE VTILITATEM APTATVR.

AVTORE

CHRISTIAN. WOLFIO,

CONSILIARIO AVLICO HASSIACO, MATHEMATVM AC PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO IN ACADEMIA MARBVRGENSI ET ORDINIS PHILOSOPHORVM p. t. DECANO, PROFESSORE HONORARIO PETROPOLITANO, SOCIETATVM REGIARVM BRITANNICÆ AC BORVSSICÆ SODALI.

TRIMESTRE ÆSTIVVM.

FRANCOFVRTI ET LIPSIÆ MDCCXXX.

PROSTAT IN BIBLIOP. RENGERIANO.

Digitized by Google

HORÆ SVBSECIVÆ MARBVRGENSES,

ANNI MDCCXXIX.

Trimeſtre Æſtivum.

§. I.

De Voluptate ex cognitione veritatis percipienda.

§. 1.

Nullam dari voluptatem, quæ cum ea comparari poſſit, quam ex veritatis cognitione percipimus, dudum agnovere viri intelligentes, ita ut vir generoſus de ſcientiis mathematicis bene meritus, *Ehrenfried Waltherus de Tſchirnhauſen* (a), ſummum hominis bonum in ea conſiſtere exiſtimaverit. Nihil, inquit, noſtræ felicitati augendæ hucusque magis neceſſarium agnoſcere potui, quam ignotas poſſe detegere veritates, & ex iis, quæ ad iſtum ſcopum quam maxime conducunt, ſeligere. Pau- *Inſtitutum Autoris.*

(a) in Medicina Mentis part. 1. p. 7.

Digitized

lo inferius autem (b) in rem noſtram ita loquitur: Expertus ſum ſummam & puriſſimam delectationem omnium, quæ modo naturali in homines in hac vita videntur poſſe cadere, eam nimirum, quæ ex acquiſitione veritatis oritur, & cui æquiparandam nunquam ſenſi aliam. Provocat ad experientiam aliorum, qui multarum veritatum magni momenti notitiam adepti ſunt, inprimis vero illorum, qui eo uſque progreſſi, ut eam proprio Marte ſibi acquirere valeant. Hanc vero delectationem tantam pronunciat, ut, cum plures, qui alios a nimio ſenſualium delectationum uſu abducere conantur, id ſucceſſu parum felici præſtent, hi e contrario delectationibus, quæ ex veritatis acquiſitione percipiuntur, deguſtatis, facillime ſummas vulgi voluptates pro nihilo reputarint. Immo fuiſſe nonnullos autor eſt, qui cum ſibi haud difficulter honores, divitias ac delitias hujus mundi comparare potuiſſent, iis tamen plane nuncium miſerint, quod præviderent, hæc forte futu-

(b) loc. cit. p. 13.

Digitized by Google

futura eſſe impedimento, quo minus in acquiſitione veritatis, uti inceperunt, poſſent progredi. Nihil hic dictum reperio, quod non ipſemet expertus fuerim, meoque exemplo confirmare poſſim. Enimvero cum veritatem eorum, quæ tam confidenter aſſeruit vir egregio acumine præditus, in ſe experiri velle non adeo facile exiſtimari debeat, ut unumquemque promiſcue ad experientiam domeſticam invitare liceat; deſiderio amici doctrinæ hujus utilitatem perſpicientis ſatisfacturi ex notionibus noſtris a priori deducemus, quæ de voluptate ex cognitione veritatis percipienda tenenda ſunt, tum ut rationis lumine colluſtrati intelligant, quod experiri non valent, plurimi, atque ſic ardore quodam idem experiundi incendantur; tum ut ceteri, quibus cupediis hiſce frui datum eſt, diſcant, quid tribuendum ſit philoſophiæ noſtræ; tum ut attentio experientium intendatur ad obſervanda, quæ hactenus animadverſa non ſunt, & ad diſcernenda, quæ parum utiliter confunduntur. Cumque præter veritates

naturales dentur etiam revelatæ, noſtrum quoque eſſe arbitramur de voluptate, quæ ex his percipitur, noſtrum interponere judicium. Immo cum nec veritates naturales ejusdem ſint generis, quid hic quoque diſcriminis intercedat in voluptate, quæ ex iis percipitur, edocendum erit.

Voluptas quid ſit. §. 2. Notionem voluptatis diſtincte explicavit *Carteſius* in epiſtola ad *Eliſabetham*, Principem Palatinam (c). Tota noſtra voluptas, inquit, poſita eſt tantum in perfectionis alicujus noſtræ conſcientia. Monet præterea, ſi rationem ſequaris, quamlibet voluptatem ex magnitudine perfectionis illam producentis metiendam eſſe; homines tamen ſæpius confundere, quod apparet cum eo, quod eſt. Atque hæc nobis anſam dedere, ut voluptatem per intuitum ſeu cognitionem intuitivam perfectionis cujuscunque, ſive veræ, ſive apparentis, definiremus (d), ut ſic determinationes omnes, quæ definitionem ingredi debent, complecteremur, eique omnem amplitudinem tribueremus, quam

(c) epiſt. 6. part. 1. p. m. 13. 14. (d) § 404. Met.

quam habere poteſt. Notionem hanc eſſe veritati conſentaneam clariſſime oſtendimus (e), & proxime in Pſychologia, quæ Coſmologiam generalem excipiet, uberius confirmaturi ſumus. Eadem quoque in Moralibus & in Teleologia, ſeu Tractatu, quem de finibus rerum naturalium conſcripſimus, feliciſſime uſi ſumus, ut fœcunditatis extent exempla luculenta; nec minus eadem facem nobis præferet in tractatione præſente. Et quamvis *Carteſius* voluptatem ad conſcientiam perfectionis noſtræ reſtringere videatur; experientia tamen ubivis obvia confirmat, eam non minus oriri ex conſcientia perfectionis non modo hominis, ſed rei etiam alterius cujuscunque. Ecquis enim ignorat nos voluptate perfundi, ſi attentionem noſtram defigamus in perfectione horologii, imaginis aut ædificii alicujus, præſertim ubi fuerimus artis periti, ut perfectionem, quæ rei ineſt, percipere valeamus. Neque enim nos movet perfectio rei, niſi ejus nobis conſcii ſimus.

(e) loc. cit.

Qualis ſit cognitio veritatis. §. 3. Vt igitur appareat, quinam perfectionis ſenſus cognitionem veritatis comitetur, paulo diſtinctius exponendum, quandonam veritatem cognoſcamus. Eſſe aliquam in rebus veritatem, quæ tranſcendentalis appellatur, dudum agnovere philoſophi, dum ens omne verum eſſe pronunciarunt. Quid vero ſibi velit iſta veritas tranſcendentalis, primus, quantum conſtat, diſtincte expoſui tum in Metaphyſica Germanica (f), tum in Ontologia Latino ſermone nuperrime edita (g). Notione enim entis diſtinctius evoluta, quam hactenus factum fuerat a Philoſophis, quemadmodum opus noſtrum ontologicum, ejus inprimis caput tertium ſectionis ſecundæ & ſecundum tertiæ partis primæ, abunde loquitur, veritatem tranſcendentalem, quæ rebus ipſis ineſſe intelligitur, non diverſum quid eſſe deprehendi ab ordine in varietate eorum obvio, quæ ſimul ſunt ac ſe invicem conſequuntur, cujus cum ſint regulæ principium, quod voco, contradictionis & rationis ſufficientis

(f) §. 142. & ſeqq. (g) §. 493. & ſeqq.

Digitized by Google

tis (h), veritatem rebus ineſſe docui, quatenus ea, quæ inſunt, per iſta principia determinantur. Cumque oſtenderimus (i), veritatem tranſcendentalem eſſe fundamentum veritatis logicæ; veritatem logicam conſiſtere reperimus in determinabilitate prædicati per notionem ſubjecti (k), neque enim alio in caſu intellectus judicium objecto conforme eſt, niſi quando rei tribuitur prædicatum per alia, quæ eidem conveniunt, atque notionem ſubjecti in dato judicio abſolvunt, determinabile; omnes autem uno ore confitentur, tum dici verum judicium noſtrum, quando rei, de qua judicamus, conforme eſt, ſeu quod eidem tribuitur, eidem quoque convenit. Veritatem adeo is demum cognoſcit, qui perſpicit, quomodo prædicatum per ea, quæ in notione ſubjecti continentur, determinetur, quemadmodum jam alibi docuimus (l). Non unum idemque ſunt, veritatem alicujus propoſitionis, vel etiam rei

(h) Vid. de his principiis Ontologiæ C. 1, & 2. Sect. I. part. I. (i) §. 499. Ontol. (k) §. 513. Log. (l) §. 516. Log.

agnoſcere, & quod propoſitio vera ſit cognoſcere, quemadmodum jam alias (m) differentiam clariſſime expoſuimus. Atque hoc diſcrimen in præſente præſertim caſu minime negligendum; id quod ex ſequentibus eluceſcet. Quodſi cui in philoſophia noſtra parum verſato hactenus dicta non ſatis perſpicua videntur; is miſſis iis, quæ, cum in ſyſtemate pleno lumine fulgeant, extra idem obſcuriora videntur, ad ſequentia animum advertat. Ea, quæ enti conveniunt, in triplici differentia conſtituuntur. Alia ſibi mutuo non repugnant, ut ſimul ineſſe poſſint; non tamen per ſe invicem determinantur, ut neceſſario ſimul inſint. Alia per iſta priora determinantur, vel quoad actualitatem, vel quoad potentiam, ut ſcholæ loquuntur, ita ut illa neceſſario ſimul inſint, hæc vero tantummodo ineſſe poſſint. Quodſi poſteriora actu eſſe debeant, aliæ determinationes accidentales, ſive extrinſecæ, ſive intrinſecæ, ſuperaccedere debent. Singula patent per theoriam entis in Ontologia a nobis ſtabi-

(m) §. 517. *Log.*

Digitized by Google

ſtabilitam. Veritatem adeo cognoſcit, quæ enti ineſt, qui diſtincte perſpicit, prima entis attributa ſibi invicem non repugnare, ſed ſimul eidem ſubjecto, convenire poſſe, utut abſolute non repugnet, ut unum ſit absque altero, atque præterea per primaria iſta attributa intelligit, cur cetera vel actu inſint, vel ineſſe poſſint, & quænam enti porro ſuperaccedere debeant, ut hæc quoque actu inſint. Tum enim ens concipit, quale eſt, ipſiusque ideæ ineſt veritas, quæ dicitur, logica. Quodſi quis tantummodo experientia duce intelligit, quædam ſimul enti cuidam ineſſe poſſe, & enti, cui talia inſunt, ob quæ eidem hoc vel iſtud nomen tribuitur, ineſſe porro alia, vel ſaltem eidem convenire in aliquo ſtatu; is quidem cognoſcit, ens iſtud eſſe verum, & veritati conſentaneum eſſe, quod talia eidem vel conſtanter, vel in dato quodam ſtatu conveniant, ipſam vero veritatem non perſpicit. Singula ſatis patent per theoriam noſtram logicam. Etſi autem rerum cognitio a poſteriori derivata ipſam veritatem penitus perſpiciendam non exhibe-

hibeat; aliquid tamen ejus ſpectandum offert, ubi iteratis obſervationibus factisque experimentis nexus rerum detegitur, ut appareat, quibus poſitis ponantur alia, etſi nondum conſtet, cur iisdem poſitis ſimul ponantur. Atque hoc philoſophiæ eſſe exiſtimamus, ut veritatem intimius inſpiciendam exhibeat, quam ideo ad notiones determinatas, quibus vocum ſignificatus fixus conſtituitur, & propoſitiones determinatas reducimus, in quibus prædicatum ex notione ſubjecti legitimis ratiociniis colligimus. Quamobrem ex præſente tractatione novus quidam apparebit uſus philoſophiæ noſtræ, forſan hactenus non animadverſus, aut ſaltem non ſatis expenſus.

Voluptas percipienda ex veritate ipſa.

§. 4. Qui veritatem rerum ipſam perſpicit, is ordinem agnoſcit, quo vi principiorum contradictionis atque rationis ſufficientis collocanda ſunt illarum prædicata, ſive ea conſtanter inſint, ſive ſibi invicem ſuccedant. Omnis ordo perfectus eſt; quod etſi in Ontologia brevitati ſtudentes non demonſtraverimus, ex principiis tamen

Digitized by Google

men ibidem poſitis facile deducitur. Perfectio enim rebus tribuitur, quatenus determinationes intrinſecæ per rationem quandam ſeu regulam generalem, aut plures iſtiusmodi regulas explicari poſſunt (n). Quare cum in omni ordine per regulas iſtiusmodi explicari poſſit, cur unicuique coëxiſtentium vel ſucceſſivorum hic potius ceſſerit locus, quam alius (o), nec ordini præter determinationes locorum aliæ inſint (p); ordo utique omnis perfectus eſſe debet, ſeu omni omnino ordini perfectio quædam ineſt. Retinenda autem hic eſt perfectionis genuina notio, quam dedimus (q), & quæ omni ordini in caſu ſpeciali facile applicatur. Conſiſtit nimirum perfectio in conſenſu, qui datur inter plura in uno differentia. In eo autem ordine, quo veritas rerum conſtituitur, & a ſomnio diſtinguitur, determinationes locorum, quæ prædicatis cedunt, inter ſe conſentiunt, ut in nullo ente admittatur, niſi quod per alia, quæ eidem conveniunt, ineſſe debere in-

(n) §. 530. Ontol. (o) §. 475. Ontol. (p) §. 472. Ontol. (q) §. 503. Ontol.

intelligatur. Ipſam adeo rerum, quæ ipſis ineſt, veritatem intimius perſpicientes perfectionem quandam intuemur. Quamobrem fieri nequit, quin voluptatem ex ea percipiamus. Atque ea voluptas eſt, qua veritas ipſa animum cognoſcentis perfundit. Quoniam nos in philoſophia id agimus, ut ex notione ſubjecti determinata eruatur quodlibet prædicatum ſecundarium ei tribuendum, primariis definitione comprehenſis; attentus & aſſiduus lector veritatem rerum & in ea ordinem prædicatorum perſpicit, qui in mutua a ſe invicem dependentia conſiſtit. Quamobrem ſuperatis difficultatibus, quæ tyronum attentionem defatigare ſolent, philoſophiæ noſtræ lectio animum voluptate continua perfundit.

Confirmatio ejusdem a poſteriori.

§. 5. Enimvero noſtrum eſſe arbitramur, hactenus dicta experientia confirmare, ut earum veritatem iis perſuadeamus, quorum animus difficulter cedit rationibus. Mathematum perito facile perſuaſeris eſſe quid in ordine, quod delectet: neque enim alia re opus eſt, quam ut ei experientiam

tiam domeſticam in memoriam revoces, & ea, quæ in poteſtate eſt, attentione uti jubeas. Notum eſt Geometram maximo ſuo merito celebrem *Iſaacum Newtonum* reperiſſe, ſi quadratum diametri circuli ſit 1, fore aream $1 - \frac{1}{6} - \frac{1}{40} - \frac{1}{112} - \frac{5}{1152} - \frac{7}{2816}$ &c. Nec minus hodie conſtat, *Jacobum Gregorium*, Geometram eximium, primum inveniſſe, ſi quadratum diametri circuli ſit 1, fore aream circuli $1 - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7} + \frac{1}{9} - \frac{1}{11}$ &c. Quoniam ſerierum infinitarum uſus alius non eſt, quam ut approximationes inde eruantur in eo caſu, quo perfecta quadratura dari a nobis non poteſt; ſeriem *Newtonianam* utique præferendam eſſe patet *Leibnitianæ*, quæ vulgo dicitur, quod longo tempore *Leibnitio* tributa fuerit, antequam conſtaret, eam a *Gregorio* fuiſſe inventam. Sunt tamen, qui *Leibnitianam*, ſeu *Gregorianam* præferunt *Newtonianæ*, propterea quod in illa manifeſta ſit lex progreſſionis in infinitum, qualem in hac nullam eſſe arbitrantur. Lex illa progreſſionis ordinem quendam palam facit, quo termini progrediuntur; ex quo cum volu-

voluptatem percipiant, qualem in ſe nullam experiuntur ad ſeriem *Newtonianam* attenti, hac *Leibnitianam* elegantiorem appellant ſignificaturi, quod ea delectet, non tantum proſit. Enimvero reducamus iis artificiis, quæ alibi (r) expoſuimus, eandem ad formam aliam, ut termini manifeſta lege progrediantur in infinitum; nullum profecto mihi ſupereſt dubium, fore, ut ſeries *Newtoniana* majore voluptate animum a præjudiciis liberum perfundat, quam *Leibnitiana*. Etenim ſi terminus primus ſeriei dicatur A, ſecundus B, tertius C, quartus D, & ita porro, ſitque diametri quadratum 1; area circuli vi ſeriei *Newtonianæ* eſt

$$1 - \frac{1.1}{2.3}A - \frac{1.3}{4.5}B - \frac{3.5}{6.7}C - \frac{5.7}{8.9}D - \frac{7.9}{10.11}E$$

&c. In hac ſerie plus ordinis deprehenditur, quam in *Leibnitiana*, cum non modo lex progreſſionis ſit obſervatu facilis, verum etiam ſinguli termini a ſe invicem conſtante quadam ratione dependeant, & in ipſa varietate inſit ſimilitudo non una. Delectat adeo ſeries *Newtoniana* ad hanc formam reducta

(r) Analyſ. infin. §. 124. edit. ſec. Element. Math.

ducta vi ſolius ordinis, quæ antea in ſe ſpectata non delectabat. Sed demus exemplum aliud, quod eſt facilius. Qui principia Architecturæ civilis vel primis labris deguſtavit, non ignorat, eurythmiam, quæ inter principia venuſtatis connumerata ſimilitudinem ab utroque latere medii diſſimilis cuſtodit, eſſe regulam ordinis. Vnusquisque duo conſpiciens ædificia, quorum unum juxta regulas eurythmiæ conſtructum, alterum vero iis adverſatur, in ſe experitur, ex conſpectu prioris ſe voluptatem percipere, quæ a conſpectu alterius aliena. Id igitur, quod hic delectat, ordo eſt. Quodſi cui nec hoc exemplum ſatis clarum fuerit, is obvium quodque capiat ex rebus quibuscunque ordine collocatis. Neque attentione uſus difficulter intelliget eſſe ordinem, qui hic delectat. Vnde porro colliget, ordinem quoque in aliis rebus, adeoque & in veritate obvium delectare debere, quamprimum is perſpicitur.

Demonſtratio, quando voluptatem pariat. §. 6. Similiter haud raro experiuntur, qui in demonſtrationibus reſolvendis verſantur, quod inſignis ex ordine,

dine, qui in iisdem percipitur, voluptas capiatur. Genuina demonſtrationis formam & accuratam analyſin delineavimus in opere logico (s). Eam qui perpendit, obſervat, illam certis regulis contineri, quibus ordinata efficitur, & hoc ipſo ab inordinata diſtinguitur (t). Ordinem intuentes, quem in ordinata deprehendimus, voluptate perfundi, & ratio docet, & experientia aperte loquitur. Non alia re opus eſt, quam ut demonſtrationem, prolixam inprimis, legitime reſolvamus, & reſolutam diſtincte in tabula quadam deſcribamus, ut uno obtutu comprehendi poſſit, & ordo in eadem latens conſpectui offeratur. Nos ſane, qui in Matheſi tradenda analytica methodo utentes demonſtrationes ita reſolutas auditoribus noſtris conſpiciendas exhibemus, voluptate illa conſtanter fruimur, quæ accedentibus aliis mox deſcribendis efficiunt, ut in docendis trivialibus non ſine animi voluptate verſemur, & animum alio labore defatigatum docendo recreemus, immo a tædiis, qui-

(s) §. 551. & ſeqq. *Log.* (t) §. 799. *Log.*

Digitized by Google

bus forte implicitus eſt, liberemur. Hæc ipſa quoque voluptas in rationum illarum numero eſt, quæ nos impulerunt, ut in nova Elementorum Matheſeos editione demonſtrationes efficeremus quam maxime ordinatas, & idem, quantum datur, in ipſa quoque philoſophia, quam Latino ſermone publici juris facimus, externa forma plurimum differente ab ea, quam vernaculo idiomate conſcripſimus, imitaremur: nihil enim magis in votis habemus, quam ut alii quoque ejusdem fiant participes. Ceterum plura moneri poterant de iis, quæ voluptatem hanc intendunt; ſed cum nobis non liceat eſſe prolixioribus, ea illis obſervanda relinquimus, qui in demonſtrationibus reſolvendis ac perpendendis eandem nobiſcum viam ingredientur. Non deſunt teſtes ejusdem voluptatis nobiſcum participes facti; ſit ita, quod non quivis tyro aliis difficultatibus præpeditus nec eo acumine adhuc utens, quod ad pervidendum ordinem prærequiritur in demonſtratione latentem, illam perſentiſcat.

Digitized by Google

Modus percipiendi voluptatem ex cognitione perfectionis rerum. §. 7. Ens omne eſſe perfectum dudum agnovere veteres, & nos ex ipſa notione perfectionis demonſtravimus, quo reſpectu rebus perfectio tribuatur (u). Jam ad veritatis cognitionem ſpectat etiam cognitio perfectionis rerum, dolendumque, quod non plus ſtudii in eadem collocetur. Quare cum ex intuitu perfectionis naſcatur voluptas (§. 2); animus cognoſcentis voluptate perfundi debet, ubi in perfectione rerum attentionem ſuam defigit. Æſtimatur perfectio rerum ex earum finibus. Atque inde eſt, quod Teleologia, ſeu, quæ de finibus rerum inſtituitur tractatio, adeo delectet; quamvis altera accedat ratio, de qua mox dicemus diſſertius. Obvia vero etiam exempla loquuntur, cognitionem perfectionis rerum conjunctam eſſe cum voluptate. Ita ſimilitudo picturæ cum objecto, quod repræſentat, delectat, artis præſertim peritum, qui eam intimius perſpicit. Nemo autem eſt, qui ignoret, picturæ perfectionem in iſta ſimilitudine conſiſtere. Similiter quod

(u) §. 530. Ontol.

quod horologium delectat Aſtronomos, quod cum motu cœli diurno conſpirat quam exactiſſime, ita ut intra dies complures vix uno alteroque ſecundo ab eodem diſſentiat. Ecquis vero eſt, qui ignoret, horologii perfectionem ex eo agnoſci, quod tempus exacte indicet? Hoc voluptatis genus, ſi ab obviis rebus diſceſſeris, quas ars potiſſimum offert, pauciſſimi hactenus experti ſunt, propterea quod notione perfectionis fœcunda deficiente de rerum perfectione in diſciplinis explicanda hactenus non cogitarunt philoſophi, atque merito inter deſiderata refertur ſcientia, quæ rerum perfectiones demonſtrat, adeo parum nota, ut nomine adhuc deſtituatur. Dedimus nos notionem perfectionis (x), quam fœcundam in Theologia naturali, Pſychologia, Philoſophia morali ac civili, ipſa etiam Philoſophia naturali, & Technologia, quam inter diſciplinas pſiiloſophicas, ſed deſideratas, retulimus (y), experti ſumus. Et quamvis ignoremus, num Deus nobis per tantum temporis ſpatium

 vitam

(x) §. 503. & ſeqq. (y) Diſc. prælim. §. 71.

vitam corporisque ac animi vires ſit clementiſſime conſervaturus, ut ad eam philoſophiæ partem, quæ rerum perfectiones demonſtrat, excolendam animum appellere liceat; dabimus tamen in diſciplinis ceteris ſpecimina luculenta, ut poſthac propior ad eam pateat aditus. Nec deerit ſubinde occaſio, ut iſtiusmodi ſpecimina his ipſis horis ſubſecivis inſeramus, quo aliorum ſtudia ad argumentum generi humano adeo utile excolendum provocemus. Vtinam tandem ſaperent eruditi, ut rebus intelligendis potius, quam aliis perſtringendis & male intellectis ſuggillandis tempus ac operam impendere mallent! Sed nec noſtrorum temporum ea eſt felicitas, ut meliora placeant plurimis, ignorantia, ſegnitie virtutisque infucatæ defectu faſtui inani pabulum ſubminiſtrantibus, & contra ſcientiam omnem, etſi humano generi adeo utilem, arma ſuppeditantibus.

Voluptas percipienda ex perfectione intellectus in genere.

§. 8. Nemo eſt, qui non ultro largiatur, ignorantiam inter imperfectiones mentis noſtræ eſſe referendam. Vnde ſua ſponte conſequitur, cognitionem rerum, quæ eidem opponitur, ad per-

perfectionem mentis referri, ſeu intellectum noſtrum eſſe perfectiorem, ſi ideis rerum imbuatur, quam ſi iisdem vacuus exiſtat. Quando itaque judicamus, nobis eſſe hanc rerum cognitionem, perfectionis intellectus noſtri nobis conſcii ſumus. Vbi igitur animus in hoc ſtatu voluptate perfunditur, non aliud profecto accidit niſi quod naturæ mentis humanæ conveniens deprehenditur. Percipimus enim voluptatem, quotiescunque perfectionis cujusdam noſtræ nobis conſcii ſumus (§. 2.). Experientia abunde confirmat, quæ modo diximus. Sane alius voluptatem percipit ex linguarum, quæ ipſi eſt, notitia, alius ex numerorum & figurarum, alius ex rerum naturalium, alius ex rerum moralium atque civilium, alius ex rerum artificialium, alius denique ex rerum aliarum quarumcunque cognitione voluptatem haurit. Nimirum nihil hic ad voluptatem confert objectum, circa quod verſatur cognitio noſtra, cum rerum cognitio voluptatem generet, quatenus mentis noſtræ perfectionem loquitur, nullo attento ipſarum rerum diſcrimine. Etſi autem a ſe invicem ſeparemus, quæ

confundenda non ſunt; non tamen ideo negamus, cum ea voluptatis ſpecie, quæ in præſente caſu percipitur, conjungi quoque poſſe alteram, quæ a perfectione rei cognitæ manat, & de qua in antecedentibus (§. 7.) diximus; id quod ideo monemus, ne, qui cavillandi animo ad hæc legenda accedunt, cum ſint methodi accuratæ imperiti, ſibi aliquid reperiſſe videantur, quod experientiæ repugnet, ac ideo virgula cenſoria dignum ſit. Plures omnino voluptatum ſpecies in uno eodemque caſu percipiuntur, atque multiplex voluptas, quæ plurium ſimul perceptarum quædam congeries eſt, utique intenſior earum qualibet ſigillatim percepta. Neque me fugit, non eſſe cujusvis, ſingulas illas voluptates, quæ in multiplici permiſcentur, a ſe invicem diſcernere, atque adeo plurimos de eo ne cogitare quidem ſolere, quod jam plures voluptates ſimul percipiant. Noſtrum tamen eſt, voluptatem multiplicem, etſi uno ſenſu contineatur, in ſimplices illas reſolvere, quæ ſimul percipiuntur, cum nobis propoſitum ſit theoriam voluptatis, quæ ex cogni-

gnitione veritatis percipitur, a priori ſeu ex notionibus ſuis derivatam exhibere. Illud aute jubet vera methodus, & in ea applicanda maxime artis eſt a ſe invicem ſeparare ea, quæ in notionibus complexis confunduntur experientiæ ſtudio acquiſitis. Opportune talia moneri non diffitebitur, qui præſentem rei litterariæ, in Germania præſertim noſtra, ſtatum cognitum atque perſpectum habet. Ipſe ſatis ſuperque expertus ſum, quod ignorantia methodi reprehendantur, quæ laudari debebant. Expertus quoque ſum non deeſſe, qui exiſtimant neceſſitatem reſpondendi ad tales cenſuras nobis eſſe impoſitam, quæ ex craſſa ac ſupina ignorantia ortum trahunt. Diſcant igitur lectores, cur temeraria imperitorum judicia contemnamus, nec adeo temere judicantibus invideamus hominum ſui ſimilium applauſum. Sint felices per nos errore ac turpi facinore ſuo! Nobis potius eſt frui voluptate, quæ ex veritate ac virtute percipitur.

§. 9. Major voluptas iſta deprehenditur, ſi quis cognitionem ſuam confert cum ignorantia alterius: tum *Gradus illius voluptatis.*

 enim

Digitized by Google

enim vi oppoſiti magis ſibi conſcius eſt perfectionis ſuæ, quam ubi ad ignorantiam alterius non attenderit, præſertim cum ignorantia alterius major appareat imperfectio, quam ubi propria fuerit, atque adeo ſua quoque cognitio perfectio major. Et quoniam in uno caſu quis ſentit, quod magis delectetur cognitione ſua, ſi ad alterius ignorantiam eam referat, quam ſi in ea ſola obtutum defigat; ideo hac ipſa voluptate ſtimulatur ad ignorantiam aliorum ſcrutandam, & ardore inceditur imbuendi animum iis doctrinis, quibus animum alterius vacuum deprehendit. Equidem hoc ſtimulo communiter non uno modo abutuntur præſertim illi, quibus acumen non eſt ad pervidendum, quid in hiſce lateat diſcriminis; abuſus tamen non ab eo, quod homini naturale eſt, ſed ab arbitrio ipſius manat. Licet enim ſtimulo iſto uti ad diligentiam excitandam & conſervandam, qua in hauriendis doctrinis utilibus opus eſt, tum ubi ignorantiam veritatis alteri nocuam deprehendimus, tum ubi ejus cognitionem eidem valde proficuam experimur; neque ideo

ideo opus eſt ut alterum elatis ſuperciliis contemnamus, quemadmodum facere ſolent, qui ab experientia rationis ſuppetias excludunt. Abuſus, quem faciunt alii, rectum nos docere debet uſum. Vnde dudum invaluit præceptum iſtud generale: Ex alieno caſu diſce, non modo quæ vites, verum etiam quæ facias. Intenditur porro eadem voluptas, quæ ex cognitione veritatis in genere ſpectata proficiſcitur, ſi animum ad numerum eorum advertas, quæ cognoſcis. Etenim qui veritatis cognitionem ad perfectionem ſuam refert, is ſe tanto judicat perfectiorem, quo plurium rerum cognitione animum ſentit imbutum, quemadmodum alterum tanto imperfectiorem eſſe exiſtimat, quanto majorem eorum numerum deprehendit, quæ cum ipſe norit, alter ignorat. Gradus autem voluptatis reſpondet gradui perfectionis, cujus quis ſibi conſcius eſt. Naſcitur hinc inexatiabilis ſciendi cupido, ita ut etiam ſeni diſcere adhuc volupe ſit, quamvis altero pede ſe jam in ſepulchro ſtantem videat. Voluptatem animi anhelamus omnes; quamobrem

rem ubi nobis innoteſcit objectum, ex quo voluptatem percipimus, in idem ſtatim dirigitur appetitus, atque adeo idem conſequi ſtudemus, quando ipſum in poteſtate noſtra poſitum exiſtimamus. Quodſi illa cupido non ſubſit rationis imperio, nunc inde fluit intemperantia in ſtudiis, quæ cum ipſo ſanitatis diſpendio & neglectu aliorum, quæ ſunt officii noſtri, conjungitur; nunc in ſterili rerum cognitione deſudando tempus fallitur, quod utiliter collocari poterat, immo debebat. Enimvero ubi diſtincta cognitione ſingula ad rationes ſuas revocantur, per errorem objecto cognoſcibili minime tribuitur, quod ab ipſa cognitione in ſe ſpectata derivatur, conſequenter in objecto eligendo prudentiam noſtram minime deſiderari patimur. Apparet denuo, quantæ ſit utilitatis, voluptatem, quæ ex cognitione veritatis perſpicitur, intimius pervideri, ne abuſui ſit, quod maximo inſervire poterat uſui. Ceterum de gradibus voluptatis ex cognitione veritatis in ſe ſpectata oriundæ notandum ulterius, quod cognitu difficilia majo-

rem

rem voluptatem pariant, quam facilia. Quare cum difficilia adeo delectent, ut plerique, ubi eorum cognitionem ſibi acquiſiverint, facilia contemnere ſoleant; ideo in proverbium dudum abiit, pulchra eſſe, quæ difficilia ſunt. Nimirum ex eo, quod difficultatem experiamur in re cognoſcenda, cum aliarum rerum cognitionem facilius nobis comparaverimus, majorem mentis perfectionem requiri ad illius cognitionem colligimus, quam qua ad res ceteras cognoſcendas uſi ſumus. Quare ubi tandem ſuperatis difficultatibus re difficili potiti fuimus, eam nobis perfectionem adeſſe perſuaſiſſimi ſumus. Quid igitur mirum, ſi major quoque voluptas ex cognitione rerum difficilium, quam facilium, in nos redundet? Intenditur porro voluptas ex rerum difficili cognitione percepta, ubi mentis aciem in eos converteris, qui eadem deſtituuntur, atque in facilibus acquieſcere tenentur, viribus ad ulteriora non ſufficientibus. Etenim cum hoc pacto noſtram potentiam ad aliorum impotentiam referamus,

mus, quam ante quoque in nobis experiebamur, vi legis oppoſitionis potentia clarior eluceſcit, adeoque magnitudinis perfectionis, quæ nobis adeſt, magis conſcii majore utique voluptate perfundimur, quam ſi nobis ejusdem minime conſcii eſſemus. Quamvis autem non infrequenter rerum difficilium cognitio facilium, etſi utilium, contemtum pariat, ut non ſine multiplici damno ſterilia magni fiant, quia difficilis eſt eorum cognitio, apprime autem ſcitu neceſſaria atque generi humano utilia negligantur, quod cognitu facilia exiſtimentur; in eo tamen abuſus voluptatis conſiſtit, qua rerum difficilium cognitio animum perfundit, diverſus longe ab ejusdem uſu, quem optimus naturæ Autor intendit. Non minus abuſui iſti tribuendum, quod, qui cognitione rerum difficili animum imbuit, contemnat ceteros, qui nonniſi facilia cognita atque perſpecta habent. Quaſi vero ideo quis contemnendus, quod eum nobis imperfectiorem judicamus, vel in æſtimanda perfectione hominis tantummodo

modo reſpiciendum ſit ad aliquas intellectus prærogativas, non attentis ceteris animi dotibus, quarum major adhuc vis eſt in felicitate generis humani promovenda. Hic profecto etiam abuſus procul diſtat ab uſu, quem Deus vi bonitatis ſuæ intendit, dum rerum difficilem cognitionem facili jucundiorem eſſe juſſit homini. Ea nimirum voluptas ſtimulus eſſe debet ad difficultates, quæ nobis objiciuntur, ſuperandas, ut ad actum deducantur potentiæ naturales menti inditæ, ne fruſtra a Deo homini datæ ſint, ſed ad detegendam veritatem humano generi utilem convertantur. Hunc ejus uſum non modo innocuum, ſed admodum ſalutarem faciunt, qui acumen ſibi acquirunt ad diſtinguendum ea, quæ in notionibus confuſis rerum ad mentem ſpectantium involvuntur, & cum eo virtutem conjungunt.

Cur quidam ex cognitione erroris alieni voluptatem percipiant.

§. 10. Sunt, qui ex cognitione errorum ab aliis admiſſorum voluptatem percipiunt, cum proprii erroris cognitio animum reddat turbulentum. Qui errat, is non modo rem ipſam reve-

revera ignorat, verum etiam nubem, quod vulgo dicitur, pro Junone amplectitur. Ignorantiam arguere imperfectionem mentis noſtræ jam ſupra notatum eſt (§. 8.). Defectum autem acuminis cum arguere videatur falſi cum vero confuſio, non minus ea ad imperfectionem mentis referri ſolet. Immo ſi in cauſas erroris omnes inquiſiveris, quibus acuminis defectus in dato quolibet caſu debetur, eas ſemper in numero imperfectionum collocandas eſſe deprehendes, quocunque te vertas; id quod alibi commodius quam hic doceri poterit, ſi quando de cauſis erroris in gratiam errorum evitandorum commentaturi ſumus ex inſtituto. Quicquid ſit, nemo non agnoſcit errorem duplicem arguere in mente imperfectionem, adeoque majorem ea, quæ ignorantiæ debetur; unde etiam jam olim errori ignorantiæ compoſitæ nomen tributum, quod non ſimplicem rei, ſed aliam præterea ignorantiam involvat pro diverſitate caſuum diverſam, veluti ignorantiam modi verum a falſo diſcer-

Digitized by Google

ſcernendi, vel principii veri, cujus loco falſum quis amplexus in errorem incidit. Quodſi quis errorem ab altero admiſſum agnoſcit, aut agnoſcere ſaltem videtur; tum alteri tribuit imperfectionem duplicem, conſequenter ſibi perfectionem eidem reſpondentem. Quamobrem ex cognitione erroris ab altero admiſſi voluptatem percipit. Quoniam vero voluptas non præſupponit judicium verum, ſed ſufficit, ut ei videatur verum, qui voluptate perfunditur; idcirco non eſt, quod miremur, voluptatem percipi ex imputatione errorum, qui nonniſi finguntur per imperitiam imputantis. Qui hebete adhuc ſunt ingenio atque judicio, ut cauſas errorum a viris præſtantibus admiſſorum non perſpiciant, non ſine magna temeritate majus ſibi tribuunt acumen, quam viris merito ſuo celeberrimis, propterea quod ſibi videre videntur, quæ acumen illorum effugiunt; idemque facile perſuadent ſui ſimilibus, hoc eſt, plurimis. Hinc enatus eſt mos virorum bene meritorum famam laceſſendi, imp gnando

ea, quæ ab iis minus recte ſtatui videntur, atque detrahendo aliorum meritis ad famam contendendi, in Germania noſtra proh dolor! adeo frequens, ut tutiſſimum inclareſcendi medium vulgo exiſtimetur. Enimvero hæc voluptas nocua eſt, non modo quod in tædium degenerare valet, ubi quis ſe deluſum ſentit agnoſcens ſe errorem commiſiſſe, cum alteri errorem imputare intendit; verum etiam quod ad actiones iſtiusmodi ſeducat miſellos, ex quibus plurima ipſis procreantur tædia, utut hoc nomine felices exiſtimari debeant, quod mentis acie deſtituti fontem tædiorum non ſemper videant. Voluptatis hujus magnitudo cum hebetudini judicii accepta referri debeat; ea parum afficiuntur, qui majore acumine præditi agnoſcunt, quantum a vero aberrent, qui viris magnis abſurdiſſimas tribuunt opiniones, vel ſibi perſuadent minore acumine præditos eſſe errantes, quam eos, qui ab ipſis commiſſos errores advertunt. Hinc non videas viros magnos publice reprehendere alios, et in eorum erro-

erroribus confutandis tempus conſumere, ſed eos potius emendare, quæ ab aliis minus recte dicta exiſtimant, ac veritatem iis oppoſitam demonſtrare citra injuriam alterius. Eminet inter Gallos *Carteſius*, ſingularibus in Matheſin & philoſophiam meritis inclytus. Nullibi vero is in ſcriptis ſuis nominatim perſtringit alios, ſed ſuam ſententiam explicat, & rationibus confirmat, ab impugnandis aliorum ſententiis maxime alienus. Sane cum *Gisbertus Voëtius*, vir multæ eruditionis, ſed ſcientiæ nullius, philoſopho inſultaret, & more Matæologorum atheiſmi crimen impingeret, quod pravorum affectuum impetu loco rationis uteretur, hominis infruniti conſcientiam appellabat, num in ſcriptis ſuis ullibi alterius famæ inſidias ſtruxerit, vel ulli injurias fecerit, captata gloria ex interitu famæ alterius. In Anglia magnus ille *Newtonus*, qui Matheſin ſublimiorem & cognitionem naturæ mathematicam tot egregiis inventis auxit, ut Geometris omnibus palmam dubiam reddiderit, in ſuis proponendis totus occupatur, de

aliorum erroribus, vel opinionibus parum ſollicitus. Nemo ſane eſt, qui jure conqueri poſſit, ſe in ſcriptis ejus fuiſſe offenſum. Sufficiant duumviri iſti præ ceteris magni, quibus alios addere liceret, ſi ex inſtituto hanc telam pertexeremus. Inprimis autem notatu dignum eſt, ſi quando contingit, virum, cujus extantiora ſunt in orbe erudito merita, in juventute aliquid humani paſſum cenſoria virgula notaſſe alios, eum tamen ad maturiorem ætatem provectum a more iſto receſſiſſe, ac ultro agnoviſſe, quod magnis in ſcientiam meritis non conveniat mos impugnandis aliis tempus conſumendi, qui in tyronibus excuſationem meretur, in provectioribus cenſuram, in nemine laudem. Exemplo nobis eſt *Hugenius*, qui inter Batavos tanquam ſtella primæ magnitudinis fulget, vir nemini de ſcientiis mathematicis præclare merito ſecundus. Cum enim anno 1651. annos vix natus 21. Tractatum de Quadratura Hyperbolæ, Ellipſis & Circuli ex dato portionum gravitatis centro ederet, *Jacobum*

bum Gregorium, Scotum, Geometram ſummum, moleſta cenſura notabat, ita ut is in Exercitationibus Geometricis p. 1. & 2. conquereretur ſe tacite ignorantiæ ac plagii fuiſſe accuſatum, atque ſui defendendi cauſa vir profecto magnus tela in ſe vibrata in adverſarium retorquens ipſum per præcipitantiam defectu acuminis, quo uti poterat, ſiquidem a perſtringendis alienis fuiſſet alienus, ſibi contradicere oſtendebat, atque majorem a tanto viro ingenuitatem ſe expectaſſe confitebatur, ſuo etiam judicio de ipſius Tractatu modo laudato & libro de magnitudine circuli, qui in publicum proſtabat, interpoſito. Enimvero in ſcriptis ceteris Mathematicus ſummus a more iſto, qui juvenili impetui condonandus erat, ſe procul abeſſe abunde comprobavit. Vident nimirum viri magni, qui acumen ſuum nulla in re deſiderari patiuntur, voluptatem, quæ ex impugnandis aliis percipitur, eſſe fallacem, ac non uno nomine nocuam, qua frui non eſt hominis prudentis. Paucis multa dico; quæ etſi

Digitized by Google

non videant acumine non utentes, ſed judicia deproperantes, noſtrum tamen non eſt ea hic explicare diſertius. Ceterum hinc manavit conſuetudo Mathematicorum primi ordinis, quod tanquam pruritus tyronum contemni debeant cenſuræ præcoces hominum, qui in aliis reprehendunt, quod emendare neſciunt. Obiter moneo, mihi in præſente non eſſe negotium cum voluptate, quæ ex imputatione errorum ſtudio nocendi facta percipitur. Etenim tum voluptas non percipitur ex agnitione erroris alieni, ſed ex vindicta, quæ ideo dulcis dici ſolet, & eatenus animum afficit, quatenus quis ſibi conſcius eſt potentiæ alteri nocendi, quam utique ad perfectionem ſui refert, quemadmodum impotentia in imperfectionum numerum referri ſolet, miro ſane veritatis cum errore confuſione.

Voluptas percepta ex philoſophica rerum cognitione.

§. 11. Quoniam unusquisque in ſe ipſo experitur, ſe veritatem diſtincte comprehendere nondum poſſe, utut hiſtoricam rerum notitiam ſibi comparare valeat; hoc ipſo ſibi conſcius eſt, majorem intellectus ſeu omnis

Digitized by Google

omnis facultatis cognoſcitivæ perfectionem requiri ad rerum philoſophicam, quam hiſtoricam cognitionem, cujus utriusque differentiam expoſuimus nuperrime (z). Quamobrem manifeſtum eſt, cur voluptas ex rerum cognitione philoſophica major percipiatur, quam ex hiſtorica. Atque inde ulterius patet, cur ſtudium philoſophiæ verioris, ad quod promovendum omnem impendimus operam, adeo delectet, ut inter animæ delitias reponi debeat; cur ſtudium quoque Matheſeos non minus delectet, ut felices ſeſe reputent, quotquot eidem unice vacare datum eſt. Sive autem Matheſin, ſive philoſophiam methodo philoſophica, quæ nobis dicitur (a), traditam ſpectes, continuus eſt a facilioribus ad difficiliora progreſſus: quæ enim difficilia exiſtimabantur, antequam eorum cognitio eſſet in poteſtate noſtra, ea facilia judicamus, ubi ea optime concipere nobis datum, illa ex adverſo difficilia pronunciantes, quæ nobis ea con-

(z) in Trimeſtri brumali Num. I. §. 4. (a) Diſcurſ. prælim. §. 11. & ſeqq.

concipere conantibus negotium faceſſunt. Hæc ipſa ſane voluptas in cauſa eſt, ut indefeſſum laborem continuemus, donec tandem exoptata veritatis cognitione, cujus dulcedinem præſentimus, beemur. Ceterum cum non deſint plurimi, qui ſibi perſuadent, ſolum Matheſeos ſtudium voluptatem iſtam comitem agnoſcere; reliquam rerum cognitionem aut vili pendunt, aut prorſus contemnunt. Enimvero quoniam abunde docuimus, poſſe quoque philoſophiam ea methodo tradi, ut ejus ſtudium voluptas iſta ſincera continuo comitetur; quod nos diuturna experientia edocti ſumus, & rationibus a priori demonſtrare valemus, idem quoque ſe expertos eſſe datis ad nos litteris teſtati ſunt plures, ſe non minore cum voluptate in lectione philoſophiæ noſtræ Latinæ verſari, quam in Matheſi accurata methodo pertractata. Domeſtica nobis experientia eſt, præſuppoſito philoſophiæ ſyſtemate (b), planam eſſe ad ſyſtematicam ſupe-

(b) Vide, quæ de iſtiusmodi ſyſtemate diximus in Trimeſtri brumali Num. III. §. 11.

Digitized by Google

ſuperiorum, quas dicimus, Facultatum tractationem, & veritates ibidem in ſyſtema redactas, ut ex notionibus rerum mutua earum appareat colligatio, eadem voluptate perfundere animum lectoris habilis, qua Mathemata eundem perfundere ſolent. Quamobrem ubi plures ſocias nobiſcum operas cum in philoſophia noſtra methodo excolenda, tum in veritatibus ſuperiorum Facultatum ordinandis & diſtincte explicandis junxerint; nec hac in re teſtibus deſtituemur, quales nunc in philoſophia habemus. Hoc autem teſtimonio non alio fine utimur, quam ut aliorum ſtudia excitemus, ut & ipſi compotes fiant voluptatis adeo ſinceræ, quæ non exiguam felicitatis humanæ partem conſtituit: ut enim appareat, ex omni omnino ſyſtematica rerum tractatione eandem voluptatem percipi poſſe, qua ſibi Mathematici ſoli frui videntur, rationibus liquido doceri poteſt, quamvis experientia confirmetur, nec clariorem illius ideam adipiſci liceat, quam ubi eandem in nobismetipſis intuemur. Quod enim voluptas, de

qua in præſenti nobis ſermo eſt, ex Matheſeos ſtudio percipiatur, inde eſt, quod, ſuperatis iis, quæ difficilia videbantur, nunc vero facilia habentur, ſemper ſuperſint difficiliora, quæ majorem animi vim requirunt, ut agnoſcantur. Idem autem obtinere cum in omni philoſophia, tum etiam in omni cognitione reliqua, quocunque tandem nomine veniat, & res ipſa docet, & ſine probatione quivis facile largitur. Quodſi tamen rationem deſideres, ne quicquam ſine ea admiſiſſe videaris; ad animum, quæſo, revoces, non alia de cauſa dari in Matheſi continuo difficiliora, quam quod in ſequentibus occurrant, quæ plurium veritatum cognitionem familiarem præſupponunt, & longiori rerum meditandarum ſerie ex antecedentibus colliguntur. Id vero ita ſeſe habet in omni ſyſtemate, ubi in ſequentibus occurrunt, quæ plurium rerum cognitionem nobis familiarem præſupponunt.

Voluptas percepta ex arte inveniendi. §. 12. Quamvis autem quis veritatem ab aliis inventam comprehendere valeat, non tamen ideo eam proprio

prio Marte inveſtigare poteſt. Vnde eodem prorſus, quo ante, modo colligitur, artem inveniendi veritatem eſſe perfectionem majorem, quam ab aliis inventam comprehendendi. Et cum intellectus in eo ſubſiſtat, quod veritatem proprio Marte eruat, nec progredi ulterius poſſit, cum res ipſa progreſſum ulteriorem non ferat; ars inveniendi maximus perfectionis gradus eſt, ad quem ille pertingere valet. Quamobrem ubi quis veritatem vel ſibi vel omnibus latentem proprio Marte detegit; perfectionis illius ſibi conſcius eſt, conſequenter voluptate perfunditur, tanto quidem majore, quanto majoris gradus perfectio iſta ipſi videtur. Enimvero nemo veritatem per ſe detegere valet, niſi qui veritates ab aliis inventas comprehendit, ſibique familiares reddidit; id quod cum inventoribus ignotum eſſe nequeat, magnitudinis quoque perfectionis ſibi conſcii ſunt, quæ arti inveniendi convenit. Quamobrem voluptatis quoque gradus exquiſitus eſt, qua animus inventoris perfunditur. Hæc autem voluptas

tanto

tanto major deprehenditur, quanto plus ſtudii atque laboris in veritate inveſtiganda poſueris, propterea quod majore arte eo in caſu opus eſſe exiſtimatur, quam in alio, ubi minore ſtudio eruitur, quod erat inveniendum. Etſi enim hoc non omni in caſu verum ſit, ex anterioribus tamen ſatis ſuperque conſtat, non opus eſſe judicio vero, ſed ad voluptatis geneſin abunde ſufficere, quod videatur verum. Sane non alia de cauſa accidit, ut multa voluptate fruantur, qui ſibi quid inveniſſe videntur, etſi in errorem inciderint veritatem minime aſſecuti. Non unum nobis ſuppetit exemplum; ſed mittamus eos, qui felices ſibi videntur errore ſuo. Fallax enim eſt felicitas, ubi voluptas cum tædio permutari poteſt.

Gradus hujus voluptatis.

§. 13. Intenditur voluptas inventoris, ſi inventa ſua ad alios refert, qui, cum veritatem ab aliis inventam optime concipiant, & diſtincte aliis explicare atque demonſtrare valeant, in veritate tamen latente proprio Marte eruenda fruſtra deſudant. Etenim potentiam ſuam ad aliorum impotentiam

am referens perfectionis ſuæ ſibi magis conſcius eſt, quam illa collatione neglecta. Quid igitur mirum, ſi majore voluptate perfundatur, quam ubi tantummodo aciem mentis in ſe intendit. Voluptati enim ex attentione ad ſeipſum ortæ jungitur altera, quæ ex gradu ortum trahit, differentiam inter potentiam inventoris & impotentiam alterius, qui inter inventores nondum conſtituitur, exhibente. Gradum iſtum confuſe percipi ſufficit, cum ex confuſa perfectionis perceptione oriatur voluptas, modo ſit intuitiva (b). Duplex vero voluptas ſimplici major eſt. Abutuntur hac voluptate, qui ſe præſtare aliis putantes hos alto ſupercilio contemnunt; utuntur eadem, qui ad gratias Deo omnis boni datori referendas impelluntur, & ad magis ardua & ſublimiora audenda adducuntur, quatenus agnoſcunt diſpoſitiones naturales, quibus alios antecellunt, ſibi a Deo eſſentiarum autore datas, ac divinæ omnino providentiæ deberi, quod non defecerint determinationes ac-

(c) §. 414. Met.

accidentales, ſine quibus nunquam ad habitum deducti fuiſſent. Sed de his ex inſtituto dicemus in philoſophia morali, ex principiis Theologiæ naturalis obſtetricantibus philoſophiæ primæ notionibus, clariſſime demonſtraturi illud Apoſtoli, non eſſe homini quicquam boni, quod non acceperit a Deo, idque ex mera gratia, vi bonitatis ejus ſummæ; non eſſe quicquam, de quo gloriari poſſit, quaſi illud non acceperit, ſed ſibi debeat. Multa hic dici poterant, in quibus inexpectata deprehenditur ſublimitas, quamvis ipſa obvia ſint; ſed præſens inſtituti ratio ea in locum alium differri jubet. Redeamus ab hoc diverticulo, ad quod pietas in Deum nos pertraxit, in viam. Cum ex dictis conſtet, intendi voluptatem inventoris, ubi inventa ſua refert ad alios, qui nihil proprio Marte reperire poſſunt, etſi ab aliis inventa diſtincta notione comprehendant, veritatis vi demonſtrationis prorſus convicti; haud difficulter porro intelligitur, hunc ipſum voluptatis gradum fore majorem, ubi inventa ad alios

inven-

Digitized by Google

inventores referuntur, qui, cum alia inveniri potuerint, huic tamen inveniendo vires ſuas minime ſufficere deprehenderunt. Etenim exinde colligens ſe in arte inveniendi præſtare inventoribus aliis, ſibi cujusdam gradus perfectionis conſcius eſt, vel ſaltem eſſe videtur, qui alias attentionem ejus ſubterfugeret. Fruitur adeo voluptate, quam alias minime ſentiret. Quamobrem nova quædam voluptas alteri ſuperaccedens eam utique efficit majorem. Hoc ipſo pacto autem porro intelligitur, voluptatem adhuc majorem evadere, ubi inventa tua retuleris ad inventores ſummos, qui vel eadem invenere, vel in inveniendis aliis licet felices, hæc tamen invenire minime potuerunt. Etenim in priori caſu te inventoribus ſummis parem eſſe colligis ex eo, quod paria cum ipſis præſtare valeas; in poſteriori te iisdem præſtare videris, quod in poteſtate tua eſſe deprehendas, quæ ipſis impoſſibilia exiſtimas. In utroque igitur caſu gradum quendam perfectionis percipis, ad quem alias non pertingeret men-

mentis tuæ acies; ac in poſteriori præſertim magnitudinem quandam gradui tribuis alias non animadvertendam. Quamobrem & in utroque caſu voluptate quadam frui debes, quam alias minime perciperes, & in caſu quidem poſteriore multo majore, quam in priore. Deſideratur theoria de viribus ad veritatem datam inveſtigandam requiſitis, cum ea ad Artem inveniendi ſpectet hactenus pro dignitate minime excultam. Non mirum itaque videri debet, quod ipſi veritatum ſublimium inventores hic plurimum ceſpitent de facultatibus ſuis ſæpiſſime plus judicantes, quam revera in iis eſt. Ac idcirco nemo in dubium revocaverit, qui ſeria attentione utitur, voluptatem inventorum non ſemper eſſe ſinceram, ſed eos ſæpiſſime felices ſibi apparere errore ſuo. Sola enim voluptas conſtans eſt, quæ a vero judicio mentis ortum trahit; quæ autem præjudiciis debetur, in ſe mutabilis, eſto ita, quod quis nunquam errorem agnoſcat ſuum. Oſtendi jam alibi (d), quantum a vero ab-

(d) §. 857. Met.

Digitized by Google

aberrent, qui ſe *Archimede* ſuperiores eſſe arbitrantur, quod reperire valeant, quæ ab Heroe iſto Mathematico inveniri non poterant, cum multa hodie tyronibus facilia ſint, quæ inſuperabilia deprehendebantur viris in Geometria ſummis tempore *Archimedis*. Sed unicum hoc præjudicium non eſt, quod eradicari debet; dantur omnino plura, quæ olim manifeſta erunt, ubi Artem inveniendi in theoremata ſeu propoſitiones determinatas redegerimus, & inventis in Matheſi præſertim proſtantibus illuſtraverimus. Ita exempli gratia non deſunt inter Geometras, qui ſe aliis præſtare ſibi videntur, ſi aliorum ſolutiones particulares problematum ad univerſalitatem evehunt, in omni hypotheſi poſſibili indeterminate exhibentes, quod a primo inventore determinate propoſitum fuerat in caſu particulari, quaſi vero vires intellectus ſint extenſioni doctrinæ proportionales, atque difficilius ſit, ſolutionem particularem, aut, ſi mavis, ſpecialem revocare ad univerſalem, aut, ſi mavis, generalem imitando artificia

ab aliis in caſu ſimili uſurpata, quam particularem novis artificiis ptoprio ingenio excogitatis invenire. Sed mittamus iſta præjudicia alio loco eradicanda, ut inventorum voluptas pura ac ſincera reddatur.

Diſtincta intellectus cognitio quid huc conferat. §. 14. Si quis diſtincte agnoſcit facultates mentis & habitus, ad quos evehi debent, ut veritati inveniendæ ſint pares; ille perfectionem mentis clarius ac evidentius agnoſcit, quam qui nonniſi confuſam illorum notionem habet. Enimvero evidentior & clarior perfectionis ſuæ agnitio voluptatem efficit majorem ea, quæ ex minus evidente ac obſcuriori reſultat (d). Voluptas adeo in præſente caſu major eſt; immo vera quoque, pura, ſincera atque conſtans. Hinc autem in genere colligitur, quantum diſcriminis interſit inter eum, qui felix errrore ſuo habetur, & inter alterum, qui veritati acceptam refert voluptatem, qua fruitur, ut adeo non ſupervacaneus exiſtimandus ſit labor, qui perfectioni intellectus rite æſtimandæ impenditur. Conducit eo fine

(d) §. 416 Met.

Digitized by Google

ne Pſychologiæ tractatio accurata, in qua intellectus omniumque facultatum mentis diſtincta notio exhibetur. Inprimis vero Ars inveniendi plurimas hic ſibi vindicat partes, in qua facultatum mentis ad veritatem inveſtigandam applicatio docetur. Quodſi ergo animum a præjudiciis liberare volueris, quibus impeditur, ne voluptas, quæ ex veritatis cognitione percipitur, ſit pura & innocua; principiis iſtis pſychologicis & artis inveniendi eum imbuere teneris, ut in dato caſu perfectionem mentis, cujus tibi conſcius eſſe videris, accurate dijudicare ac rite æſtimare poſſis. Intereſt autem, ut voluptatem genuinam a ſpuria ſeparemus, illamque in omni caſu puram efficiamus. Etſi enim voluptas ſpuria eo, quo eadem fruimur, momento genuinæ ac puræ æquipollere videatur; ſi tamen rem curatius ſpectes, nec ei æquipollet, nec quæ inde in utroque caſu conſequuntur, eadem ſunt. Ubi voluptate genuina ac pura perfunditur animus, exinde nova quædam voluptas reſultat, quod, facta inquiſitione,

agnoſcis, eſſe revera mentis tuæ perfectionem, cujus tibi conſcius es, nec eam ſaltem apparere. Etenim non modo perfectionem mentis ſentis, in qua alias attentionem tuam minime defigis, acumen intuens, quo in diſcernendo vero ab eo, quod circa perfectiones mentis apparet, uteris, præſertim ubi ſimul recordaris te deficiente adhuc iſto acumine ſæpius fuiſſe deluſum; verum etiam voluptatem, qua frueris, quatenus perfectionis mentis in veritate cognoſcenda tibi conſcius es, bonum verum eſſe agnoſcis, non epparens, conſequenter de eo gaudes. Eſt autem gaudium voluptatum prædominium inſigne (e), atque ideo animus voluptate fruitur, cujus alias nihil prorſus perciperet. Præterea voluptas, quæ ex perfectione apparente ortum trahit, animum labe quadam inficit, quatenus eum ad perverſos appetitus diſponit, unde actiones pendent parum legitimæ adeoque tædiorum procreatrices. Quibus principia noſtra pſychologica & moralia ſunt

(e) §. 446. Met.

ſunt perſpecta, iis non ignota loquimur, etſi paucis adeo multa comprehendantur, ut ea diſtinctius hic loci explicari nequeant. Manant profeсto ex hoc, non ex fonte alio, abuſus iſti voluptatis ex veritatis cognitione perceptæ, de quibus in ſuperioribus aliquoties diximus. Etenim voluptas, quatenus genuina atque pura, nocua non eſt, ſed appetitum potius eo flectit, quo tendere debet, ita ut ſenſitivus cum rationali ſponte ſua conſentiat. Quodſi ergo nocua evadit, id aliunde provenire nequit niſi ex eo, quod vel tota ſpuria ſit, vel ſaltem ſpurii quid genuinæ admiſceatur. Multa adeo in appetitus determinationem influunt, ut non exiguo acumine opus ſit ad ea pervidenda, ac a ſe invicem diſcernenda, nullusque ſit acuminis uſus, niſi animum theoriis veris habeas imbutum. Noſtrum igitur eſſe judicamus porro inquirere, quo in caſu voluptatem ſpuriam cum genuina, impuram cum pura confundunt, qui voluptatem ex veritatis cognitione percipere ſibi videntur. Cum enim nulla ſit volu-

ptas animi, quæ cum ea comparari poſſit, abſit, ut tanto bono non innocue fruamur, ſed eidem admiſceamus, quod felicitati noſtræ adverſatur!

Voluptatis ſpuriæ genus. §. 15. Si quis cognitionem ſuam ad aliorem opinionem referens, & benignum ſibi de ea judicium promittens, voluptate perfunditur; is non ex veritatis cognitione, ſed ex laude, quam ſperat, voluptatem percipit, quatenus deſiderio ſuo potitur: affectat enim aliquod inter eruditos nomen fama lata contentus, etſi non magna, latitudine cum magnitudine perperam confuſa. Quamobrem ubi eam ſibi acquiſiviſſe videtur rerum cognitionem, qua famam aliquam ſe conſecuturum ſperat, ex eo voluptatem percipit, quod in medium inciderit ſatisfaciendi deſiderio ſuo. Hæc autem voluptas fallax eſt atque nocua. Etenim ab aliorum judicio ſuſpenditur; quod cum in noſtra poteſtate non ſit, multiplici de cauſa ſpem animo conceptam fallere poteſt. Quamobrem ubi contrarium ejus accidit, quod quis ſperaverat; animus perturbatur

tæ-

tædioque afficitur, variis pro varietate circumſtantiarum ſingularium affectibus moleſtis eum ſimul occupantibus. In felicitatis adeo pabulum eſt voluptas iſta, cum ea, quæ ex veritatis cognitione percipitur, ſit non poſtrema pars felicitatis terreſtris, nec unquam in tædium degenerare poſſit. Ponamus vero ſpei reſpondere eventum, cum non infrequens ſit, ut alii famam mereantur, alii habeant; voluptas illa, cum ex famæ repræſentatione naſcatur, vanæ laudis cupidos efficit, qui eadem ſe ineſcari patiuntur. Unde ambitio, invidia erga meliores, contemtus parium vel inferiorum, immo & ſe meliorum, animum invadunt; ex impuro autem hoc fonte actiones profluunt, quæ dedecent eruditos, & damni multiplicis cauſa exiſtunt. Nimis longum foret damna iſta ſigillatim perſtringere, præſertim ſi ea noſtro more ex ipſis notionibus rerum a priori derivare, ac a poſteriori demum confirmare velimus, ne circa ea, quæ experimur, deficiat acumen noſtrum, nec quid deſit certitudinis cognitioni. Neque neceſſarium eſſe videtur, hic

loci iis recenſendis aliquam impendi operam, cum proh dolor! nimis obvia ſint, ut levi attentione agnoſcantur. Sane non alio ex fonte oriuntur tot contentiones inter eruditos, quibus veritas opprimitur, ignorantiæ ac erroribus patrocinantur. Etſi enim in impugnandis aliis frequentes hoc potiſſimum prætextu utantur, quod ſibi hoc datum ſit veritatem ab erroribus repurgatam conſervare; non multo tamen acumine opus eſt, ut veras inſtituti turpis cauſas pervideas. Cur non cogitant de veritate ad praxin morum transferenda, qui adeo ſolliciti ſunt, ne errores noceant honeſtati actionum? Cur ea tantummodo ipſis erronea videntur, quæ ab opinionibus ſuis in diverſa abeunt, quaſi eædem ſint lapis lydius veritatis? Cur non potius ſeſe invitari patiuntur ad opiniones ſuas rigidius examinandum, ubi alios judicio atque acumine pollentes diverſa ſentire intelligunt? Cur in aliis damnant errores, quos in aliis tolerant? Talpa omni cæcior foret, qui anguem ſub herbis latentem non videret. Talia vero metuen-

tuenda non ſunt, ubi voluptas ex cognitione veritatis percipitur pura. Etenim hæc inflammat animum, ut deſiderio exardeſcat alios compotes reddendi ejusdem cognitionis, quo & ipſi parem nobiſcum ſentiant voluptatem. Vnde errores aliorum citra ullius injuriam refelluntur, oppoſitam iisdem ſententiam ad liquidam veritatem perducendo. Non appetitur laus, etſi delectet animum non appetentis ab intelligentibus tributa; nemo contemnitur, nemo publica cenſura notatur, nemo diſſenſum experitur ſibi nocuum. Quemadmodum enim voluptas ſpuria vitiorum; ita ex adverſo pura & genuina virtutis fomes eſt. Ingens abyſſus mens humana! Etſi autem hactenus prorſus inacceſſa credatur, ut adeo ſibimetipſis blandiantur hypocritæ, quaſi prætextu aliis imponere poſſint; non tamen deſperamus, fore, ut, edita Pſychologia noſtra, aliquis pateat in eam aditus. Multo minus autem dubitamus, fore, ut, ſi noſtra ab aliis ulterius excolantur, & continuo ſtudio alia iſtis profundiora in apricum

cum protrahantur, abyſſus illa continuo magis magisque acceſſa fiat, non ſine maxima utilitate generis humani: etenim pudore ſuffundentur hypocritæ, experti, non deeſſe, qui diſſenſum actionis externæ cum interna perſpiciunt, nec virtutis infucatæ ſtudioſi ſcopo ſuo adeo facile excident, nubem pro Junone, quemadmodum nunc fieri aſſolet, amplectentes noxio facultatum mentis in ſe bonarum abuſu, quibus recte uti ſibi videbantur.

Aliud genus voluptatis ſpuriæ. §. 16. Sunt etiam, quorum animus voluptate perfunditur, dum cognitionem ſibi acquiſitam referunt ad lucrum, quod ejus beneficio ſeſe obtenturos ſperant. Etenim voluptas, quæ hic ſentitur, non ex cognitione veritatis proficiſcitur, ſed ex lucro. Quod adeo in caſu præcedente de fama dictum eſt, idem in præſente ad lucrum applicari debet: quemadmodum enim ibidem veritatis cognitio ſpectabatur tanquam medium conſequendi famam, ita hic refertur inter modos acquirendi. Quamobrem quoque nec in præſente caſu, nec in præ-

Digitized by Google

præcedente voluptatis intenſitas a cognitione veritatis manat; ſed ſicuti in præcedente famæ, ita in præſente lucro, & præterea amori laudis in præcedente, pecuniarum vero in præſente proportionatur. Enimvero hanc quoque voluptatem eſſe ſpuriam haud difficulter probatur. Quemadmodum enim famam non ſemper conſequuntur, qui merentur, immo haud raro conviciis proſcienduntur, qui encomiis ornari debebant, ita & ſpes lucri ſæpiſſime fruſtratur. Eventu igitur contrario voluptas in tædium mutatur, quod pœnitentiam comitem habet, affectum valde moleſtum, ſubinde & indignationem erga ſeipſum, qua quis damnat diligentiam cognitioni ſibi comparandæ impenſam. Tantum adeo abeſt, ut eo in caſu veritatis cognitio nos felices reddat, ut potius miſeros faciat, cum e contrario voluptas pura & ſincera ex veritatis cognitione percepta conſtans ſit, nec in tædium unquam degeneret. Qui cognitioni veritatis pretium ex lucro vel fama ſtatunt, de certitudine cognitionis

tionis parum ſunt ſolliciti. Quare cum cognitio rerum ſolida majorem diligentiam requirat, quam ſuperficiaria; illam non modo contemnunt, ſed eos etiam odio proſequuntur, quibus illa curæ cordique eſt. Eadem de cauſa hominibus iſtis perinde eſt, ſive veritatem profiteantur, ſive errores, atque ideo accidit, ut oppoſitæ ſententiæ eodem fervore defendantur, & nunc periculoſiſſimæ pronuncientur, nunc pro utiliſſimis venditentur, prout unusquisque hanc vel alteram in juventute fuerit edoctus. Per eos igitur non ſtat, ut diſciplinæ ad majorem perfectionis gradum evehantur, & in cognitione veritatis ulteriores fiant progreſſus. Ita ſpuria voluptas impedit, quod genuina & pura promovet, plurimumque intereſt, aurum adulterinum a vero diſtingui.

Dubium quoddam expenditur. §. 17. Voluptatem, quæ ex cognitione veritatis percipitur, nunquam degenerare in tædium, experientiæ contrarium videtur. Ponamus enim Titium, qui ex ſtudiis litterariis vitam tolerare debet, totum fuiſſe in Mathe-

Matheſi ſublimiori, & in ea tantos feciſſe progreſſus, ut inter inventores locum mereatur. Nullum eſt dubium, quin ex Matheſi plurimum voluptatis perceperit, quæ utique in cauſa fuit, ut neglectis ſtudiis aliis tempus omne in illa ſola conſumſerit. Enimvero ubi poſtea experitur, Matheſin, ſublimiorem præſertim, cui totum ſe dedit, non eſſe de pane lucrando, videtque alios, qui in alio ſtudiorum genere vitam academicam conſumſerunt, & dignitatibus, & divitiis eminere; ipſum inſtituti ſui tædet, pœnitentia animum haud parum conturbante. Hic tædium ex voluptate enaſci videtur, quam quis ex cognitione veritatis perceperat. Enimvero non multa attentione opus eſt, ut agnoſcas, tædium iſtud non ex cognitione veritatis conſequi, ſed ex imprudentia, qua quis intempeſtivo Matheſeos amore doctrinas olim ſibi profuturas diſcere neglexit, quod non parem inde perciperet voluptatem. Imprudentiæ enim ſuæ ſibi conſcius agnoſcit, ſe ſua culpa in ea incidiſſe fata, quæ animum angunt.

Quam-

Quamobrem eidem dans pænas ſibi indignatur, quod parum provide futura perſpexerit, ſit ita, quod per imprudentiam Matheſin accuſet; ut inepta excuſatione dolorem ſuum lenire tentet, quemadmodum vulgo fieri ſolet. Quamvis iratus Matheſin damnat, alio tamen tempore ad eandem rediens & veritates profundas eruens voluptate eadem perfunditur, quam antea tanti fecerat. Eodem modo ſeſe res habet, ſi Matheſi ſubſtituas aliud ſtudiorum genus, quo quis delectatus neglexit alia ſibi magis profutura. Quodſi quis non amore alicujus ſtudii ductus, ſed aliis de cauſis totum ſeſe eidem dedit; ſpem fallacem expertus tædio corripitur, non quod voluptas ex cognitione veritatis percepta in ipſum degeneret, ſed quod imperfectionis ſuæ ſibi conſcius eſt, dum conſilia ſua irrita fuiſſe, ſeque ſpe vana deluſum vel invitus agnoſcere tenetur. Nec alia eſt ratio in caſibus aliis, ubi incautis voluptas ex cognitione veritatis profecta tædia procreare videtur.

Voluptas ex co-

§. 18. Quemadmodum vero impru-

dentia

dentia intempeſtivo ſcientiæ amori junɕta tædium procreat, & hoc ipſo voluptatem ex veritatis cognitione oriundam contaminat; ita ex adverſo eandem non modo intemeratam conſervant, verum prorſus adaugent, qui prudentia uſi in illis potiſſimum veritatibus cognoſcendis deſudant, quas ſibi olim profuturas certo certius agnoſcunt. Suadet hanc prudentiæ partem philoſophia moralis, animum illarum veritatum cognitione inprimis imbuendum eſſe graviter inculcans, quæ ad futurum vitæ genus conducunt, ceteris nonniſi eo fine deguſtatis, quatenus vel ad has viam planiorem ſternunt, vel a neglectu earundem ſejunguntur. Non minor virtus mentis perfectio eſt, quam ſcientia & eruditio, etſi vulgo non videatur. Quamobrem virtutis adeo utilis ſibi conſcius non minus perfectionem mentis ſuæ ſentit, quam ad ſcientiam, qua imbutus eſt animus, attentus. Cum adeo ex hac conſcientia voluptas oriatur; hæc alteri juncta, quæ ex cognitione veritatis proficiſcitur, eandem utique augere

gnitione veritatis orta quomodo augeatur.

gere debet. Et ſic demum clariſſime perſpicitur, non poſſe tribui voluptati ex cognitione veritatis oriundæ, quod paulo ante (§. 16.) tribuimus imprudentiæ. Illa enim indifferens prorſus eſt ad alias voluptates aliaque tædia, quæ aliis de cauſis excitantur. Vt itaque vel voluptas alia ſuperaccedat, vel tædium eidem ſocietur; hominis eſt eadem vel per prudentiam, vel per imprudentiam fruentis. Vidimus nimirum jam in ſuperioribus, voluptate in ſe innocua vel uti homines ad virtutem, vel ad vitia abuti. Prudens futura proſpiciat, ne rebus ſuis male conſulat, ut tollatur abuſus, retineatur uſus. Ex dictis colligitur, quod cum ſit maximi momenti, probe notari velim, voluptati ex cognitione veritatis percipiendæ jungendam continuo eſſe alteram, quæ ex virtute proficiſcitur. Patet nimirum, ex virtute non minus percipi voluptatem, quam ex cognitione veritatis, ut adeo a vero aberraverit ſupra laudatus de *Tſchirnhauſen*, ſi voluptatem ex virtutis infucatæ conſcientia ortam inter eas retulit,

quæ

Digitized by Google

quas ex acquiſitione veritatis derivatæ non æquiparandas eſſe judicat. Oſtendemus alias, utramque eſſe eandem, ubi pura fuerit & ſincera. Quicquid de una a nobis dictum eſt, idem quoque ad alteram facile applicatur. Immo hæc altera novum quoque procreat incrementum, quo illa alias careret, praeterquam quod ipſa ſui acceſſione eandem augeat. Veritatis enim cognitio multiplici modo in virtutem influit, ita ut meminerim me jam olim advertiſſe, Matheſeos ſtudio poſſe perfici voluntatem & ſublimioris gradus virtutis reddi capacem. Quamobrem ubi quis ſentit, quantum ſibi profuerit ad virtutem, quæ adeo animum delectat, veritatis cognitio & acquiſita rerum ſublimium tractatione intellectus perfectio; ex veritatis acquiſitione novam quandam voluptatem percipit, quæ tanto quidem major eſt, quanto intenſius ex virtutis poſſeſſione oritur gaudium. Habitus non minus voluntatis, quam intellectus mentis perfectiones ſunt; quamobrem ratio prorſus nulla eſt, cur non ex his perinde ac illis ſincera

animi voluptas ortum trahere debeat. Conjungent autem eruditi voluptatem utramque, quamprium eam, quæ habitibus intellectus debetur, effecerint puram.

Cur & quando veritates utiles magis delectent ſterilibus.

§. 19. Quodſi voluptatem ex cognitione veritatis reſultantem effeceris puram, veritatum utilium cognitio magis delectat, quam ſterilium, aut minimum talium, quarum nulla nobis apparet utilitas. Qui enim ambitioni deditі & vanæ laudis cupidi ſunt, theorias ad oſtentationem ingenii compoſitas adamant, & quæ repertu faciliora videntur, etſi maxime utilia ſint, præ illis contemnunt. Illud eos vehementer delectat, quod ſibi inter alios eminere videantur, atque adeo tantam ex veritatis acquiſitione percipiunt voluptatem, quatenus eam tanquam medium famæ ac laudis conſequendæ intuentur. Atque ea de cauſa animus ægritudine affligitur, ubi ſpe ſua ſe excidere experiuntur, & continuis querelis animum ſuum, aliorum aures defatigant, quod ipſis merita laus non rependatur. Quo ipſo intelligitur, nocuam eſſe voluptatem,

quæ

Digitized by Google

quæ tam exquiſita credebatur, ſatisque proditur, eam ex illimpido fonte quidpiam trahere. Enivero ubi animum habueris bene compoſitum, ut imprudens nihil facias, quod ad finem ultimum non referas, ne actionum liberarum aliquis deprehendatur diſſenſus; nx ſtudio inſerviendi aliis, ardore gloriam Numinis illuſtrandi, & continuo conatu te tuumque ſtatum perficiendi, voluptas maxime ſincera percipitur, de qua alias ex inſtituto dicemus. Quamobrem ea quoque ſedet animo ſententia, non gratis cognoſci veritatem, ſed ut eadem utaris ad finem tibi propoſitum proſequendum. Veritati adeo pretium ſtatuitur ex utilitate, etſi non contemnantur theoriæ, quarum nulla utilitas adhuc apparet, propterea quod tum demum ea ſeſe prodat, quando veritatum applicandarum occaſio offertur. Sane *Iſaacus Newtonus*, vir in theoriis ſublimibus ſummus, illud judicat melius, quod utilius, et in Geometria ideo præfert, quod problema minori labore ſolvit (f).

(f) Vid. Commercium epiſtolicum Collinſii p. m. 77.

Experieris etiam in juventute magis placere, quæ ſublimia & paradoxa videntur, ubi animus a vanitate nondum expurgatus; aſt ubi ad ætatem magis provectam perveneris, & vanitatis rerum humanarum multiplici ac diuturna experientia tandem convictus fueris, utilitati cedet ſublimitas & profunditas ab illa ſejuncta. Nimirum major mentis perfectio eſt & acquiſitu multo difficilior ſincerus ac infucatus humani generis amor & felicitatis ejusdem promovendæ potentia, quam ulla ad veritatis cognitionem requiſita intellectus perfectio; id quod clariſſimis rationibus evincemus, ubi voluptatem ex virtute percipiendam paulo propius intuebimur. Illius adeo perfectionis ſibi conſcius voluptate eidem conveniente perfunditur. Probe autem notandum eſt, ex conſenſu æſtimari perfectionem omnem (g). Perfectio itaque mentis non modo requirit habitus intellectus, verum etiam voluntatis, ex quibus conjunctis genuinus illorum uſus reſultat, alias facillime in abuſum

(g) §. 503. Ontol.

ſum trahendus. Quamdiu itaque ſeria attentione uſus ſolam intellectus perfectionem animadvertis, in voluntate autem nullius tibi conſcius es; mentem imperfectam eſſe ſentis; quo ipſo ſenſu voluptas prioris intuitu enata deprimitur. Enivero ubi veritatem præclara intellectus vi acquiſitam ad felicitatem generis humani & actionum liberarum directionem retuleris, totius mentis perfectionis tibi conſcius es, ſimulque de medio felicitatis generis humani promovendæ & actiones liberatas prudenter dirigendi gaudes. Ecquis ergo dubitet, voluptatem ſic pericipi & majorem & ſtabiliorem. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, theorias ſublimes, quarum vulgo nullus exiſtimatur uſus, a nobis contemni! Ipſimet enim ad abſtruſas in Matheſi veritates viam planam ſternimus, ut pluribus ad eas accedere liceat, atque ideo in nova (cujus nunc pars prima prodit) Elementorum Matheſeos editione ad hunc finem conducentia plura addidimus. Immo nec in philoſophia a theoriis abſtinemus, quæ plurimorum

judicio inter ſteriles nugas per præcipitantiam communem referuntur. *Id* tamen agimus, ut eorum aliquem uſum commonſtremus, quem ipſimet experti ſumus, non modo in aliis deſtonſtrandis, quorum uſum manifeſtum nemo negare auſit, ſed & in mentis facultatibus perficiendis, qua de re parum adhuc cogitarunt viri eruditi. Juſtum rebus ſtatuimus pretium citra ullius injuriam, nihil magis in voto habentes, quam ut genus humanum utatur theſauris veritatum, ne deſtituatur felicitate, qua frui datur.

Cur veritas examinibus comprobata placeat.

§. 20. Ceterum in hac tractatione merito reddenda quoque ratio eſt, cur delectemur, veritate examinibus comprobata. Habemus in Arithmetica algorithmi examina, quibus in Geometria reſpondent figurarum conſtructiones theorematum & problematum veritatem in caſibus ſingularibus loquentes. In Aſtronomia examinum vicem ſubeunt obſervationes, quibus theoriæ atque calculorum veritas confirmatur. In Matheſi mixta, veluti Optica, Mechanica, Statica, Hydroſtatica,

ſtatica, Hydraulica, examina præbent experimenta, quæ idem munus per Phyſicam univerſam obtinuerunt. In Theologia naturali Teleologia examina præbet, quatenus ex finium contemplatione eruuntur ea, quorum ratio ex attributis divinis redditur. In moralibus & politicis caſus & exempla examinum vicem ſuſtinent. Et nobis ideo in more poſitum eſt ex notionibus a priori deducta a poſteriori comprobare, ut ſua ſecum ferant examina, ſicque certiori tramite in cognitione veritatis progrediamur. Conſtat tyrones delectari, quando Arithmeticam vel Geometriam addiſcentes per examina certi redduntur, ſe regulas & theoremata rite intellexiſſe, & in dato caſu applicaſſe. Immo ubi calculi fuerint prolixiores, ut impatienter finem expectemus, ſicque non dubio omni careamus, annon ex defectu attentionis error quidam irrepſerit; animus utique delectatur, ſi facto examine deprehendimus nullum omnino in calculo commiſſum fuiſſe errorem. Ponamus incidiſſe aliquem præter opinionem in calculum ad-

modum prolixum ſatisque perplexum, qualis eſt, quem pro rectificatione Ellipſeos indefinita ideo evolutum exhibuimus (h), ut tyronibus ipſo opere inſinuaremus artificia, quibus in calculis prolixis & perplexis attentio conſervatur, confuſio erroris genetrix evitatur, & tædium omne procul abigitur, difficultas, quæ deterret, penitus evaneſcit, voluptas autem ex ipſo progreſſu percipitur, quæ ad eum continuandum continuo ſtimulat. Quodſi formula pro arcu obtenta ſupponat diametros fieri æquales, ut ellipſis in circulum degeneret; non ſine multa voluptate videt illam degenerare in aliam, quam minori multo labore absque nonnullis artificiis, quibus hic utendum fuit, & vix ſatis fidebat talium nondum expertus, pro arcu circuli jam eruit, hoc ipſo examine edoctus, ſe in formula pro ellipſi inveſtiganda a veritate minime aberraſſe. Idem experiuntur, qui in Matheſi mixta, Theologia naturali, Phyſica & omni philoſophia reliqua ad examina deſcen-

(h) §. 127. Analyſ. infinit.

ſcendunt: neque enim ipſe loquor niſi multiplici vice experta. Ratio vero, cur delectet veritatis per examina facta comprobatio, non e longinquo petenda eſt, etſi in omni caſu non eadem prorſus eſſe videatur, ſi a generali ad ſpeciales deſcenderis, ut adeo diverſi quoque deprehendantur voluptatis hujus gradus. In genere utique conſtat, nos conſcios eſſe perfectionis intellectus noſtri, aut, ſi mavis, mentis, cum multiplices ejus facultates ſæpiſſime in hoc caſu concurrant, ubi inſtitutis examinibus deprehendimus nos veritatem quæſitam obtinuiſſe; ſed in caſu ſpeciali hujus vel illius perfectionis mentis, aut plurium ſimul nobis conſcii ſumus, quibus ad veritatem perveſtigandam aut cognoſcendam opus fuiſſe intelligimus. Habes igitur rationem ſufficientem, cur in caſu omni procreari debeat voluptas, in caſu autem ſpeciali hic potiſſimum oriatur voluptatis gradus. Accedit, quod ſæpiſſime veritatem acquiſitam tamquam bonum quoddam conſideremus. Quamobrem cum per examina certi reddamur,

mur, nos jam bonum iſtud poſſidere; animus gaudio perfunditur, quo voluptas iſta mirifice augetur. Hæc autem ipſa voluptas ſtimulus eſt, ut continuo magis magisque ardua moliamur: neque enim fruſtra naturæ Autor menti dedit, ut voluptatis particeps fieri poſſit, ſed ut ea ſit ſtimulus ad ſe continuo magis magisque perficiendum. Quamobrem non invita notione juris naturalis, quam alibi explicatam dedimus (i), id nobis incumbit, ut voluptate iſta utamur tanquam ſtimulo ad præclaras actiones edendas. Neque vero hic alia re opus eſt, quam ut ad operationes mentis noſtræ attenti, quas rite ſeſe habuiſſe examina loquntur, ſcrutemur, ex quo fonte manaverint: ita enim orietur voluptas, quæ animum ad ulteriora ſtimulare apta eſt. Plurimum omnino hic adjumenti affert Pſychologia & philoſophia moralis probe exculta: illa enim docet, quænam ſint mentis facultates, & quænam in ea deprehendantur diſpoſitiones naturales ad

(i) Vide trimeſtre brumale Num. II.

Digitized by Google

ad habitum evehendæ; hæc autem modum oſtendit, quo ad habitum evehi poſſint, ut promptus earum evadat & expeditus in operationibus mentis uſus. Ceterum huic voluptati ex accidente in caſu ſpeciali jungi poſſe alias & res ipſa loquitur, modo attentionem afferre poſſis ſufficientem, & circumſpecta obſervatio confirmat. Ita ſi cui tempus ſit valde pretioſum; is etiam hoc nomine gaudebit, quod examinibus certior redditur illud a ſe non fuiſſe fruſtra conſumtum, ſed utiliter locatum. Quoniam veritates non modo demonſtrationibus evidentibus gaudent, verum etiam examina ſua ſecum ferunt, ita ut & veritatis convincaris, & in convictione confirmeris, ſatis jam evidens eſt, cur eæ tantopere delectent. Similiter quia Aſtronomi ex obſervationibus ſucceſſus certi redduntur, Aſtronomia quoque tanto magis delectat, quanto veritates a nobis remotiores ſunt, ut eas detegi poſſe deſperandum videatur. Quamobrem vitio verti non poteſt *Keplero*, viro ſummo, quod gau-

gaudio diffuſo abreptus in Dedicatione Commentariorum de Motibus ſtellæ Martis ad *Rudolphum* II. Romanorum Imperatorem tantopere triumphet de Marte a ſe devicto, qui omnium hactenus molimina eluſerat, & opus profundiſſimum ipſe admiratus (k) in hæc eruperit verba: *Ipſe ego, qui Mathematicus audio, hoc meum opus relegens fatiſco viribus cerebri, dum ex figuris ad mentem revoco ſenſus demonſtrationum, quos a mente in figuras & textum ipſe ego primitus induxeram.* Cum etiam in Phyſica experimentali experimenta ſint examina, quibus & doctrinarum veritas confirmatur, & ſucceſſus comprobatur; eadem quoque hac ratione pertractata mirifice delectat, quod rerum naturalium cognitio, non una de cauſa magis delectet, ceteris paribus, quam nudorum numerorum atque figurarum contemplatio. Standum hic eſt judicio illorum, qui utramque voluptatem ſunt experti, ubi rationes a priori ex jactis antea prin-

(k) In Introductione ad Comment. de ſtella Martis initio.

Digitized by Google

principiis elicere nolueris, vel non potueris. Cumque mentis noſtræ cognitio ejusque perfectio, ad quam morales imprimis virtutes ſive habitus voluntatis referuntur, propius nos tangant, quam veritates aliæ; dici quoque vix poteſt, quantopere Pſychologia & philoſophia moralis delectet, ubi ſecum fert examina ſua. Atque ideo nobis propoſitum eſt, in omni diſciplinarum genere non modo ex notionibus a priori veritatem propoſitionum demonſtrare, verum etiam a poſteriori eadem confirmare, ut ubivis veritas ſua ſecum examina ferat; immo hoc quoque nomine urgemus, ut quilibet eas veritates, quarum experimentum innocuum in ſe ipſo capi poteſt, in ſemetipſo experiatur. Nihil enim magis in votis habemus, quam ut voluptatis adeo exquiſitæ ac humano generi adeo proficuæ omnes participes fiant, certiſſime perſuaſi, multiplicem inde in genus humanum redundaturam utilitatem, quam expreſſius hic eloqui non datur.

§. 21. Poſtquam abunde docuimus, *Cur ignorantia &* quo-

erroris ſui ſibi conſcius tædio afficiatur.

quomodo ex veritatis cognitione procreetur voluptas, et ſpuriam a ſincera ſeparavimus, ut ex his ſeminibus lætam ſegetem meſſemque largam ſperare poſſit, qui ea agro fertili commiſerit; haud difficili labore doceri porro poterit, cur ignorantiæ propriique erroris ſibi conſcii afficiantur tædio, immo prorſus contriſtentur. Opponimus hic tædium animi voluptati, cum qua hactenus nobis fuit negotium. Quamobrem ad notionem voluptatis *Carteſianam* (§. 2.) attenti extemplo perſpiciunt, illud tædium appellari, quod unusquisque in ſe experitur, quando imperfectionis ſuæ ſibi conſcius eſt. Iſtiusmodi autem tædiorum prædominium inſigne triſtitiæ nomine nobis venit (l). Ignorantiam eſſe imperfectionem mentis nemo ignorat; errorem eandem redarguere haud invitus fatetur unusquisque. Suæ igitur ignorantiæ, ſui erroris ſibi conſcius imperfectionis ſuæ ſibi conſcius eſt. Ex ignorantia adeo ſua ſuoque errore tædium percipere debet, immo contriſtari, ubi

(l) §. 448. Met.

Digitized by Google

ubi tædium multiplex una animum occupaverit. Ex his intelligitur, cur initio tyronibus tædioſum ſit diſciplinarum ſtudium, quod provectiores adeo delectat. Sane qui ad elementa Geometriæ animum primum appellunt, iis Geometriæ ſtudium admodum moleſtum eſt, ita ut plurimi tædiis inde reſultantibus ſuperandis non ſint pares, præſertim ubi in doctorem inciderint, qui eadem ſublevare non novit, aut methodi docendæ Matheſeos non ſatis peritus eadem prorſus adaugere ſolet. Cum enim notiones, quibus claritas terminorum nititur, non experiantur familiares, ac procul ab iſta familiaritate adhuc abſint propoſitiones anteriores, quibus tanquam principiis utimur in demonſtrandis ſequentibus; perpetua animis ipſorum obverſatur obſcuritas, ut non intelligentes, quod vel legunt, vel audiunt, ignorantiæ ſuæ conſtanter ſibi conſcii exiſtant, a qua conſcientia tædium arceri nequit, cum confuſa illa perceptio, cui tædii a nobis tribuitur nomen, ipſam illam ignorantiæ conſcientiam involvat; id quod

quod in Pſychologia clariſſime oſtenſuri ſumus. Similiter tyro in limine ſtudii mathematici demonſtrationum formam animo comprehenſam minime habet, ac præterea animus eidem eſt demonſtrationibus parum adſuetus. Quamobrem denuo ignorantiæ ſuæ ac defectus facultatum mentis ſibi continuo conſcius eſt. Anne igitur mirum videri debet, quod Mathematum tractatio evadat valde tædioſa, præſertim ubi in doctorem inciderit, qui demonſtrationes rite evolvere, evolutas ordinare, ordinatas ipſis oculis conſpiciendas exhibere non didicit, ut demonſtratio ab ipſo propoſita delectet, ac memoria voluptatis tædia in animo repetentis ſuborta ſufflaminet, ne impatientiam gignant, atque ardorem majore attentione utendi excitet, donec difficultatibus patienter ſuperatis ſucceſſum tandem lætus experiatur. Augetur nimirum tædium in tyrone, ubi eam, quæ in docente eſt, imperfectionem ſibi tribuit, nimia in laudem falſo ipſi tributam, vel munus, quod virum ornat, fiducia. Non minus patet

ratio,

ratio, cur in Matheſi multa cum diligentia, ſumma cum voluptate verſati cetera omnia faſtidiant. Etenim cum luce fruantur in Matheſi, ac felices experiantur progreſſus, in ceteris autem diſciplinis perpetuas offendant tenebras, ita ut vix latum unguem progreſſi in difficultates inextricabiles incidant, progreſſum ulteriorem remorantes; non ſibi tribuunt vitium, ſed diſciplinæ nondum ita excultæ, ut eidem operam navans continuo de nova veritatis acquiſitione gaudeat atque lætetur. Ea imprimis ratio eſt, quæ philoſophiam, Metaphyſicam præſertim Scholaſticam, in contemtum adduxit, poſtquam *Carteſius* ipſumque ſecuti alii notiones obſcuras & terminos inanes ex philoſophia profligaverant. Quamobrem utut inficias non iverim, fore tempus, quo philoſophia exculta ſubtilitatibus geometricis & calculorum tricis non tantum ſtatuetur pretium, quantum hodie ſtatui ſolet, ubi figuræ ac numeri unicum fere videntur objectum, circa quod ars inveniendi exerceri poteſt utiliter; numquam tamen erit

Digitized by Google

tempus, quo Geometria ſublimior cum Metaphyſica ſcholaſticorum jure comparabitur ac contemnetur, cum cognitio naturæ mathematica ſummus cognitionis humanæ gradus ſit, utilitate ſua nunquam defraudandus, ad eum tamen ſine profundis theoriis Geometriæ ſublimioris aditus non detur. Opera igitur danda erit, ut a philoſophis methodo philoſophica, quam alibi (m) delineavimus, philoſophantibus detegantur hypotheſes naturæ, ad quas non ſine utilitate generis humani figuras & calculos ſuos aptent Geometræ, nunc artis inveniendi exercendæ gratia hypotheſes quaslibet memoriæ obvias amplectentes. Quæ initium ſtudii mathematici tædiis plenum exhibet ratio, ea quoque palam facit, cur Geometræ a philoſophia & ſtudiis aliis abhorreant. Etenim in Geometria ex felici, quem experiuntur, progreſſu conſcii ſibi ſunt perfectionis intellectus, adeoque nova continuo voluptate perfunduntur; in philoſophia vero

(m) in *Diſcurſ. præ̈limin. de philoſophia* 115. §. & ſeqq.

Digitized by Google

vero & ſtudiis aliis ubique hærent, cum non offendant lumen acumini ſuo proportionatum, ſed obſcura deprehendant, quæ tantæ claritatis vulgo prædicantur; inevidentia & incerta, quæ tam exacte demonſtrata feruntur; conſequenter ignorantiæ ſuæ ac impotentiæ veritatem perſpiciendi continuo ſibi conſcii tædio continuo afficiuntur. Cum adeo homini naturale ſit appetere ea, ex quibus voluptas percipitur; averſari autem iſta, ex quibus tædium in ipſum redundat: nihil accidit ſingulare, ubi Geometra Matheſi theoretica mirifice delectatur, a philoſophia autem & ſtudiis aliis animum habet prorſus alienum. Quamobrem ubi philoſophia ad notiones diſtinctas & evidentes reducitur, Geometria ab eadem non amplius animum alienare valet; quemadmodum & nos quotidie experimur, & ratio ipſa loquitur.

§. 22. Equidem nobis dicendum quoque erat de voluptate, quæ ex veritatibus revelatis percipitur; ſed cum ea paucis tradi non poſſint, præſens autem tractatio in majorem *Epilogus.*

jam excreverit molem, quam inſtitutum præſens ferre videbatur, in trimeſtre autumnale eadem rejecimus. Argumenti enim tam præclari dignitas meretur, ut notiones penitus evolutæ claritate ſua percellant animos lectoris, ne quis tanti jacturam faciat boni. Plerique homines proh dolor! voluptatibus nocuis indulgent, mentis prorſus immemores, quaſi corpus nobis datum ſit non alio fine, quam ut eſſet inſtrumentum voluptatis. Qui errorem hunc advertunt, & ad mentem redeunt, non ſatis ſibi cavent, ne voluptas inquinetur, & ne ea deſtituantur, quam inprimis appeti conveniebat. Conſultum igitur judicamus, ut, diſcuſſis ignorantiæ teneberis, facem præferamus errantibus, ne lateat via, qua ſit eundum.

II.

De notione Subſtantialium, Naturalium & Accidentalium feudi.

§. 1.

Inſtitutum Autoris. Qui notionibus claris ac diſtinctis adſueti ſunt, in ipſo limine Juris

ris feudalis offenduntur, ubi eſſentiam & naturam feudi explicaturi Doctores ſubſtantialia, naturalia & accidentalia a ſe invicem diſtinguunt, cum in hac diſtinctione majorem lucem deſiderent, ut appareat, quomodo ex notionibus illorum conſequantur, quæ de iis prædicari ſolent. Quamobrem cum philoſophiam noſtram eam judicemus, quæ diſpellendis tenebris in omni cognitione humana inſervit, ipſisque Facultatibus, quas vocant, ſuperioribus lucem affundit, quid in notionibus ſubſtantialium, naturalium & accidentalium feudi dilucidand s illa valeat, ut experiremur, non inconſultum duximus. In his autem notionibus evolvendis ingrediemur eandem viam, quam ingreſſi ſumus, cum in eas inquireremus, ut exemplo aliis præeamus, qui in philoſophia noſtra verſati notionibus directricibus uti conſtituerunt ad alia perveſtiganda. Neque enim nobis in his Horis ſubſecivis aliud propoſitum eſt, quam ut uſum philoſophiæ exemplis doceamus; quo ipſo nos obtenturos eſſe confidimus,

 ut

ut alii ejus utilitatem perſpiciant, nec eam tamquam rem inanem contemnant, qua carere poſſit genus humanum, Facultatibus, quas vocant, ſuperioribus felicitati generis humani promovendæ ſolis ſufficientibus.

Notiones directrices in explicanda differentia ſubſtantialium, naturalium & accidentalium feudi

§. 2. Feudum in numero eorum entium eſt, quæ moralium nomine indigitari ſolent, & certam entium ſpeciem conſtituunt. Nullum adeo dubium ſupereſt, quin etiam ad feudum applicari poſſint, quæ in notione entis in genere continentur. Quamobrem notio directrix, qua hic utendum, eſt notio entis in genere, quam (n) ex ipſis rebus derivatam perſpicue evolvimus, ut & ejus applicatio nullam habeat difficultatem, modo recordatus fueris methodi applicandarum notionum generalium ad caſus ſpeciales, alibi (o) a nobis ſatis diſtincte expoſitæ. Feudum in ſpecies dividunt Doctores. Etſi enim inter diviſiones feudi occurrant aliquæ, quarum fundamentum extrinſecum eſſe videtur, veluti cum feudum

(n) §. 142 & ſeqq. Ontol. (o) §. 1218 & ſeqq. Log.

Digitized by Google

dum dividitur in novum, vel vetus, quorum iſtud vaſallus ipſemet ſibi acquiſivit, hoc vero per ſucceſſionem ad ipſum delatum fuit; attamen dantur etiam aliæ, quarum fundamentum intrinſecum eſt, veluti cum feudum dividitur in proprium & improprium; quam diviſionem paulo poſt ex inſtituto examinabimus. Eſt igitur feudum genus quoddam, quod in plures ſpecies dividi non repugnat. Quamobrem notiones directrices hic quoque erunt notiones generis & ſpecierum, quas notioni entis in genere conſonas tradidimus (p). Has igitur notiones directrices ad diſtincte explicandam differentiam inter ſubſtantialia, naturalia & accidentalia translaturus ſatisfaciam, ut opinor, deſiderio illorum, qui, ut exemplo quodam illuſtrarem, quæ de notionibus directricibus nuper diximus (q), a me patierunt. Hinc autem appariturum arbitror, quod in ipſo etiam jure, perinde ac in Matheſi, ex notionibus jam nobis familiaribus continuo

(p) §. 247. & ſeqq. Ontol.

(q) in Trimeſtri vernali Num. IV.

tinuo conſecutionis filo concluſiones colligere detur, donec tandem in eam incidamus, quam intenderamus. Quo ipſo ſimul confirmabitur regularum noſtrarum logicarum rectitudo, neque amplius quis dubitabit, in mathemathicis demonſtrationibus & reſolutionibus problematum analyticis, ſedulo verſatum eum ſibi comparare meditandi habitum, quo in omni cognitionis genere utiliter uti valet.

Notio ſubſtantialium feudi explicata. §. 3 Si ens quoddam concipiendum, primo loco in eo ponenda ſunt, quæ ſibi mutuo non repugnant, quæ tamen non per alia determinantur, nec quorum unum determinatur per alterum (r). Quæritur adeo primo loco, quænam ea ſint, quæ ad feudum conſtituendum ſumi debent. Quoniam feudum eſt jus in re, in qua dominium plenum quis non habet; igitur in aſſumendis iis, quæ primo loco ad notionem entis conſtituendam aſſumenda ſunt, non regnat arbitrium noſtrum, etſi entia moralia arbitraria eſſe videantur, ſed quæ ad feudum coucurrunt, ita determinan-

(r) §. 142. Ontol.

minanda ſunt, ut ipſum a ceteris juribus ſimilibus diſtinguant, qualia ſunt uſusfructus & emphyteuſis. Quodſi in genere jus in re aliena conſtituendum in ſuas ſpecies dividere juberemur, vi principiorum generalium de generibus & ſpeciebus rerum non alia re opus eſſet, quam ut ad ea attendentes, quæ per ſe invicem minime determinantur, atque eſſentialium nomine nobis veniunt, rationem eorum haberemus, quæ manentibus eſſentialibus ceteris iisdem diverſimode determinari poſſunt (s). Etenim ea determinantes tot modis, quot fieri poterat, inde deduceremus diverſas illas jurium in re alterius ſpecies (t). Nimirum cum dominium duo involvat, proprietatem & uſumfructum, hoc eſt, jus diſponendi de ipſa ſubſtantia rei & de ejus uſu ac fructu; facile apparet, tot hic eſſe ſpecies condendas, ſi omnia exhaurire velis, quot modis quis de proprietate & uſufructu rei ſuæ diſponere poteſt in gratiam alterius. Species has perſequentes incideremus quoque in eam,

(s) §. 255. Ontol. (t) §. 712 Log.

quæ feudi nomine venit. Atque hæc tractatio analytica, qua nos cum in Matheſi, tum in philoſophia docenda conſtanter utimur, plurimum lucis affundit rebus, ut & clarius percipiantur, & intimius perſpiciantur. Sed noſtrum jam non eſt, per iſtas ambages e via diverti. Sufficit itaque annotaſſe, in feudo a Domino transferri in Vaſallum uſumfructum prorſus illimitatum & proprietatem limitatam. Quoniam vero nihil fit ſine ratione ſufficiente (id quod per jus univerſum obſervari deprehenditur); neque gratis aliquis ſeu ſine omni ratione totum rei ſuæ uſumfructum cum parte aliqua proprietatis in alterum transfert. Quare cum ratio non una eſſe poſſit, cur hoc fiat, in notione feudi conſtituenda determinanda eſt conditio, ſub qua uſusfructus cum proprietate reſtricta transfertur in alium. Placuit feudum appellari, ſi dominium utile, quod uſumfructum totum & proprietatem reſtrictam complectitur, conceditur ſub conditione certorum officiorum ei præſtandorum, qui ſibi potiorem pro-

proprietatis partem retinet, & dominus directus appellari ſuevit, quemadmodum Vaſallus, cui quid in feudum datur, in oppoſitione ad dominum directum a dominio utili, quod habet, dominus utilis appellatur. Complexus iſtorum officiorum, quæ ex conventione Vaſallus debet domino directo, uno nomine Fidelitas appellari ſolet. Terminos hos, etſi in jure feudali notiſſimos, ideo hic explicamus, ut exemplum præſens, quo uſus notionum directricium illuſtratur, ab iis etiam intelligatur, qui juris iſtius non ſunt periti. Ex hactenus vero dictis apparet, quænam ſint ea, quæ primo loco ſumenda ſunt, ubi notionem feudi formare volueris. Sunt nempe ratione vaſalli dominium utile & promiſſio fidelitatis, ſub qua ei illud conceditur; ratione autem domini directi dominium directum, quod ſibi reſervat, dum utile alteri concedit, quodque continetur eo, ſecundum quod proprietas in utili reſtricta, & promiſſio fidei reciproca, qua continentur officia illa, ad quæ ſe dominus directus

ctus vaſallo obligat. Quoniam in feudo non occurrit, niſi res, quæ infeudatur, dominium rei directum & utile, ac motua tandem fides; ideo ad plura hic quoque reſpiciendum non eſt, conſequenter ea habemus omnia, quæ in feudo concipiendo primo loco ſumi debent, ita comparata, ut ipſa per ſe invicem minime determinentur, per ea tamen determinentur cetera, quæ de omni feudo prædicari neceſſario debent. Sunt igitur ea, quæ modo enumeravimus, non alia, quam quæ intrinſecam feudi poſſibilitatem abſolvunt, & a nobis eſſentialia ſimpliciter (u), a Scholaſticis vero eſſentialia conſtitutiva appellantur, qui, cum omnes determinationes neceſſarias ſive conſtantes, quamvis minus accurate, eſſentialia appellant, ea, quæ per alia determinantur, hoc eſt, quæ aliis poſitis una ponuntur, a nobis vero attributa vocantur (x), eſſentialia conſecutiva dicunt. Jam vero noto notius eſt, JCtos pro ſubſtantialibus feudi habere conceſſionem dominii utilis cum reſer-

(u) §. 143. Ontol. (x) §. 146. Ontol.

Digitized by Google

reſervatione directi & promiſſionem reciprocam fidei mutuæ. Quamobrem quæ a Jctis ſubſtantialia feudi appellantur, ea conveniunt cum iis, quæ a nobis eſſentialia vocantur, ſed quatenus notionem generis ingrediuntur. Subſtantialia adeo feudi ſunt determinationes eſſentiales, quibus notio feudi in genere abſolvitur. Etenim cum ſingula illa feudi requiſita ulteriores admittant determinationes easque varias, per ſubſtantialia nonniſi genus determinatur. Quamobrem quando *Schilterus* (y) & alii ſubſtantialia quoque eſſentialia appellant, in oppoſitione ad naturalia, cum ad eſſentialia etiam referantur determinationes a ſe invicem non dependentes, quæ differentiam ſpecificam abſolvunt (z), vocem eſſentialium ſtrictiori quodam ſenſu ſumunt, quam quo a nobis accipitur, & accurrata philoſophandi methodus eam accipi permittit. Sed cum denominationes ſint arbitrariæ, per nos integrum eſto ſignificatum vocabuli pro

(y) in Introduct. ad Jus feudale c. 4. §. 8. p. 16.
(z) §. 248. Ontol.

pro arbitrio condi, quamdiu notiones juris feudalis cum primis philoſophiæ principiis non connectuntur, uniformitate ſtudiorum nondum introducta, quæ quid ſibi velit, alias dicemus apertius. Ex hactenus dictis colligitur, ſubſtantialia feudi ſufficere ad definitionem feudi in genere, etſi non ſufficiant ad feudi alicujus definitionem in ſpecie. Recte adeo Feudum in genere definitur per dominium utile in re aliqua alteri a domino conceſſum ſub conditione fidelitatis mutuæ. Definitio hæc fere coincidit cum definitione feudi, quam exhibet *Struvius* (a). Ita enim ille: *Feudum eſt dominium utile in re immobili a retinente dominium directum alicui conſtitutum, ita ut hic ad fidelitatem illi exhibendam ſit obligatus.* Ponimus nos in definitione feudi in genere rem ſimpliciter, non vero rem immobilem, quemadmodum facit *Struvius*, propterea quod etiam res mobiles, immo incorporales infeudari poſſunt, conſequenter illa determinatio inter eas referenda eſt, quæ differen-

(a) in Syntagmate Juris feudalis c. 2. §. 3. p. 52.

Digitized by Google

rentiam ſpecificam alicujus ſpeciei feudorum ingrediuntur, quemadmodum mox oſtenſurus. *Struvius* tantum mentionem facit fidelitatis a Vaſallo præſtændæ, ſed ubi ſubſtantialia feudi recenſet (b), ipſement monet ſub obligatione ad fidem exhibendam quoque contineri fidem, quam dominus Vaſallo debet. Videtur autem ideo eam ex definitione omittere, quia moribus noſtris fidem vaſallo non expreſſe promittit, etſi ipſemet *Struvius* moneat, tacite & per conſequentiam ipſum quoque dominum ad fidem adſtringi, vi juris feudalis, in quo etiam ideo inter dominum & vaſallum fides dicitur eſſe reciproca (c), & ob hanc fidem reciprocam dominus conjux vaſalli appellatur (d), ac ideo *Schilterus* (e) fidem a domino Vaſallo præſtandam inter ſubſtantialia feudi diſertis verbis referat. Dubium oriri poterat ex eo, quod *Struvius* affirmat, tacite & per conſequentiam ipſum dominum ad fidem adſtringi, dum vaſallus fidem eidem pro-

(b) §. 5. p. 60. (c) II. F. 58. (d) II. F. 26. (e) loc. cit.

promittit, num fidei a domino præſtandæ mentio in definitione fieri debeat, cum ex definitione exulare debeant, quæ per alia in eadem contenta demonſtrari poſſunt (f). Dubium hoc non eſt de nihilo: etenim ſi rem curatius ſpectes, fides a domino præſtanda vaſallo ex ea fide colligi poteſt, quæ a vaſallo eidem promittitur, conſequenter in ſyſtemate inde demonſtrari debet. In ſyſtemate igitur, quemadmodum fecit *Struvius*, fides illa ex definitione omitti poteſt, ſimulque apparet ratio, cur dominus teneatur vaſallo ad fidem, quam non promiſit, & cur non opus ſit, ut vaſallo fidem promittenti reciproce eandem expreſſe promittat. Enimvero extra ſyſtema, antequam per demonſtrationes pateſit, quænam per ſe invicem determinentur, non reprehenditur, ſi attributum aliquod ab eſſentialibus nondum diſtinxeris, quia idem inter ea continetur, quæ rem intuenti ſtatim occurrunt. In Analyſi enim ſubinde initio admittenda ſunt nondum prorſus limata, quæ deinceps in progeſſu demum

(f) §. 836 Log.

Digitized by Google

demum limantur. Præterea abſolute non repugnat, ut fides a domino vaſallo præſtanda variis modis determinetur, ita ut etiam in ea admitmittantur, quæ ex fidelitate a vaſallo promiſſa non conſequuntur. Atque hæc ratio ſufficit, ut nos in notione feudi evolvenda philoſophi partes adimplentes in definitione generis fidei domino præſtandæ mentionem injiciamus, quæ ex definitione aliqua feudi recepti in ſpecie omitti poteſt. Noſtra igitur definitio & *Struviana* non ſunt ejusdem prorſus rei: nos enim genus definimus, *Struvius* aliquam ſpeciem ſub genere contentam. Hæc ideo monemus, ne reprehendere videamur definitionem J&ti, qua ad confirmandam analyſin noſtram utimur, & ne vidamur lapſu memoriæ impegiſſe in regulam, quæ ex definitionibus ſe invicem determinantia exulare jubet.

§. 4. Agedum vero! progrediamur jam ulterius, cogitationes via analytica promovendo. Reperimus definitionem feudi in genere; diſpiciendum itaque, quomodo inde dedu- *Naturalium notio.*

cantur diverſæ ejus, quotquot concipi poſſunt, ſpecies. Ex data notione generis quomodo notiones ſpecierum formentur, clariſſime docuimus, cum uſum Logicæ in inveſtiganda veritate á priori traderemus (g). Totum ſcilicet huc redit negotium, ut, quæ in notione generis adhuc indeterminata ſunt, tot diverſis modis, quot fieri poteſt, ita tamen determinentur, ne iis, quæ jam determinata ſunt, & notionem generis conſtituunt, repugnent. In definitione feudi in genere occurrit dominium utile a dominio directo diviſum, conceſſio ejus a domino directo domino utili facta, res, cujus dominium utile in alterum transfertur, directo a transferente ſibi reſervato, fides denique mutua, ſub qua dominium rei utile transfertur. Inquirendum igitur eſt, an ſeparatio dominii utilis a directo, modus concedendi alteri dominium utile, res, cujus dominium dividitur, fides tandem mutua ita variari poſſit, ut aliis determinationibus ſuperacceden-

(g) §. 712. *Log.*

dentibus nulla oriatur contradictio reſpectu illarum, quæ ſimul notionem generis ingrediuntur. Expendenda adeo ſunt, quæ in iſtorum ſingulorum notionibus continentur, ut appareat, num quædam inſint, quæ adhuc indeterminata ſunt, ulteriorem ideo determinationem admittentia. Notum vero eſt, notionem latius patere definitione, cum omnia omnino complectatur prædicata, quæ rei tribui poſſunt, ſed perperam in definitione cumulantur (§. 3). Dominium utile duo complectitur, uſumfructum illimitatum & proprietatem reſtrictam. Vſusfructus cum vaſallo omnis concedatur, nulla inde variatio in feuda proficiſci poteſt. Proprietas eſt poteſtas diſponendi de ipſa ſubſtantia rei; quæ dum in feudo reſtringitur, num modus reſtringendi diverſitatis quid admittat, inquirendum. Diſponitur de ipſa ſubſtantia rei, quando ea alienatur, hoc eſt dominium ejus in alterum transfertur. Quamobrem cum in feudo jus iſtud non totum habeat vaſallus, alienatio non eſt prorſus arbi-

trii ejus, quemadmodum in dominio pleno, ſed reſtricta. Quoniam vero non uno modo reſtringi poteſt, diverſi iſti modi ſunt determinationes ſpecificæ, quæ differentiam ſpecificam feudorum diverſorum ingrediuntur. Ita hodie apud nos ex conſtitutionibus *Lotbarii* II. & *Friderici* Imperatorum (h) vaſallus feudum inſcio domino alienare nequit, cum antea poſſet (i); ſed ea fieri debet ipſius conſenſu, immo vaſallus nulli domino inſcio ac inconſulto jus aliquod in feudo conſtituere valet. Determinatio itaque ſpecifica eſt, quod proprietas ita reſtringatur, ut vaſallo nullum concedatur jus, alii inſcio ac inconſulto Domino directo jus quoddam conſtituendi; unde deinceps vi principiorum juris civilis de modo, quo quis alteri in re ſua jus quoddam conſtituit, prono alveo fluunt ſpeciales de jure domini directi in feudum concluſiones complures, tum etiam aliæ, quibus definiuntur caſus, in quibus vaſallus domini directi conſenſu opus habet, ut valide agat. Si

(h) II. f. 52. 55. (i) II. f. 44. & alibi.

Digitized by Google

Si porro conceſſionem dominii utilis a domino vaſallo factam ſpectes, in ea denuo occurrunt varia, quæ ut in caſu ſingulari determinata ſint, opus eſt. Quæritur enim, an feudum conſtituatur in perpetuum, an ad certum tempus, & quænam in priori caſu tenenda ſint circa ſucceſſionem; an dominium utile alicui concedendum ſit gratis, an pro certa pecuniæ vi, quæ a vero pretio deficit; an ſucceſſor in feudo ceteris, qui pari alias jure ſuccedendi gaudent, aliquid ſolvere teneatur, & quæ ſunt alia hujusmodi plura, quamdiu ſcilicet feudum in genere conſideras, citra reſpectum ad leges, quibus, quid obtinere debeat, definitur. Ita e. gr. feuda primum precaria erant, ita ut dominus directus eadem arbitratu ſuo revocare poſſet. Dabantur deinde ad dies vitæ; poſtea jus ſucceſſionis introductum, modo tamen ſuccedendi non ſemper eodem modo determinato; id quod ex libris feudorum ſatis liquet. Poteſt etiam ad conceſſionem referri inveſtitura, quæ non minus varias admittit determinationes arbi-

trarias, ex aliis non conſequentes, utut aliqua ratio earum ex ceteris deſumi poſſit, quatenus arbitrium intrinſecis regitur rationibus, ſed non neceſſariis. Illæ igitur determinationes denuo ſpectant ad ſpecificas, quas appello (k), conſequenter differentiam ſpecificam feudorum ingrediuntur. Res quoque infeudanda varias determinationes admittit, quemadmodum ex diviſione rerum, in jure civili tradi ſolita, ſatis patet. Feudum e. gr. conſtitui poteſt non minus in re mobili, quam immobili, in re non minus incorporali, quam corporali, etſi inter nos communiter receptum ſit, ut feudum in re immobili conſtituatur. Denique ſi ad fidem mutuam animum advertas, quam loquitur definitio feudi in genere, & quæ differentiam ejus ſpecificam conſtituit ab aliis juribus agnatis, veluti emphyteuſi & cenſu, itemque ſuperficie, cum ea complectatur officia, quæ vaſallus domino, dominus vaſallo præſtare debet, non multa attentione opus eſt, ut intelligas officia iſta

(k) §. 236. Ontol.

iſta diverſimode determinari poſſe: neque enim unius generis ſunt. Poſſunt enim eſſe militaria, aulica, & alia quæcunque, ad quæ dominus vaſallum ſibi obligat. Pertinet huc etiam modus, quo dominus vaſallum ſibi obligat, veluti an juramento, an ſimplici promiſſione. Sunt igitur & determinationes fidei ac modi obligandi vaſallum ad fidem determinationes ſpecificæ, quæ ingrediuntur differentiam ſpecificam ſpecierum feudi. Hactenus dicta manifeſta ſunt, modo principia philoſophiæ primæ familiaria experiaris. Videamus vero jam, quænam inter naturalia feudi a Feudiſtis referantur. Naturalia feudi recenſet *Schilterus* (l) obligationem vaſalli ad juramentum, ut fidelitatem jurato præſtet; perpetuitatem, ut non poſſit auferri feudum; ſucceſſionem maſculorum; ſpeciem rei, ut ea ſit immobilis; obligatio ad conſenſum in alienatione; determinationem ſervitiorum & ſucceſſionem deſcendentium. Addit *Struvius*, conſenſum agnatorum in alienatio-

(l) in Inſtit. Jur. feud. cap. 4. §. 8, p. m. 16.

natione feudi paterni (m). Nemo ignorat, hæc feudi naturalia in ipſis feudorum libris commemorari (n). Sunt itaque naturalia feudi determinationes ſpecificæ, quæ ſimul ſumtæ aliquam feudi ſpeciem conſtituunt. Quare cum naturalia iſta feudo inſint autoritate juris, ut adeo *Struvius* (o) naturalia definiat *per qualitates juris autoritate feudo inditas, ita ut, niſi aliter conventum ſit, illi inſint*; naturalia non ſunt niſi differentia ſpecifica feudi autoritate legis communiter recepti. Quamobrem cum non ubivis locorum eadem feudi ſpecies tanquam ordinaria introducta ſit; nihil ſane abſoni habet, quod alibi terrarum inter naturalia feudi recenſeantur, quæ noſtro jure ex eorum numero excluduntur. Differentia igitur ſpecifica feudi recepti a ceteris eſt id, quod *communis feudi ratio* appellatur. Illa ſpecies feudi cum ſit lege introducta, igitur naturalia, quibus ejus differentia ſpecifica ab aliis feudi ſpe-

(m) in Syntagm. c. 2, §. 7. p 66. (n) Vide f. 1. 8. II. f. 23. 104. 3. 47. 24. 4. c. 23. 50, 59.
(o) loc. cit.

ſpeciebus continetur, regulariter ac tacite inſunt, etſi in contractu feudali non expreſſe facta fuerit eorundem mentio. Lex enim regula eſt feudi ordinarie recepti; quare cum a regula diſceditur, ea, in quibus receditur, diſertis verbis ſunt exprimenda, eidem vero conformia vi ipſius legis intelliguntur. Quod itaque feudum proprium, immo (p) rectum vocatur, & definitur per id, quod habet perfectam eſſentiam atque communem feudi naturam (q), eſt feudi vi legum communiter recepta ſpecies, quæ ſcilicet differentiam ſpecificam ejus ab aliis ſpeciebus determinant, cum non omnibus ſimul locus eſſe poſſit. Eſſentialia feudi, quæ ſubſtantialium nomine veniunt, cum notionem generis ingrediantur, tanquam unico modo determinabilia in oppoſitione ad alias dominii utilis ſpecies, nulla lege immutari poſſunt, niſi feudum appellare velis diverſum quid ab eo, quod nunc hoc nomine ſalutatur, hoc eſt, niſi nomen muta-

(p) II. F. 33. (q) *Struvius* in Syntagm. c. 4. §. 1. p. 110.

re volueris, non rem ipſam. Atque adeo patet, cur ſubſtantialia feudo per ſe inſint, quatenus nimirum id certum quoddam genus entium moralium conſtituit, quoniam genus omne ſpecierum reſpectu immutabile eſt; naturalia autem nonniſi autoritate legis, quatenus nimirum lex hanc feudi ſpeciem introduxit, quoniam legum conditoribus liberum eſt, quamnam feudorum ſpeciem tanquam ordinariam introducere velint: ex pluribus enim poſſibilibus datur electio. Dum ſubſtantialia per ipſam feudi esſentiam immutabilia pronuncio, ea a naturalibus accurate diſcerno. Etenim qui defectu notionum ſatis diſtinctarum aliqua naturalia cum ſubſtantialibus confundunt, illi in feudis impropriis, quæ vocant, etiam aliquam mutationem quoad ſubſtantialia admittunt; id quod non mirum, cum illa immutatio revera non in ſubſtantiali, ſed in naturali fiat, etſi perperam pro ſubſtantiali habeatur. Exempli loco eſt, ſi res immobilis pro ſubſtantiali feudi habeatur, hoc eſt pro tali determinatione, quæ notionem

Digitized by Google

nem feudi in genere ingredi debet. Conſtat enim ex antecedentibus, rem in genere ſumi debere pro ſubſtantiali feudi ſeu determinatione generica; rem vero immobilem pro naturali ſeu determinatione ſpecifica, quæ ingreditur differentiam ſpecificam autoritate juris communiter receptæ feudorum ſpeciei, ut ſuus vocabulis conſtet ſignificatus certus ac fixus.

§. 5. Reſtat, ut videamus, quid tandem ſint accidentalia feudi. Referuntur inter accidentalia feudi obligatio vaſalli ad officia inſolita, atque ſucceſſio fœminis conceſſa, & ex adverſo liberatio vaſalli ab omnibus ſervitiis, quodque feudum non veniat ad ſucceſſores (r). Ex antecedentibus liquet, has determinationes eſſe ex eorum numero, quæ ſpecificæ dicuntur, atque adeo differentias ſpecificas diverſarum feudi ſpecierum ingrediuntur. Quamobrem accidentalia feudi ſunt determinationes, quæ continentur differentiis ſpecificis ſpecierum feudorum a ſpecie juris autoritate communiter recepta diverſarum.

Notio accidentalium feudi explicata.

(r) Vid. *Struvius* in Syntagm. c. 2. §. 9. p. 67.

rum. In ea ſpecie feudorum, quæ apud nos communiter recepta eſt, fœminæ non ſuccedunt, ſed ſoli maſculi, atque ſucceſſio iſta non continetur notione feudi in genere, conſequenter ad differentiam ſpecificam pertinet, qua feudum inter nos communiter receptum ab aliis feudorum ſpeciebus differt. Quare ſi ſucceſſio ita determinatur, ut, deficientibus maſculis, etiam ad fœminas pertineat; differentia ſpecifica variatur, conſequenter ſpecies feudi recepta in aliam mutatur. Cum in arbitrio legiſlatoris poſitum ſit, quamnam feudi ſpeciem tanquam ordinariam introducere velit; non implicat, ut alicubi feudi communiter recepta ſpecies ſucceſſionem etiam fœminis maſculis deficientibus deferat, conſequenter ut alicubi naturale ſit, quod nobis accidentale eſt, & viciſſim accidentale habeatur, quod noſtro jure naturale eſt. Idem patet in exemplis ceteris accidentalium, quæ in medium adduximus. Determinationes officiorum in ſpecificarum numero ſunt, & ideo, ubi vaſallus ad officia inſolita obli-

obligatur, differentia feudi ſpecifica variatur, ſpecie feudi communiter recepta in aliam mutata. Iſta obligatio cum noſtro jure in accidentalium numero ſit; exemplo hujus accidentalis liquet, quod accidentalia ſint determinationes arbitrariæ, quæ differentiam ſpecificam feudorum a recepto communiter diverſorum ingrediuntur. Eodem prorſus modo idem oſtenditur de duobus accidentalibus ceteris, quæ in medium adduximus; nimirum, quod vaſallus liberari poſſit ab omnibus ſervitiis, & fides tantummodo ſpectetur in ſubjectione, conſequenter in officiis moralibus, obedientia, reverentia, amore, quodque feudum non veniat ad ſucceſſores. Quamobrem ſi accidentalium numerum inire velis, ſpecies omnes feudorum omnium poſſibiles detegere licet, condendo notiones omnes feudorum, quas non ingrediuntur niſi determinationes noſtra phraſi eſſentiales, hoc eſt tales, quarum nulla per alteram determinatur. Sed noſtrum non eſt in præſenti hoc labore defungi, cum non aliud nobis propoſitum fuerit, quam terminos receptos ſubſtan-

ſtantialium, naturalium & accidentalium explicare, ut principiis noſtris philoſophicis conſentiant, & ad determinatas notiones reducantur.

Notiones ſtabilitæ confirmantur. §. 6. Notiones ſubſtantialium, naturalium & accidentalium feudi nunc eſſe non modo claras atque diſtinctas, ſed etiam ſufficienter determinatas, ut fixum ſignificatum vocabulis tribuant, & definitionum formam habeant, nemo negaverit, qui principia logica & ontologica, quæ in opere logico & ontologico evolvimus, familiaria experitur. Enimvero ne quis exiſtimet, ſignificatum vocum a nobis immutari, supereſt, ut doceamus idem obſcurius & confuſius defectu principiorum philoſophiæ primæ a nobis demum diſtincte evolutorum animo JCtorum obverſatum fuiſſe, quod beneficio illorum principiorum clarius ac diſtinctius a nobis propoſitum fuit. *Struvius*, qui in philoſophia Scholaſtica, quæ tunc temporis in Academiis florebat, optime erat verſatus, notionem ſubſtantialium, naturalium & accidentalium explicaturus ad notionem entis in genere recur-

currit (s), ſicque agnoſcit, terminorum illorum notiones claras & diſtinctas non obtineri, niſi ex principiis ontologicis de ente in genere lumen affuderis. Eandem igitur ingreſſus eſt viam, quam nos ingreſſi ſumus, atque hoc ipſo abunde docuit, philoſophiæ primæ principia etiam Jcto utilitate ſua ſeſe commendare. Expendit autem ea, quæ de ente prædicari poſſe *Ariſtoteles* docuit, & cum iis comparavit feudi ſubſtantialia, naturalia & accidentalia, ut appareret, quibusnam ea prædicatis generalibus de ente reſponderent. Agnovit etiam de ente in genere ſtabilita principia non minus ad res corporales, quam incorporales, quas Jcti appellant, ſeu ad entia naturalia, quam moralia applicari poſſe; quibus omnibus & acumen, & limatum, quod ipſi erat, judicium abunde comprobavit. Jam cum *Ariſtoteles* prædicata rei neceſſaria enumeret genus, differentiam, proprium, contingentia autem accidentia; colligit inde Jctos ſubſtantialium nomine deſignare

(s) in *Syntag.* c. 2. §. 4. p. 581

re non minus proprium, quam genus & differentiam, quæ ſimul eſſentiam conſtituunt. Nihil igitur ſupererat, quam ut & naturalia, & accidentalia in numerum accidentium referret; unde ipſi opus erat differentiam quandam comminiſci inter accidentia, quorum alia ex eſſentia quodammodo fluere videantur, alia nihil prorſus, cum eadem commune habeant, ſeu plane non ex eſſentia fluant, ut differentiam inter naturalia & accidentalia tradere poſſet. Quod autem in his ſcopum, ad quem collineabat, non fuerit conſecutus, vel ex eo intelligitur, quod, cum non diſtincte expoſuerit, quid ſit, quodammodo ex eſſentia fluere, & plane non ex eadem fluere, iſtarum notionum beneficio naturalia & accidentalia in dato caſu diſtingui non poſſint. Nihil adeo obſtitit, quo minus *Struvius* in easdem nobiſcum notiones ſubſtantialium, naturalium & accidentalium feudi incideret, quam quod theoria de ente in genere careret, qualem nos in philoſophia prima exhibuimus. Etenim ſi ipſi perſpectum fuiſſet, omnia illa in

in eſſentialium numerum referri, quæ quidem ſimul enti ineſſe poſſunt, non tamen ſimul inſunt, neque rationem, cur ineſſe poſſint, vel ſimul actu inſint, in ceteris, quæ ſimul inſunt, ullam agnoſcunt, & per eſſentialia genera atque ſpecies determinari, quatenus eorum identitate ſimilitudo in eſſentiis rerum conſtituitur, quemadmodum a nobis clariſſime demonſtratum eſt (t); pro eo, quod ipſi erat, acumine utique vidiſſet, non tantum ſubſtantialia, ſed & natnralia atque accidentalia in eſſentialium numero contineri, quibus & genus feudi & ſpecies feudorum diverſæ determinantur. Hinc vero pronum eſt colligere, quod ſubſtantialia ſint eſſentialia notionem generis ingredientia, naturalia vero eſſentialia differentiam ſpecificam feudi autoritate legis communiter recepti, tandemque accidentalia itidem eſſentialia, ſed differentias ſpecificas ceterorum feudorum poſſibilium conſtituentia. Nullum igitur inter nos atque *Struvium* reputamus diſſenſum, quatenus pro cer-

(t) §. 232. & ſeqq. Ontol.

to habemus, JCtum ſummum eandem prorſus terminorum explicationem daturum fuiſſe, ſi notio entis in genere ſatis diſtincta tunc temporis non latuiſſet. Quamvis vero, ſi ad terminos philoſophiæ primæ reſpicias, diverſa videtur explicatio JCti a noſtra: ubi tamen deſcribit, qualia ſint ſubſtantialia, naturalia & accidentalia feudi, ea tradit, quæ ex noſtris notionibus eodem rigore demonſtrantur, quo Geometræ ex figurarum notionibus earum proprietates ſeu prædicata neceſſaria demonſtrant. Atque ideo monui in antecedentibus, noſtras ſubſtantialium, naturalium & accidentalium notiones diſtinctas eſſe easdem cum iis, quæ obſcure quodammodo & confuſe animo illius obverſabantur, etſi mentem ſuam ope principiorum *Ariſtotelicorum* explicaturus ab iis aberraſſe, adeoque a ſeipſo diſſenſiſſe videatur. Dum enim naturalia vi ſuperiorum (§. 5.) qualitates feudi eſſe affirmat, quæ autoritate juris inditæ ſunt, & omni feudo eadem ineſſe pronunciat, niſi aliter ſit conventum; non alia loquitur, quam

Digitized by Google

quam quæ ex noſtra notione naturalium neceſſario fluunt. Etenim vi hujus naturalia ſunt determinationes, quæ ſimul ſumtæ differentiam ſpecificam feudi communiter recepti ab aliis feudorum ſpeciebus conſtituunt; omnes autem determinationes intrinſecæ, per quas ſpecies determinantur, qualitates ſunt (u); naturalia igitur ſunt qualitates feudi. Enimvero quoniam plures feudi ſpecies poſſibiles ſunt, lege definiendum eſt, quænam tanquam ordinaria obtinere debeat. Quamobrem cum determinationes ſpecificæ generi ſuperaddantur, ut in ſpeciem abeat, naturalia juris autoritate feudo indita ſunt. Quoniam itaque id, quod lege definitum, tamdiu obtinet, quamdiu ab ea tanquam regula non receditur; naturalia feudo omni ineſſe debent, quamdiu non aliter convenitur. Licet autem aliter convenire, quia integrum eſt Domino directo, quamnam feudi ſpeciem in dato caſu eligere velit, non modo quatenus diſpenſare poteſt contra legem autoritate ſua vi-

 gen-

(u) §. 156. Ontol.

gentem, ſed etiam multo magis quatenus ipſa lege illa electio continetur. Similiter quia differentia ſpecifica mutata non mutatur genus, quippe quod omnibus ſpeciebus totum commune eſt, omnibus determinationibus genericis notionem ſpeciei ingredientibus (x); naturalia feudi ſalva eſſentia ab eo abeſſe, & pactis inter dominum & vaſallum initis tolli vel immutari poſſunt (y). Dum vero naturalia immutantur, feudi qualitates mutantur, per ea, quæ modo oſtendimus. Quare cum qualitatum mutatione res alteretur; feudum alteratur, naturalibus immutatis, quemadmodum *Schilterus* loquitur (z). Autores enim nonniſi de feudo in genere loquuntur, dum ipſius eſſentiam immutabilem pronunciant; id quod vel inde manifeſto intelligitur, quia hanc immutabilitatem eidem tribuunt in oppoſitione ad jura cognata, veluti emphyteuſin &

(x) §. 237. 241. Ontol. (y) *Struvius* in Syntagm. c. 2. §. 8. p. 66. (z) in Inſtit. c. 3. §. 2.

Digitized by Google

& cenſum, nec non uſumfructum. Iisdem vero opponi feudum in genere, non quandam ejus ſpeciem, ex differentia patet, qua ipſum a juribus agnatis diſtinguitur. Naturalia igitur cum mutabilia agnoſcerent, ſalvis ſubſtantialibus, quibus notio feudi in genere abſolvitur; illa tanquam modos conſiderarunt, quæ in eodem ente ſalva ejus eſſentia variari poſſunt; id quod ex eo apparet, quod naturalia in numerum accidentium referat *Struvius*, quæ a ſcholaſticis prædicabilia, a nobis vero ad evitandam homonymiam modi appellantur; id quod in ente morali tolerari poteſt, quatenus aliquid fictitii admittas, ut feudum in genere conſideretur tanquam ens ſingulare variis modis modificabile adeoque alterabile. Atque hæc notio omnino obtinet in feudorum libris. Nil vero impedit, quo minus notiones ſuæ veritati reſtituamus, poſtquam philoſophia prima ad notiones diſtinctas a nobis revocata lumen affundit, quo acumen in diſcernendis hiſce rebus juvatur. Quod de naturalibus oſten-

dimus, idem quoque de accidentalibus eodem modo doceri poteſt. Vocat *Struvius* (a) accidentalia feudi qualitates per conventionem domini & vaſalli feudo adjectas. Vi noſtræ notionis accidentalia ſunt determinationes intrinſecæ feudi, quibus differentiæ ſpecificæ feudorum a communiter recepto continentur. Sunt igitur qualitates, vi principiorum ontologicorum (b). Enimvero quia ſunt differentiæ ſpecificæ feudorum a feudo communiter autoritate juris recepto, nec eadem autoritate aliter a recepta ſpecie recedere licet, niſi per conventionem domini & vaſalli; igitur accidencialia feudo in genere adjiciuntur hac ipſa conventione, ut in determinatam ſpeciem abeat. Quando vero accidentalia feudo in genere ita adjiciuntur, naturalia fiunt, mutataque differentia ſpecifica mutatur feudi natura. Atque ita ex notione noſtra etiam ſequitur, quod addit *Struvius* (c), accidentalibus adjectis naturam feudi immutari, ut ea vel augea-

(a) in Syntagm. c. 2. §. 9. p. 66, 67. (b) §. 127, 281. Ontol. (c) loc. cit.

Digitized by Google

augeatur, vel minuatur. Ex his dictis adeo ſufficienter intelligitur, quam bene notionibus noſtris cum jure feudali conveniat, & quam pulchre principia noſtra ontologica cum eodem conſentiant; quo ipſo principiorum noſtrorum & veritas & utilitas confirmatur.

§. 7. Abſit autem, ut quis hanc terminorum juris feudalis ad notiones ontologicas reductionem inutilem ac ſterilem pronunciet: uſum enim multiplicem habet. Lubet aliquos commemorare uſus, ne quid gratis vel in favorem principiorum noſtrorum ontologicorum aſſeruiſſe videamur. In aprico nunc poſitus eſt modus, omnes omnino ſpecies poſſibiles feudorum determinandi ac ſingulas una cum genere accuratis definitionibus comprehendendi; quo facto patet via ad theoriam omnibus ſuis numeris abſolutam feudorum, cum & contineat omnem, quæ in feudo locum habere poteſt, varietatem poſſibilem, & in univerſum omnia, quæ de feudis prædicari poſſunt, & præterea ea, quæ feudis omnibus com- *Vſus reductionis terminorum juris feudalis ad notiones ontologicas.*

Digitized by Google

munia ſunt, ab iis, quæ ſingulis ſpeciebus propria ſunt, accurate diſcernat. Hac ipſa vero theoria juri feudali multum lucis affundi, ut intimius perſpiciatur, nemo dubitabit, qui theoriarum univerſalium utilitatem ex variis ſpeciminibus cognitam atque perſpectam habet. Nimirum ſingulorum inde petitur genuina ratio, ut intelligatur, cur ita potius ſe habere debeat quam aliter; quo facto jura ipſa & clarius intelliguntur, & facilius atque tutius applicantur. Præterea hac luce colluſtratus intelligit, in quibusnam adhuc jura feudalia deficiant, & quænam ceteris præſtent, cum ubivis terrarum non prorſus eadem deprehendantur. Videt etiam, quomodo in iis, quæ emendari merentur, manum medicatricem afferre liceat. Atque ita prudentia legislatoria in hac juris parte locupletatur. Fidem oculatam daret, qui methodi gnarus & ea utendi habitu pollens theoriam iſtam conderet, ea progreſſus via, quam commonſtravimus: noſtrum enim non eſt hanc telam pertexere, cum temporis commoditate deſtituamur.

Digitized by Google

mur. Obiter autem monemus, hoc ipſo exemplo doceri, quod philoſophia noſtra methodo exculta & ad Facultates, quas vocant, ſuperiores applicata, futurum ſit tempus, quo in iis perinde ac in Matheſi continuo novæ veritates ex iis, quas perſpectas habemus, detegentur, non ſine præſentiſſimo generis humani emolumento, & veritates, quæ jam proſtant, in majore luce conſtituentur, earumque uſus amplificabitur. Novæ quando deteguntur veritates ex iis, quas jam cognitas & perſpectas habemus, non ipſis contrariæ, ſed iisdem conſentientes reperiuntur, ut adeo non habeat, quod ſibi a novitate metuat antiquitatis venerator. Si quis veritatibus novis opus non eſſe arbitretur; is nondum intelligit, quomodo in omni genere praxis perfecta a theoria perfecta pendeat, nec quantum omnis praxis noſtra a perfectione adhuc diſtet, etſi continuæ ſint ubivis de imperfectione querelæ. Enimvero mittamus iſta, quæ nondum ſunt ad plurimorum palatum. Agedum itaque! in-

tueamur propius uſus quosdam alios, qui leviori attentione intelliguntur. Dedimus definitiones ſubſtantialium, naturalium & accidentalium accuratas, quas nulli ingrediuntur termini, qui non in philoſophia prima jam ſufficienter fuerint explicati. Earum igitur ope ſubſtantialia a naturalibus, naturalia ab accidentalibus ſemper accurate diſtinguere licet. E. gr. *Schilterus* (d) inter naturalia feudi refert, ut ſit in re immobili. *Struvius* idem ad ſubſtantialia, alii eodem narrante prorſus ad accidentalia referunt (e). Videtur textus juris (f) favere illorum opinioni, qui rei immobilitatem ad feudi ſubſtantiam pertinere exiſtimant. Diſerta enim hæc verba ibidem leguntur: *Sciendum eſt, feudum nonniſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut in iis, quæ inter immobilia connumerantur, poſſe conſiſtere.* Quodſi ergo feudum conſiſtere nequit niſi in re immobili, immobilitas rei a feudo abeſſe nequit, atque adeo ad feudum omne, conſequenter ad ſub-

(d) in Inſtit. c. 3. §. 8. p. 16. (e) Vid. Syntagm. c. 2. §. 6. p. 62. 63. (f) II. F. 1.

Digitized by Google

ſubſtantiam ejus ſpectat. Etſi autem hanc ſententiam amplectatur *Struvius*, ea tamen, quæ præclara ingenia decet, æquitate (g) uſus monet, poſſe cum *Bocero* & *Roſenthalio* rei immobilitatem ad naturalia ſive accidentalia referri, ſi feudum ſeparatam juris in re ſpeciem conſtituere & ita definire velis, quod ſit jus in re conſtitutum alicui, ita ut ſit obligatus ad fidem conſtituenti exhibendam. Quodſi quis hæſitet, quamnam ſententiam in hoc doctorum divortio amplecti teneatur; nemo primorum philoſophiæ principiorum gnarus diffitebitur, opus eſſe definitionibus accuratis; quas cum dederimus, nec difficile erit omnem dirimere diſſenſum. Nimirum ad ſubſtantialia referri nequeunt, niſi quæ notionem feudi in genere ingrediuntur; quæ vero ſpeciem feudi ordinariam a ceteris diſcernunt, ad naturalia ſpectant. Quoniam itaque nemo non fatetur, feudum etiam conſtitui poſſe in re mobili, & modum conſtituendi feudum in re mobili docent Doctores

(g) §. 909. *Log.*

ſtores omnes; rei immobilitas inter ſubſtantialia referenda non eſt, ſed vel inter naturalia, vel inter accidentalia. Quoniam porro conſtat ſpeciem feudi ordinariam lege determinari, lex autem inculcat, feudum nonniſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut iis, quæ inter immobilia connumerantur, poſſe conſiſtere; rei immobilitas in naturalium numero eſt, minime autem in numero accidentalium. Non exigui profecto momenti eſt, ſubſtantialia, naturalia & accidentalia feudi in omni caſu accurate a ſe invicem diſtingui, ſed inſtituti ratio non fert, ut de hac utilitate dicamus. Monemus igitur tantummodo, accuratas & fœcundas ſubſtantialium, naturalium & accidentalium notiones hunc quoque habere uſum, ut multæ juris feudalis propoſitiones rigide demonſtrentur, quoniam earum beneficio cum primis philoſophiæ principiis connectuntur, in quæ tandem reſolvuntur demonſtrationes in univerſum omnes, ipſæ etiam geometricæ ac arithmeticæ, quemadmodum dudum oſtendi alibi.

Deni-

Digitized by Google

Denique multa juris feudalis capita fiunt clara, ubi luce illarum definitionum colluſtrantur. Etenim multa in jure feudali a differentia ſubſtantialium, naturalium & accidentalium pendent. Definitiones autem affundunt iis lucem, quæ ab ipſis pendent. Exempla non afferimus; qui principiis philoſophiæ primæ imbutus, & habitu applicandi regulas Logicæ verioris inſtructus ad jus feudale acceſſerit; quanti facere debeat lucem iſtam, ipſo facto experietur.

III.

De homine nihil a ſeipſo habente juxta 1. Cor. IV. 7.

§. I.

Vidimus exemplum, quod notionum directricium, de quibus in ſuperiori Trimeſtri dixi, uſum palam loquitur in ſcientia juris; non inconſultum itaque duxi, ſi earundem uſum in interpretanda & applicanda Scriptura Sacra oſtenderem. Commodum huic inſtituto videtur locus Apoſto- *Inſtitutum Autoris.*

poſto-

Digitized by Google

poſtoli 1. Cor. IV. 7. ubi in hæc verba erumpit: *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Conſtat ex capite primo epiſtolam illam ſcriptam fuiſſe occaſione diſſidiorum in Eccleſia, quæ Corinthi erat, ortorum, quibus in ſectas diviſi alii ſe *Pauli*, alii *Apollinis*, alii *Cephæ*, alii *Chriſti* appellabant, alii alios contemnentes ac ſe ſuper eos efferentes. Quamobrem cum Apoſtolus Corinthios ab hac ſuperbiæ ſpecie dehortaturus hoc argumento utatur, quod nemo quid habeat, quod non acceperit, atque adeo gloriari non poſſit, quaſi non acceperit, nullum omnino dubium eſt, quin loquatur de fide, quam Evangelio præbebant, & de iis, quæ quomodocunque ad eam pertinent, vel ab eadem ullo modo pendent, ut adeo planus ſit ſenſus litteralis verborum Apoſtoli negantis ſcilicet habere quicquam, quod ullo modo ad fidem referri poteſt, Corinthios a ſeipſo, & hinc porro colligentis, non eſſe ipſis cauſam ſuperbiendi, ſeu ſupra alios ſeſe efferendi. Jam alibi oſten-

oſtendimus (h), in explicanda Scriptura ſacra inveſtigandum quoque eſſe nexum prædicati cum ſubjecto. Docuimus quoque, quomodo nexus iſte detegatur, nimirum facta analyſi vel in principia rationis ſola, vel in principia revelationis & rationis ſimul, prout propoſitio aliqua vel ad veritates mixtas, vel ad puras pertinet (i); qui caſus poſterior in præſente obtinet. Quodſi ergo analyſin propoſitionis præſentis, quod Corinthii in iis, quæ ad fidem ullo modo ſpectant, nihil a ſeipſis habeant, ſed omnia aliunde acceperint, inſtituere volueris; uſum notionum directricium non contemnendum experieris. Hac ipſa autem analyſi facta, ipſa notionum directricium applicatio docebit, quæ de Corinthiis dicta ſunt, non modo ad omnes in univerſum applicari poſſe Chriſtianos, verum etiam a fide ad quævis alia transferri poſſe, in quibus homo quid ſibi tribuere poſſe videtur. Hæc autem duplex doctrinæ Pauli ampliatio cum ratione ſubjecti, tum ratione

(h) §. 981. *Log.* (i) §. 979. 980. *Log.*

Digitized by Google

tione objecti vi notionum directricium demonſtrativa ratione patet, ut nil quicquam deſiderare poſſint demonſtrationes ſummo rigore examinare ſoliti, & hac facultate inſtructi voluptate exquiſitiſſima perfundantur vi eorum, quæ in hoc ipſo trimeſtri de voluptate ex cognitione veritatis percipienda docuimus. In hac vero analyſi eodem ordine promovere lubet cogitationes, quo animum meditantis ſubeunt.

Notionum directricium quarumnam hic ſit uſus.

§. 2. Quodſi notionem fidei expendis, in ea contineri animadvertes, 1. veritatum revelatarum notitiam, 2. aſſenſum, qui iisdem præbetur, &, ubi is firmus fuerit, ac cum ſenſu certitudinis conjunctus, 3. applicationem ad ſe in ſingulari, atque 4. illarum uſum in determinando appetitu & exequendis officiis lege præſcriptis, conſequenter vitam homine Chriſtiano dignam, tanquam effectum fidei. Patet adeo fidem, & quæ ad eam quocunque modo referuntur, per eſſentialia minime determinari, cum alias eſſentia hominis poſita poneretur fides (k), quod

(k) §. 115. Ontol.

Digitized by Google

quod abſurdum eſſe experientia loquitur, eidem tamen non repugnare, ſeu cum eſſentia hominis contradictionem nullam involvere, quoniam alias impoſſibile foret, ut ad fidem perduceretur homo (l). Ex his autem colligitur, fidem inter modos, vel accidentia prædicabilia, ſi cum Scholaſticis loqui malueris, referendam eſſe (m). Notio igitur modi ea eſt, qua tanquam directrice utendum in præſenti analyſi, ut fiat exacta, & acumen ſufficiat ad ſingula pervidenda, quæ hic expendi merentur. Etenim ex ea intelligimus, quænam in modo quocunque a ſe invicem ſint diſcernenda; unde juvatur acumen, ne in dato caſu quicquam eorum prætermittatur, quod attentionem noſtram requirit. Obiter moneo, ex applicatione notionum directricium nos ipſo facto doceri, Ontologiam menti lucem affundere, ut ſit perſpicacior ad videndum ea, quæ alias aciem ejus effugerent, & attentionem habeat in ſua poteſtate absque illarum ſubſidio ab ejus arbitrio mi-

(l) §. 79. Ontol. (m) §. 148. Ontol.

nime pendentem. Fidem inter modos mentis referendam eſſe, inde quoque colligi poteſt, quod hominum alii habeant fidem, alii non habeant, quique nunc eandem poſſident, antea eadem fuerint deſtituti. Etenim a nobis demonſtratum eſt (n), quæ enti modo inſunt, modo non inſunt, ea inter modos referri debere; quo criterio facillime utimur ad modos ab eſſentia & attributis diſtinguendos.

Applicatio earundem ad ſenſum verborum Apoſtoli perveſtigandum.

§. 3. In modis diſcernenda eſt poſſibilitas ab actualitate earum: ſiquidem alia illius ratio eſt, alia hujus. Etenim a nobis demonſtratum eſt (o), cur modi ineſſe poſſint, rationem ſufficientem in eſſentialibus contineri; cur vero actu inſint, rationem vel in modis antecedentibus, vel in ente alio ab eo, cui inſunt, diverſo, aut pluribus iſtiusmodi entibus, vel denique partim in modis antecedentibus, partim in ente alio ab eo, cui inſunt, diverſo, vel pluribus etiam entibus aliis, quærendam eſſe. Quamobrem inquiſituri, num fidei & eorum, quæ quo-

(n) §. 151. Ontol. (o) §. 160. Ontol.

quomodocunque ad eam referuntur, quidpiam a ſe habeat homo; tum ad ejus poſſibilitatem, tum ad actualitatem ejusdem reſpiciendum eſt, ut appareat, cui accepta referri debeat utriusque ratio. Primum, quod hic occurrit, eſt veritatum revelatarum notitia. Ne impoſſibile eſſet, ut Corinthii ad eam pervenirent, non modo iis facultatibus mentis inſtructi eſſe debebant, ſine quibus cognitio rerum nulla datur; verum etiam Deus veritates rationi impervias revelare tenebatur. Quamdiu enim nec homo vivit, cui Deus easdem immediate revelavit, nec a quoquam ſcriptore divinitus inſpirato eædem litteris conſignatæ proſtant; nullus in iis cognoſcendis eſſe poteſt facultatum mentis uſus. Jam vero nemo in dubium vocare poteſt, facultates mentis in univerſum omnes ſe accepiſſe a Deo, rerum omnium Autore, quo ſine nec quicquam foret poſſibile, nec actu esſet; quemadmodum in Theologia naturali clariſſime ex primis rerum notionibus oſtendi. Neque minus evidens eſt, nihil ad hoc contuliſſe

hominem, ut Deus veritates nobis revelaret, quas naturali facultatum mentis uſu perveſtigare non poteramus. Jam ut Corinthii notitiam illarum veritatum haberent, ab Apoſtolis & viris Apoſtolicis docebantur. Enimvero ut eſſent viri divino afflati ſpiritu, qui eos illas docerent, ut iidem ad ipſos accederent, cum iſtiusmodi doctrinæ tanquam ſibi ignotæ nulla eſſet cupido, Deo ſapienter decernenti & benigne providenti tribuendum erat. Patet itaque in rerum revelatarum notitia nihil contineri, quod ſibi acceptum referre poterant Corinthii, ſed eos ultro fateri debuiſſe, quod ſingula accepta referri debeant Deo. Quodſi ad ſpecialiora deſcendere velimus, notionibus directricibus uſi pſychologicis de notitia rerum; idem uberiori adhuc luce colluſtraretur. Noſtrum tamen in præſenti non eſt, eo uſque evagari. Conſideremus igitur eodem modo aſſenſum, qui veritatibus revelatis præbebatur. Nemo Chriſtianorum ignorat, veritates revelatas, cum ex principiis rationis demonſtrari nequeant,

ea

Digitized by Google

ea evidentia deſtitui, qua naturaliter impellimur ad aſſenſum, conſequenter facultates mentis naturales minime ſufficere, ut veritatibus revelatis firmiter aſſentiatur homo. Et, ſi vel maxime contingat, contineri inter eas veritates, quas etiam naturali lumine uſi veras eſſe agnoſcimus, non tamen iisdem aſſentiri quis poteſt naturaliter tanquam verbo Dei; quem duplicem aſſenſum probe diſtinguendum eſſe dudum agnovere viri Theologi, cum non ab uno pendeant, quæ proficiſcuntur ab altero, & uterque ſit inter officia hominis chriſtiani, qui in cognitionem Dei ac voluntatis ejus omnes, quas habet, facultates impendere debet. Patet adeo aſſenſus illius, qui ad fidem requiritur, ne quidem ullam rationem poſſibilitatis, nedum ſufficientem in homine contineri, quemadmodum aliquid rationis, etſi non ſufficiens, in mente humana deprehenditur, cur rerum revelatarum notitia in eam cadere poſſit. Quoniam itaque facultates mentis natura ita diſpoſitæ non ſunt, ut homo veritatibus pure revelatis firmiter aſſentiatur,

& veritates mixtas tanquam verbum Dei amplectatur; eas Deus ſupernaturali quadam vi ita diſponere debet, ut jam aſſentiri poſſit, cum antea non poſſet. Deo igitur, non ſibi acceptum referre poterant Corinthii, quod veritatibus revelatis firmiter aſſentiri poſſent, cumque vim illam aſſentiendi a Deo haberent, utque actu aſſentirentur, notitia in intellectu præſupponeretur, non minus eidem ipſam quoque aſſenſus actualitatem acceptam referre tenebantur. Quodſi denuo aſſenſum iſtum intimius ſpeculari luberet, multo adhuc evidentius appariturum erat, nihil in ipſius determinationem influere, quod non a Deo omni realitatis fonte ſit derivandum. Enimvero ſufficit nobis monſtraſſe viam, qua illis ſit eundum, qui aſſenſum, qualem fides requirit, accuratiori analyſi perveſtigarunt. Cum ex firmitate aſſenſus ſequatur applicatio veritatum revelatarum ad ſe in ſingulari; ex dictis patet, Corinthios nec illas ad ſe applicare potuiſſe, nec actu applicaſſe viribus propriis, ſed non minus potentiam quam

actum

actum pependiſſe a viribus gratiæ, quas Deo acceptas referebant. Ecquis enim eſt, qui defendere auſit, fieri poſſe, ut quis veritatem, quam cognoſcit, ad ſe applicet, quamdiu hæſitat, num talis ſit? Quis, quæſo, ſibi perſuadebit, non ſine animi commotione veritatem, cujus quis notitiam habet, ad ſe applicari, quamdiu ſibi metuit, ne forte fallatur? Vnusquisque in ſeipſo experietur, modo attentione uti velit, cum certitudinis ſenſu creſcere ardorem in applicando. Quamobrem cum ſupernaturali Spiritus S. operatione animus hominis chriſtiani diſponatur, ut verbo Dei aſſentiatur, firmiorque ſit asſenſus, quam qui veritatibus naturalibus præbetur; illa quoque animi commotio, ille ardor, qui in veritatum revelatarum applicatione ad ſe ſtatumque ſuum percipitur, ad Deum auctorem referri debet. Conſtat, ad iſtam applicationem concurrere rerum revelatarum ſingularem prorſus utilitatem, cum ab iis non modo ſublimis cujusdam felicitatis gradus in his terris pendeat, verum etiam æterna

illa beatitudo a Chriſto fidelibus promiſſa in illarum numero ſit, ad quam fides noſtra tanquam ad metam tendit. Enimvero nec illa rerum utilitas, nec utilitatis iſtius certa cognitio ab homine, ſed hominis potius in veritatibus revelatis applicandis ardor, & varia pro earundem varietate animi commotio ab illa pendet. Vnde neque ea in re Corinthiis quicquam deprehendere licebat, quod ſibi autoribus tribuerent. Si cui hic viſum fuerit ad ſpecialia deſcendere, ille idem experietur, quod in omni rerum cognitione obvium eſt, ſingula luce idearum, quæ in iſta contemplatione menti obverſantur, fieri clariora, & ad vulgi quoque captum accommodari, quæ in notionibus abſtractis eum tranſcendunt. Reſtat vero, ut etiam inquiramus, in quibus quærenda ſit ratio, tum quod Corinthii ad Deum converſi veritatibus revelatis uti potuerint ad determinandum appetitum, tum quod iisdem actu fuerint uſi. Hominem Chriſtianum veritatibus revelatis uti debere tanquam motivis ſuarum actionum,

Digitized by Google

num, easque eſſe tales, ut tanquam motivis actionum uti iisdem detur, nemo in dubium vocare poteſt, qui vel fugitivo oculo Scripturam ſacram percurrit. Nonne jubemur amare Deum, quod ipſe prior nos dilexit (p)? Nonne jubemur eſſe miſericordes, quod DEVS miſericors eſt (q)? Nonne ipſa incarnatio filii Dei idcirco appellatur pietatis myſterium (r), quod aptum ſit ad mentem noſtram ita diſponendam, ut actiones ſuas liberas in univerſum omnes ad Deum tanquam redemtorem referat. Alibi ſane (s) oſtendi, virtutem Chriſtiani a virtute naturali materialiter in eo differre, quod is utatur actionum ſuarum motivis ab opere redemtionis deſumtis. Hinc vero jam intelligitur, non impoſſibile eſſe, ut homo Chriſtianus veritatibus, quas credit, utatur ad determinandum appetitum, propterea quod tales deprehendantur, ut ſingularum actionum honeſtarum motiva eſſe poſſint; id quod in theo-

(p) 1. Joh. IV. 19. (q) Luc. VI. 36. (r) 1. Tim. III. 16. (s) Von der Menſchen Thun und Laſſen §. 676.

logia morali demonſtrari debere plus ſimplici vice monui, ſiquidem ea docere debet vitam homine chriſtiano dignam, utpote non in verbis, quæ hypocritarum perſuaſio eſt, ſed in re conſiſtentem, quæ Apoſtoli doctrina eſt (t). Quod vero veritates revelatæ omnes in actiones noſtras influere poſſint, id non a nobis habent, ſed ipſarum autore Deo. Præterea, ut homo appetitum determinare poſſit ad eas actiones, quas bonas eſſe judicat, id inde eſſe nemo non agnoſcit, qui vel primis labris philoſophiæ principia deguſtavit, quod mens humana ad bonum generaliter determinata ſit. Vt vero nexum inter actiones honeſtas & res revelatas percipere poſſit, rationi eidemque illuminatæ tribuendum. Ecquis vero neſcit, a Deo, qui hominem condidit, nos habere, quod ea ſit mentis natura, ut nil appetat niſi ſub ratione boni, & eidem tribuendum eſſe, quod habeamus rationem, eamque illuminatam? Non igitur opus eſſe judicamus, ut in hæc prolixius inquiramus.

Quem-

(t) 1. Cor. IV. 20.

Quemadmodum vero in converſione hominis vi illuminationis nova quædam intelligendi facultati ſuperaccedit facultas, qua naturaliter deſtituitur mens humana, nimirum aſſenſum firmum præbendi veritatibus naturali evidentia deſtitutis, & aliis, quæ eadem non deſtituuntur, aſſentiendi tanquam verbo Dei; ideo facultati quoque appetitivæ vi ſanctificationis nova quædam ſuperaccedit facultas, quam mens humana naturaliter non habet, nempe nil appetendi, niſi quod facit ad gloriam Dei redemtoris atque Chriſti. Hinc enim eſt, quod eas appetat actiones, quibus docet alios, ſe habere Deum non modo pro creatore ac conſervatore, ſed inprimis etiam pro redemtore, & Chriſtum pro mediatore ac ſalvatore generis humani, hoc eſt, quæ ſunt genuini fidei effectus. Ampliſſimus hic ſeſe offert dicendi campus, ſiquidem ea omnia perſequi lubeat, quæ in actualitatem appetitus influunt; ſed cum tantæ prolixitati locus eſſe nequeat, ut perpendat lector velim, quæ in philoſophia morali ſeu tractatu paulo ante

cita-

citato (u) de modo perveniendi ad habitus morales integro capite docui, attenta differentia, quæ inter hominem ſolo naturæ lumine utentem & illuminatum ac ſanctificatum a Deo intercedit. Nemo non deprehendet, in analyſi eorum, quæ in determinationem appetitus influunt, ſemper tandem ad Deum cauſam primam & ultimam perveniri, tanquam omnis boni datorem (x). Repetenda vero hic quoque ſunt, quæ paulo ante monuimus, in caſibus ſpecialibus ſingula fieri & clariora, & evidentiora, ut omnimoda appetitus hominis chriſtiani a Deo dependentia intelligatur. Atque ſic abunde patere arbitror, quomodo notione directrici, quam de modis rerum offert philoſophia prima, legitime uſus inquiras in rationes non minus poſſibilitatis, quam actualitatis, attentionem tuam defigens in iis omnibus, in quibus defigenda, ut ambitum verborum Apoſtoli paucis multa comprehendentis obtutu comprehendas; quem eſſe notionum

(u) von der Menſchen Thun und Laſſen c. 3. §. 139. & ſeqq. (x) Jac. I, 17.

notionum iſtarum uſum nuper (y) oſtendi.

§. 4. Nullum vero mihi dubium eſt, omnia iſta, de quibus diximus, menti Apoſtoli obverſata fuiſſe, dum verba illa ſcriberet ad Corinthios, in quæ hactenus commentati ſumus. Etenim verba ſua per interrogationem proponit; cujus triplicem rationem reperire licet. Primo enim interrogatio certitudinem loquitur, quæ erat Apoſtolo affirmanti nihil Corinthios a ſe ipſo habere, quod ullo modo ad fidem referri poſſit; cum non interrogaſſet, niſi prorſus convictus fuiſſet, impoſſibile omnino eſſe, ut quicquam reperiatur, quod ſibi tribuere queant circa fidem, ad quam a ſuperſtitione Gentilium fuerant converſi. Hæc vero Apoſtolo certitudo non fuiſſet, niſi in ſingula, quæ ad fidei atque ab eadem pendentium determinationem requiruntur, mentis illuminatæ ac ſanctificatæ aciem intendiſſet, ut non loqueretur niſi in ſeipſo experta. Altera interrogationis ratio

Confirmatio explicationis verborum Pauli eorumque uberior explicatio.

(y) in Trimeſtri Vernali n. IV.

Digitized by Google

ratio eſt, quod jubeat Corinthios ſollicita mente inquirere in ſingula, quibus fides illorum, & quæ ab eadem pendebant, determinata fuerant, ut & ipſimet eadem certitudine intelligerent, ſe nihil illorum a ſeipſis habere, ſed ſingula Deo, conſequenter fidem totam, quæque eam ſequuntur omnia, accepta referri debere. Etenim hoc motivo uti debebant a ſuperbia ad humilitatem, quæ Chriſtianos decet, convertendi; conſtat vero, motiva non urgere, niſi adſit cognitionis certitudo. Tertia interrogationis ratio eſt tacita Corinthiorum reprehenſio, quod in re adeo evidenti attentionem ſuam deſiderari paterentur. Neque enim ipſis opus erat niſi attentione ad pervidendum, nihil profecto in numero fidem & ad eam quomodocunque pertinentia determinantium reperiri, quod ſibi, non Deo tribuere poſſent. Converſi nimirum modo erant ad Deum, ætate quidem adulta, qua ſibi conſcii eſſe poterant ſingulorum in præſente negotio expendendorum, ut recens eſſet ſingulorum

lorum memoria; quæ etiam ratio eſt, ut paucis verbis utatur Apoſtolus tam amplas ideas in animis Corinthiorum ſuſcitaturus; cum enim divino ſpiritu afflatus eadem protulerit, legem ſapientiæ divinæ ſanctiſſime coluit, quæ nil fruſtra fieri permittit, ita ut eidem adverſum foret vel unicum proferre verbulum, quod fine, qui intendebatur ſermone, ſalvo abeſſe poterat; id quod per totam Scripturam Sacram obſervare licet, argumento divinitatis ipſius evidentiſſimo. Rationes duæ priores in omni caſu ſimili locum habent, ubi non ſine ratione interrogatione utimur propoſitionem aliquam enunciaturi; ratio autem tertia ſpecialis eſt, & nonniſi in iis caſibus obtinet, qui aliquid ſimilitudinis cum præſenti habent, ſcilicet ubi ſupina quadam negligentia deficit attentio ad ea, quæ obſervari facile poterant, & quam maxime debebant. Hinc etiam in altera quæſtione, quam movet Apoſtolus, ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? obtinent eædem rationes. Nimirum etiam hic indicat Apoſtolus certitudinem

dinem ſententiæ ſuæ, quod de iis, quæ accepimus, non autem nobismetipſis debemus, gloriari nequeamus. Jubet Corinthios expendere ſententiam ſuam, annon eidem asſentiri teneantur nihil prorſus reperientes, quod adverſus eam excipere queant. Nec minus eosdem tacite reprehendit, quod in re adeo manifeſta patiantur deſiderari attentionem ſuam, ut pudore ſuffuſi vitium corrigant. Conſtat enim ex moralibus, pudorem eſſe medium avocandi a vitiis, quamdiu quis nondum omnem pudorem exuit inter homines malitioſos eminens. Sed redeamus ad id, unde digreſſi ſumus; oſtendendum nobis eſt, Apoſtolum ad ſingula illa reſpexiſſe, in quæ vi notionis directricis attentionem noſtram direximus. Rationi igitur a modo enunciandi deſumtæ jungimus alteram, quam ex intentione Apoſtoli derivamus. Quæſtio altera aperte loquitur, propoſitum ipſi fuiſſe avocare Corinthios a ſuperbia ſpirituali, qua alius præſtare ob fidem ſibi videbatur alio. Vtendum igitur erat motivo, ſine

quo

Digitized by Google

quo voluntas minime flectitur. Motivum Apoſtolo commodum videbatur, quod nihil ad fidem quomodocunque pertinens a ſe ipſis habeant, ſed omnia Deo accepta referre debeant. Enimvero motiva tum demum urgent, quando ſingula, quæ in ideis eorum continentur, quaſi coram intuemur, ita ut eorum vis cum claritate ac evidentia creſcat. Ecquis igitur dubitet, non aliud egiſſe Apoſtolum, quam ut Corinthiis in memoriam revocaret ſingula, quæ in fidei ac ceterorum inde pendentium determinationem modo quocunque influxerant, ut ea perpendentes intelligerent, nihil eorum eos habere a ſeipſis, ſed ſingula Deo accepta referenda eſſe. Nemo enim nobis perſuadebit, aut non ſatis intellexiſſe Apoſtolum divino ſpiritu afflatum motivum, quo utebatur, aut eum noluiſſe eidem tribuere vim omnem, quam habere poterat. Tum vero demum immotum cenſendum erat, ubi ſingulis perpenſis, quæ inter determinantia fidei ac ceterorum inde pendentium referri poſſunt, faten-

dum erat, nihil eorum hominem habere a ſeipſo.

Interpretatio extenſiva ſeu ampliatio verborum Pauli.

§. 5. Ex rationibus adductis, quibus nexus verborum *Pauli* oſtenditur, apparet, quæ de fide Corinthiorum dicuntur, ea ad fidem alterius cujuscunque applicari poſſe. Rationes enim iſtæ fuere tales, ut ad Chriſtianum quemcunque transferri poſſint. Quamobrem citra omnem difficultatem ex doctrina ſuperiori generalia de fide theoremata conduntur, ex quibus tandem ſimul ſumtis colligitur, hominem circa fidem nihil ſibi tribuere poſſe, ſed omnia Deo boni omnis datori accepta referre debere. Et profecto hanc verborum ſuorum ampliationem Apoſtolus haud abſcure ipſemet indicat, dum quæſtionem ſuam in ſingulari & in genere proponit, tanquam ad hominem quemcunque chriſtianum directam. Neque enim Corinthios allocutus quærit: Quid habetis, quod non accepiſtis? ſed, quaſi ſibi cum omni homine res ſit, interrogat: Quid habes, quod non accepiſti? Ecce igitur rationem, quæ fuit Apoſtolo, cur in ſingu-

ſingulari quæſtionem ſuam proponat, cum tamen Corinthios omnes, quotquot a ſuperſtitione gentilium ad Deum converſi fuerant, alloquatur. Neque vero hæc unica eſt verborum *Pauli* ampliatio; ſed ad notiones directrices attentus intelligis, in genere verum eſſe, quod ens nullum habeat quicquam, quod non a Deo acceperit. Quicquid enim enti ineſt, id vel inter eſſentialia, vel attributa, vel modos locum habet (z). Eſſentiam & exiſtentiam ens omne habere a Deo, ex Theologia naturali conſtat, & in ſacris litteris docetur. Attributa cum eſſentialibus indivulſo nexu cohærent, ut poſito uno alterum ſimul ponatur (a). Quamobrem cum ens omne a Deo eſſentiam habeat, ab eodem quoque habere debet attributa. Modorum poſſibilitas ſive proxima, ſive remota inter atributa continetur (b). Quamobrem de eadem valent, quæ de attributis modo diximus. Actualitas modi cum pendeat a cauſis extrinſe-

(z) §. 149. Ontol. (a) §. 146. 120 Ontol.
(b) §. 162 & ſeqq. Ontol.

cis coëxiſtentibus (c), ideo enti unicuique hi potius inſunt modi, quam alii, &, ſi ad omnes modificationes ſucceſſivas reſpicias, hæc potius eſt quam alia modificationum ſeries, quia in ſerie rerum contingentium, quæ exiſtit, hunc potius locum obtinet quam alium; id quod ex principiis coſmologicis apertius demonſtrari poteſt, in exemplis autem obvium prorſus eſt. Neque enim alia re opus eſt, quam ut quis mentis ſuæ aciem in ſeipſum convertens videat, quomodo a circumſtantiis externis pendeat, ita ut multa aliter ſeſe haberent, niſi hic & nunc vixiſſet. Enimvero omnis rerum coordinatio & ſubordinatio Deo ex toto adſcribenda, conſequenter modorum quoque actualitas ei tribuenda. Atque ſic generatim non de homine modo, verum etiam ente omni palam fit, quod nihil habeat, quod non acceperit a Deo. Quodſi dubium movere videatur libertas hominis, ita ut ſibi tribuere poſſe quis exiſtimet, quæ a libertate ſua pendent; is perpendat velim,

(c) §. 160 Ontol.

Digitized by Google

velim, ſe non modo libertatem a Deo habere, ſed ad libera ſua decreta formanda uti quoque motivis a rebus coexiſtentibus; id quod adeo obvium eſt, ut plura in eam rem dicere nil attineat. Neque dubitandum eſt, hanc quoque verborum ſuorum ampliationem indigitari ab Apoſtolo. Etenim quæſtionem movet generaliter, quid habes, quod non accepiſti? etſi ipſi potiſſimum ſermo eſſet de fide ac iis, quæ ab eadem pendent. Dumque propoſitionem ſuam, nihil habere hominem, quod non acceperit a Deo, per interrogationem enuncians certitudine ſententiæ ſuæ confidit, tanto autem major certitudo eſt, quod a priori in genere de omni ente oſtendi poſſit, nihil ipſum habere poſſe, quod non aliunde acceperit; dubium ſane non eſt, autorem omni lumine uſum, quo ad veritatem pervidendam opus eſt, ad id quoque attendiſſe, & verborum ſuorum amplitudinem pleniſſime perſpexiſſe. Abſit igitur, ut quis exiſtimet, nos verbis Apoſtoli ampliorem tribuere ſenſum, quam qui iisdem

ineſt. Obiter monemus apparere jam modum, quo verborum Scripturæ ampliatio conveniens interpretatione extenſiva reperiatur.

Vſus explicationis noſtra. § 6. Accuratam analyſin verborum Apoſtoli, ad quam nos manu ducunt notiones directrices, eorumque iisdem ducibus factam ampliationem non ſua deſtitui utilitate, ex ipſa antecedente tractatione lectori attento & acumine ſufficiente utenti palam eſſe poteſt. Vidimus Apoſtolum veritatem theoreticam, quod homo fidem totam Deo acceptam referre teneatur, uti tanquam motivo humilitatis & remedio adverſus ſuperbiam ſpiritualem, qualis & Chriſti ævo Phariſæorum erat, & hodienum Phariſæorum ab inferis excitatorum eſſe ſolet. In philoſophia autem morali veriori hoſpes ſit neceſſe eſt, qui ignorat, motiva fortius flectere voluntatem, ubi diſtincte evolvitur, quod in iisdem continetur, & hoc ipſo evidentia veritatis multo illuſtrior efficitur. Nec minus hoſpes in eadem ſit opus eſt, qui nondum novit, remedia adverſus vitia fortius mentem ab eadem alienare, ubi notione, quantum fieri

poteſt,

poteſt, adæquata exhibentur. Et ſane ipſum Apoſtolum idem ſenſiſſe, ex ejus intentione paulo ante collegimus. Uſum adeo egregium præſtat iſta verborum Pauli analyſis, ubi quis eam ad ſe ſtatumque ſuum in ſingulari applicat, ut in ſeipſo ſingulorum veritatem experiatur; id quod denuo intentioni Apoſtoli convenire ex antecedentibus liquet. Et quia verba Pauli per interpretationem extenſivam ad ens omne in omni caſu transferri poſſunt; haud obſcure intelligimus eodem motivo humilitatis in omni caſu nos uti poſſe, & idem eſſe remedium adverſus ſuperbiam vel faſtum quemcunque in caſu quocunque eodemque ſingulari. Hunc uſum eſſe prorſus egregium nemo diffitebitur, cui cognitum perſpectumque eſt, quam ſit homo ad faſtum pronus, quo ſe ſuper alios effert eosque contemnit, & quanta zizaniorum ſeges ex ſemine iſto naſcatur. Habet autem motivum hoc aliquid ſingulare, quod, cum univerſale ſit, in applicatione tamen nonniſi ſingularia admittat; id quod inde eſt, quia expenduntur rationes, quibus &

poſſibllitas in dato caſu ſingulari propius, & actualitas tandem ejus determinatur, ob quod animus hominis effertur. Atque hinc porro conſequimur, ut eodem non ſine ſucceſu uti detur, etiamſi res ipſa talis ſit, ob quam homo ſeſe efferre non habebat opus, neque tamen opus ſit initio corrigi errorem ejus. Etenim ubi faſtus fuerit beneficio motivi generalis ablatus, nnnc multo facilius error circa objectum corrigitur, cum ſit jam attentior, nulla animi commotione attentionem amplius impediente, atque ad utramque contradictionis partem indifferens, ceſſante nimirum ratione, ob quam ad affirmativam aſſenſus erat jam quodammodo prædeterminatus, antequam diſcuſſio fieret, ita ut in veritatem inquiſiturus anxio deſiderio teneretur veritatis in parte affirmativa inveniendæ. Ex his profecto ratio quoque perſpicitur, cur Apoſtolus generali uſus fuerit motivo, non autem ſpeciali ab objecto deſumto, oſtendens fidem eam eſſe, quæ hominem ad humilitatem impellere debeat, minime autem ex illorum numero, quæ faſtum

faſtum inſpirare queant; quod ſeſe ita habere haud difficulter non uno modo probari poteſt. Quoniam vero inſtitutum noſtrum non ad alium ſcopum tendit, quam ut exemplis uſum philoſophiæ noſtræ doceamus; nullus quoque dubito fore, ut ex hac ipſa tractatione perſpiciant philoſophiæ principiis imbuti, quid ſibi in aliis caſibus ſit agendum. Iter enim, quod per præcepta longum eſt, per exempla breve. Porro cum huic ipſi tractationi multa univerſalia inſint, qualia ſunt rationis ſufficientis perveſtigatio, interpretatio extenſiva vi univerſalitatis rationis agnitæ facta, vis motivorum & remediorum in mente ad objectum vel inclinanda, vel ab eodem reclinanda, applicatio veritatum theoreticarum ad emendationem voluntatis, & alia bene multa attento ac perſpicaci lectori obvia; ſi quis ad ea reſpicere velit, ampliſſimus contemplationum utilium campus aperietur, in quem tamen nobis exſpatiari non licet, cum in verba Apoſtoli integrum commentarium conſcribere nobis minime propoſuerimus,

rimus, neque adeo ſenſus, qui eorum eſt, amplitudinem omnem emetiri teneamur. Obiter monemus, expendendam hic eſſe verborum Scripturæ Sacræ amplitudinem, quæ magis lectori patet, quo in veritatis cognitione factus fuerit provectior, ut adeo hinc intelligatur, quid ſibi velint Apoſtoli, dum nos in cognitione creſcere quotidie jubent, etſi non novæ revelentur veritates. Addimus uſum philoſophiæ noſtræ ac methodi philoſophandi in amplitudine iſtius ſenſus demonſtrativa quadam ratione adſtruenda, ut adverſus quaſcunque Antiſcripturariorum objectiones clariſſime defendi poſſit.

IV.

De notione Sanitatis.

§. I.

Inſtitutum Autoris. Medici in ſanitate definienda non prorſus conveniunt. *Galenu* (d) ſanitatem vocat naturalem omnium partium conſtitutionem, & diſpoſitio-

(d) de diff. morb. c. 2. ſ. m. 2.

Digitized by Google

ſitionem ſecundum naturam actionum naturalium autorem eſſe obſervat (e). *Daniel Sennertus*, gravis in Arte Medica autor, (f) eam definit per potentiam corporis humani eas, quæ ſecundum naturam ſunt, actiones exercendi, a partium omnium naturali conſtitutione proveniens. Celeberrimus in Academia Lugdunenſi Medicus, *Hermannus Boerhaave* (g), ſanitatem eſſe ait facultatem corporis aptam omnibus actionibus perfecte exercendis. *Friedericus Hoffmannus*, Medicus in Academia Halenſi non minus celebris (h), ſanitatem definit per vigorem actionum tam corporis, quam animi, a temperato & libero ſolidorum ac fluidorum motu ſanguinisque & humorum temperie, neque minus a convenientibus ſecretionibus & excretionibus dependens, hancque definitionem realem eſſe pronunciat, propterea quod non tantum formalem ejus rationem, quæ in vigore actionum animi & corporis con-

(e) de differ. Sympt. c. 1. (f) in Inſtit. Medic. lib. 1. c. 3. (g) in Inſtit. Medicis §. 695. (h) Medic. rat. Tom. I. ſect. 2. c. 1, §. 1. p. 503.

conſiſtat, ſed & veras ejus cauſas complectatur. *Michaël Ettmüllerus* (i) ſanitatem breviter definit per vitæ integritatem, vitam vero in machinæ hydraulico-pnevmaticæ, quæ corpus humanum eſt, motu ſeu actuatione conſiſtere affirmat. *Thomas Campanella* (k) ſanitatem definit per vitæ fruitionem ſeu conſervationem, vitam vero per ſolidarum, humidarum & ſpiritualium partium conſenſionem, mutuis officiis uſibusque contentam in animali eſſe per calorem innatum. Poſſemus plures in medium afferre definitiones, niſi eæ, quas attulimus, ſatis ſuperque docerent, Medicos in ſanitate definienda non prorſus conſentire videri, ſaltem non eum apparere conſenſum, qui eſt Geometrarum in triangulo vel Quadrato definiendo. Quodſi ergo quæſiveris, qua ratione ad genuinam ſanitatis notionem perveniatur, & quomodo ejus beneficio definitiones Autorum dijudicentur, & inter ſe concilientur; noſtrum

(i) in Medico Theoria & praxi generali inſtructo Phyſiol. c. 3. §. 6. p. 31. (k) Medicinal. lib. 1. c. 2. §. 5. p. 4.

Digitized by Google

ſtrum eſt docere, quemnam in hac diſquiſitione uſum præſtet philoſophia.

Modus perveniendi ad notionem ſanitatis limatam,

§. 2. *Sæpius jam monuimus* notiones rerum non eſſe ex verbis Autorum, ſed ex rebus ipſis deſumendas, etſi verba Autorum hunc poſſint haud raro præſtare uſum, ut intelligamus, in quamnam rem attentionem noſtram dirigere debeamus; id quod etiam in præſente caſu obtinet, ubi quælibet fere definitio inſinuat, conſiderandas eſſe partes corporis noſtri, quatenus certis functionibus deſtinantur, & ad communem ſermonem attendentes, quo ſanitatis quendam defectum a nobis obſervari dicimus, ſi ad negotia conſueta obeunda nos ineptos deprehendimus. Quamobrem vi regularum, quas de notione deſtincta rei perceptæ formanda dedimus (l), de partibus corporis quoad functiones tot formanda ſunt judicia generalia, quot formare datur (m), & ea retinenda, quæ conſtantia ſunt. Agedum itaque! contemplemur pauliſper

(l) §. 675. Log. (m) §. 669. Log.

liſper corpus noſtrum, ut appareat, quænam notionem ſanitatis ingredi debeant. Corpus noſtrum conſtat ex variis partibus organicis, quas Anatomia in conſpectum producit, etſi exterius non appareant omnes. Satis etiam ſuperque conſtat, omnes corporis partes ſuas habere functiones, & quæ ad eandem ſpeciem pertinent, functiones habere ſimiles; id quod jam olim *Galenus* integro Tractatu de uſu partium docuit, Anatomici & Phyſiologi docent omnes, & nos quoque in Tractatu de uſu partium patrio idiomate nuperrime recuſo clariſſime evicimus. Exempli gratia oculus deſtinatur ad videndum, auris ad audiendum, ventriculus ad cibum digerendum, cor ad motum ſanguinis continuum in vaſis conſervandum, pulmones ad reſpirandum, ut adeo partes ſingulæ a ſe invicem diverſæ diverſas habeant functiones. Muſculi omnes ſunt organa ejusdem ſpeciei; ſed omnium quoque eadem functio eſt: deſtinantur enim in univerſum omnes ad motum organorum producendum. Ita oculo dati

ſunt

ſunt muſculi, quibus bulbus in varios ſitus moveri poteſt; ſunt ſui manibus, ſunt ſui ſingulis articulis digitorum muſculi, quibus motus manuum & digitorum diverſi perficiuntur. Conſtat præterea unumquodque organum, ſeu unamquamque corporis animalis partem, vi ſtructuræ ſuæ eſſe aptam ad functionem ſuam. Ita oculus vi ſtructuræ ſuæ aptus eſt ad videndum; id quod & a priori demonſtrarunt Optici, & experimentis comprobarunt Phyſici. Similiter cor vi ſtructuræ ſuæ aptum eſt ad motum circulationis ſanguinis conſervandum, quemadmodum in Phyſicis docetur. Et ex principiis noſtris metaphyſicis in genere demonſtratur, omnem corporis partem, qualiſcunque tandem illa ſit, per ſtructuram ſuam ad eam functionem eſſe diſpoſitam, quæ ab ea proficiſcitur, nec aliam ab eadem proficiſci poſſe, niſi ad quam per ſtructuram ſuam apta eſt. Ex iisdem principiis conſtat, dari quoque principium quoddam activum in corpore, quo functionum iſtarum actualitas determinatur, & in

in Phyſica inquiritur, quale ſit illud principium. In præſente autem caſu perinde eſt, qualecunque tandem fuerit. Haud obſcure itaque ex his perſpicitur ſimilitudo corporis humani cum machina, veluti cum horologio: quamdiu enim in ſimilitudine generali ſubſiſtis, perinde eſt, cum quacunque tandem machina corpus humanum contuleris. Singulis machinis commune eſt id, ob quod corpus humanum machina dici ſolet. Non inutiliter autem inſtituitur hæc comparatio, cum ſic idea, in quam animi attentionem dirigere debemus, multo fiat clarior, atque animus ipſe dirigatur ad ea, in quibus attentio defigenda, ne per ambages demum quærenda ſint, aut prorſus fruſtra quærantur, immo cum peregrinis confundantur. Enimvero intueamur paulo propius iſtam ſimilitudinem. Conſtat horologium variis partibus, quarum unaquæque ad actionem aliquam vi ſtructuræ ſuæ apta eſt; ita rota una impellit alteram, eamque certa quadam ratione movet, quia hanc habet figuram, non aliam. Adeſt

præ-

Digitized by Google

præterea vel elater, quemadmodum in horologiis portatilibus, vel pondus, quemadmodum in ceteris majoribus, quod ſubit vicem principii activi, & a quo motus actualitas dependet, ut unaquæque pars agere actu poſſit, ad quod agendum per ſtructuram ſuam apta deprehenditur. Quoniam itaque in præſente corpus humanum non conſideramus niſi ſub eo ſchemate, quod in ipſo etiam horologio perſpicimus, ita ut horologium eidem ſubſtitui poſſit, ne multitudo peregrinorum nos confundat; expendamus, quinam ſtatus horologii concipi poſſint, quatenus ut machina conſideratur: eosdem enim in corpore quoque humano concipi poſſe dubitandum non eſt, cum horologium & corpus humanum, quatenus tanquam machinæ ſpectantur, tanquam duæ ſpecies ſub eodem genere contineantur, conſequenter quod de genere abſtrahitur ab una ſpecie, idem etiam ad alteram recte transferatur. Quodſi quæſiveris, cur notionem ſanitatis inveſtigaturi ad ſtatus corporis a ſe invicem di-

ſcernendos animum advertamus: ratio haud obſcura eſt. Etenim ſanitas in numero eorum eſt, quæ mutari poſſunt, & tollitur, mutationibus in corpore factis, conſequenter per mutabilia intrinſeca conſtituitur. Eſt igitur ſtatus quidam corporis internus (n). Quamobrem cum extra omnem controverſiam poſitum ſit, genus in definitione ſanitatis collocandum eſſe ſtatum corporis internum; id unice agendum nobis eſt, ut differentiam hujus ſtatus ab aliis, qui in idem corpus cadunt, inveſtigemus; id quod comparatione cum horologio facta optime nos conſecuturos ſperamus.

Qualis notio Sanitatis analytice eruatur. §. 3. Quamdiu horologii motus continuari poteſt, ut ad eum non prorſus ineptum deprehendatur; duplicem in eo diſtinguere licet ſtatum. Aut enim ſingulæ partes ita comparatæ ſunt, ut ad uſum, cui deſtinantur per ſui ac horologii ſtructuram, aptæ ſint, ſicque motus ille regularis produci poſſit, quo tandem index regulariter circumducitur; aut una vel

(n) §. 705, 706. Ontol.

vel altera pars ita ſeſe habet, ut ad uſum, cui deſtinatur, inepta ſit, neque adeo amplius ea prorſus ratione moveri queat, qua initio movebatur, cum nihil in ea deſideraretur. Nullum ſane dubium eſt, quin in corpus humanum duplex iſte ſtatus ſimiliter cadat. Etenim is in horologio obtinet; non quatenus horologium eſt, ſed quatenus ex variis partibus componitur, quæ ſtructuræ ſuæ ac modi, quo invicem combinantur, ad certos uſus exequendos aptæ ſunt, ut finis aliquis in toto horologio obtineatur. Quare cum corpus etiam animale tale ſit, quemadmodum paulo ante (§. 2.) docuimus; in eodem quoque duplex iſte ſtatus locum habere debet. Aut igitur is eſt corporis animalis ſtatus, quo partes ſingulæ ita ſeſe habent, ut ad uſum, cui deſtinantur, per ſui ac corporis ſtructuram aptæ ſint, ſicque munia iſta obire poſſint, quibus corpus fines conſtitutos conſequi valet; aut una vel altera pars ita ſeſe habet, ut ad uſum, cui deſtinatur, inepta ſit, neque adeo amplius munere ſuo defungi poſſit, quo in fines

corpori toti præſcriptos influit. Duo hi ſtatus ſibi invicem repugnant, ita ut ſimul in eodem ſubjecto reperiri nequeant; ex iisdem autem alteruter ſemper obtinere debet, quod nemo non admittere tenetur, niſi in primas notiones impingere velet. Ecquis vero jam dixerit, corpus tunc dici ſanum, quando pars una vel altera inepta eſt ad munus ſuum obeundum, cui deſtinatur? Quis v. gr. oculum dicet ſanum, quando ad videndum ineptus deprehenditur? Quis ventriculum dicet ſanum, quando ad cibos digerendos parum aptus obſervatur? Quis manum dicet ſanam, quando non ſine dolore movetur, aut is ejus ſtatus eſt, quo motus quidam alias poſſibiles prorſus conſequi nequeunt? Sanum igitur erit corpus eo in ſtatu, quo partes ſingulæ ad munia ſua obeunda apta deprehenduntur. Quamobrem ſanitas definitur per ſtatum corporis, quo ſingulæ ejus partes ad uſus ſuos omnes, quibus deſtinantur, aptæ ſunt. Definitio hæc ſtatum corporis ſani a ſtatu ægroti ſeu non ſani diſtinguit, atque

Digitized by Google

que adeo notio ſanitatis completa eſt. Quod vero etiam ſit fœcunda, mox oſtendemus diſertius. Notandum vero eſt, corpus animale in eo differre ab horologio, quod partes ipſius ſint denuo machinæ, quibus ſui præſtituuntur fines, & hæ denuo ex machinis aliis componantur. Nemo hoc ignorat, qui ex Anatomia fabricam corporis humani perſpexit, & ſingulorum partium uſum cognovit. Legat noſtrum de uſu partium tractatum Germanico idiomate conſcriptum, qui talia adhuc ignorat; neque ullus dubito fore, ut attentione ad ſingulorum cum horologio ſimilitudinem conſervata totus in noſtram ſententiam protinus abeat. Sanitas igitur & de toto corpore, & de ſingulis ejus partibus prædicatur, cum ſtatus iſte, quo corpus integrum ſanum dicitur, in ſingulas quoque partes conveniat, quatenus in ſe, non tanquam partes corporis conſiderantur. Nec abhorret hoc a communi loquendi uſu. Etenim oculum dicimus ſanum, ventriculum ſanum appellamus, perinde ac totum corpus, & vocabulum ſa-

nitatis in utroque caſu eodem prorſus ſumitur ſignificatu. Quando enim ſanitatem de oculo prædicamus, eum ipſius ſtatum deſignamus, quo ſingulæ oculi partes ita ſunt diſpoſitæ, ut viſioni inſerviant, cujus gratia ſtructuram oculi ingrediuntur. Et ſimiliter ventriculum ſanum dicimus, quando cibos bene digerimus; conſequenter eum per ſanitatem indigitamus ipſius ſtatum, quo partes ſingulæ ad eas functiones aptæ ſunt, quibus ciborum digeſtio abſolvitur. Notandum vero præterea eſt, integrum corpus humanum perinde ac quodvis ejus organum in eo a machinis artificialibus, veluti horologio, differre, quod multiplex machina ſit ob diverſos fines ſimul conſequendos. Ita oculus machina optica eſt, quatenus eſt organon viſorium; idem vero machina hydraulica eſt, quatenus fluida ad ſingulas oculi partes vehit ac revehit; idem aliarum machinarum rationem habet, quatenus ſpectatur ut pars corporis vivi, adeoque aptus eſt ad ſui conſervationem. Quemadmodum itaque oculus ſanus dicitur, quatenus

tenus eſt machina optica, dum ſingulæ partes apræ ſunt ad viſionem efficiendam; ſic ſimiliter idem ſanus dicitur, quatenus eſt machina hydraulica, dum ſingulæ partes ita conſtitutæ ſunt, ut modus fluidorum nullo prorſus modo impediatur, ſed ſingula libere fluant ac refluant; immo idem oculus dicitur ſanus, quatenus eſt pars corporis vivi, dum omnes ipſius partes ita conſtitutæ ſint, ut ad conſervationem totius oculi tendant. Multiplicem iſtum reſpectum qui non attendit, non modo in difficultates incidit, quas evitare potuiſſet, nullasque deprehendiſſet, ſiquidem animum ad illum advertere voluiſſet; verum etiam ſibi ipſi obſtaculo eſt, quo minus notionem ſanitatis adæquatam adipiſcatur.

§. 4. Iſta ſanitatis definitio utique tantummodo nominalis eſt, cum nonniſi per eam conſtet, vocabulum hoc non eſſe ſine mente ſonum, propterea quod ex Anatomia & Teleologia conſtet, ſtatum iſtum corporis eſſe poſſibilem. Sufficit autem in ſyſtemate nominalis definitio, cum ex ea *Qualis ſit illa ſanitatis notio.*

omnia deduci poſſint, quæ notionem ſanitatis ingrediuntur. Immo neceſſarium eſt, ut in ſyſtemate hinc ordiamur a definitione nominali, quia hæc maxime obvia eſt, nec res ipſa in controverſiam adduci poteſt; quod autem eam hoc nomine inſignire velis, prorſus arbitrarium, neque etiam difficulter probatur, ſignificatum non abhorrere a communi uſu loquendi. Quodſi objicias eam eſſe nimis abſtractam, nec ea continere, unde in omni caſu ſanitas agnoſci & dijudicari poſſit: notionem rei cum definitione confundis, nec ea, quæ ad definitionum applicationem ſpectant, diſtincte expendis. Utrumque non ignorat, qui in Logica veriori, qualem dedimus, ſatis verſatus fuit. Cum enim notionem rei ingrediantur prædicata ejus quæcunque, ſive abſoluta, ſive hypothetica; in definitionem tamen non admittuntur nec plura, nec pauciora, quam quæ ad eam agnoſcendam & ab aliis diſtinguendam ſufficiunt (o). Definitionem applicaturus oſtendere debes, ea, quæ in ipſa con-

(o) §. 153. Log.

Digitized by Google

continentur, omnia rei obviæ ineſſe; non autem opus eſt, ut intuitiva cognitione pateat, quod inſint; ſed ſufficit idem quacunque ratione demonſtrari. Certus eſſe debes, quod ea ſubjecto inſint, quæ definitionem ingrediuntur; parum autem refert, quocunque tandem modo ad illam certitudinem perveneris (p). Ceterum non video, cur mirum cuique videri debeat, definitionem ſanitatis terminis concipi admodum generalibus: vidimus enim eam prædicari & de toto corpore, & de ſingulis ejus partibus non ſimplici, ſed multiplici reſpectu, immo de partium corporis partibus abſolute conſideratis, tum etiam ad corpus relatis, & quidem reſpectu uſus, quem unicuique ad obtinendos fines totius corporis, Naturæ Autor tribuit. Partes illæ nonniſi in generali mechaniſmi notione inter ſe conveniunt, & ſingulorum uſus diverſi ſunt, nec niſi in generali quadam notione iidem ſunt, quatenus nempe tanquam media iisdem finibus ſubordinantur, & rationem poſ-

(p) §. 1218. Log.

Digitized by Google

ſibilitatis ſufficientem cum remotæ tum proximæ in ipſa partium notione habent. Status igitur ſingulis iſtis reſpectu uſus unicuique proprii communis nonniſi terminis generalibus concipi poteſt. Tantum vero abeſt, ut hoc obſtet vel claritati, vel foecunditati definitionis, ut potius utrique hac ratione omnium optime conſulatur. Etenim cum termini generales tanquam abſtracti nihil in notionem, quam deſignant, admittant, niſi quod ab omni alieno fuerit prorſus ſeparatum; ubi definitionem ad exemplum ſpeciale applicas, ut claritatem conſequaris, definitioni generali tanquam directrici acceptum referre debes, ne attentionem dirigas niſi in ea, quæ ad notionem ſanitatis trahenda ſunt, quaſi cetera non adeſſent. Et quoniam iidem termini generales in ontologicos reſolvuntur, quibus notiones directrices reſpondere me nuper (q) oſtendiſſe memini; poſtquam a nobis principia ontologica ad notiones fixas & determinatas ſunt reducta, ut habeant in ratiocinando uſum,

(q) in Trimeſtri vernali Num. III.

Digitized by Google

uſum, earum ope definitio ad plurima invenienda & accurate demonſtranda inſerviet, quæ alias vel attentionem noſtram ſubterfugerent, vel minus concinne enunciarentur, vel principiis parum convenientibus probata dubiis implicarentur.

Conſenſus Autoris cum Medicis quantus ſit.

§. 5. *Galenus* (r) via analytica in notionem ſanitatis inquirit, ſumens principium omnium conſenſu approbatum, quod omnes homines tunc ſe ſanos exiſtiment, cum partium corporis miniſterio ad eas, quæ in vita neceſſariæ ſunt, actiones, ſine aliquo vitio perfungi potuerint. Unde tandem colligit, ſanitatem eſſe naturalem omnium partium conſtitutionem, quemadmodum ſupra annotavimus. Quod igitur *Galenus* in definitionem admittit, id ex noſtra definitione neceſſario conſequitur. Etenim in ſuperioribus (§. 2.) jam obſervavimus, omnem corporis partem, qualiſcunque tandem illa ſit, per ſtructuram ſuam ad eam functionem diſpoſitam eſſe, quæ ab ea proficiſcitur, nec aliam ab eadem proficiſci poſſe,

(r) de differ, morb. c. 2, ſ. 2. cl. III.

poſſe, niſi ad quam per ſtructuram ſuam apta eſt, darique in corpore principium activum, quo functionum illarum actualitas determinatur. Quare ſi ſanitas is fuerit corporis ſtatus, quo ſingulæ ipſius partes ad ſuas functiones aptæ deprehenduntur (§ 3), quamdiu corpus ſanum eſt, partes omnino omnes ita conſtitutæ eſſe debent, qualis reſpectu finis totius corporis ipſarum conſtitutio requiritur. Ita ventriculi functiones ſunt cibi digeſtio & in inteſtina expulſio, quibus ad finem totius corporis, quatenus corpus vivum eſt, ejus ſcilicet conſervationem concurrit. Quodſi ergo ad has functionas aptus eſt, ita omnino conſtitutus eſſe debet, ut & cibos digerere, & digeſtos in inteſtina expellere poſſit. Et hanc naturalem ipſius conſtitutionem vocat *Galenus*. Ex iis autem, quæ a nobis clarius dicta ſunt, perſpicitur, unde naturalis conſtitutio æſtimanda veniat, ſcilicet ex uſu uniuſcujusque partis, quem habet vi finis totius corporis. Ex fine enim totius corporis

(s) §. 937. Ontol.

poris colligitur, qualis eſſe debeat uſus alicuius organi, nempe ut ſit medium finis obtinendi, adeoque aliquid contineat rationis, cur finis actum conſequatur, veluti ut in præſenti caſu ex digeſtione cibi ac ejus in inteſtina facta expulſione intelligatur, quomodo id ſerviat corporis conſervationi. Non igitur a *Galeno* diſſentimus; ſed a ſuperiori ſaltem principio exorſi ſumus, vi cujus definitio nominalis ſanitatis cum principiis ontologicis ita connectitur, ut, quæ in definitione *Galeni* obſcuriora videri poterant, luce ſua colluſtrentur. *Sennertus* veſtigia *Galeni* preſſit, nec ea *Boerhavius* dereliquit, & ex noſtra notione ſupplentur, quæ ab iis omiſſa videri poterant, atque explicantur, quæ lucem aliquam expectant. Etenim organorum functiones, in quibus ipſorum uſus conſiſtunt, non in ſolis actionibus conſiſtunt, ſed paſſiones ſimul involvunt. E. gr. ad actum viſionis non ſolæ actiones oculi requiruntur, verum etiam paſſiones ab agente extrinſeco, lumine in tranſitu per humorem chryſtallinum refracto. Et ſi quæſiveris, quænam actiones ſint ſecun-

cundum naturam, & quænam conſtitutio ſit naturalis; quid reſponderi debeat, modo diximus. Cumque exercitium actionum perfectum *Boerhavii* re ipſa conveniat cum *Sennerti* exercitio actionum ſecundum naturam & ejus dependentia a naturali partium conſtitutione, quoniam dudum invaluit mos confuſe percepta exprimendi terminis diverſis, etſi eadem ſint, prout unusquisque hos aliis ob familiaritatem clariores experitur; ideo perfectum quoque exercitium actionum non aliam admittit diſtinctam explicationem, quam quæ a conſenſu uſus organi cum fine totius corporis, quem non unum eſſe alibi demonſtravimus (t), derivatur. Nullum igitur mihi dubium ſupereſt, quin eadem ſanitatis notio viris in arte Medica ſummis obverſata fuerit, quam ego expoſui, etſi non iisdem prorſus verbis eam expreſſerint, quibus nos uſi ſumus. Enimvero nimis a noſtra definitione abire videtur *Ettmüllerus*, dum ſanitatem per vitæ integritatem definit. Sed nobis non deſperandum

(t) Vom Gebrauch der Theile §. 1. & ſeqq.

Digitized by Google

randum eſſe videtur de conciliatione definitionis *Ettmülleriana* cum noſtra. Nos ſanitatem ita definivimus, ut eodem ſenſu ad corpus totum & ſingulas ipſius partes applicari poſſit, propterea quod communis uſus loquendi fert, ut ſanitatem perinde de ſingulis corporis organis, ac de corpore toto prædicemus, immo ſanitas totius corporis ex ſanitate ſingularum partium ſimul reſultet. Vulgo autem ſanitatem ad ſolum corpus totum in definitionibus reſtingunt Medici, quemadmodum definitiones ſuperius (§. 1) adductæ omnes palam loquuntur. Ratio etiam manifeſta eſt ex ſuperioribus, quod nimirum non attenderint ad differentiam, quæ inter mechaniſmum corporis animalis & mechaniſmum artificialem intercedit. Jam quando ſanitas de organo aliquo corporis prædicatur, eum ipſius ſtatum deſignamus, quo ſingulæ partes ita diſpoſitæ ſunt, ut inſerviant ad conſequendum finem totius organi, cujus gratia ſtructuram ingrediuntur. Quamobrem ſanitas quoque corporis totius dici poteſt ejus

ejus ipſius ſtatus, quo ſingula ipſius organa ſeu ſingulae ejus partes ita diſpoſitæ ſunt, ut inſerviant ad finem totius corporis, cujus gratia ſtructuram corporis ingrediuntur. Quoniam itaque vita eſt finis totius corporis, cum quo ceteri connexi ſunt; per ſanitatem totius corporis intelligi poteſt ejus ſtatus, quo ſingulæ partes ita ſunt diſpoſitæ, ut vitæ corporis inſerviant, ſeu eos uſus habere poſſint, quos in corpore vivo concipere licet. Et hæc idea *Ettmüllero* obverſata fuiſſe videtur, dum ſanitatem dixit vitæ integritatem. Si enim pars aliqua corporis ita diſpoſita non eſt, ut ejus in eodem ſit uſus, qualis in corpore vivo eſſe debet, inepta ad motus ipſi convenientes, vita integra eſſe non videtur, cum perinde ſit, ac ſi ea in parte vita dificeret. Conſultius tamen judicamus clarius enunciari, quod tanquam principium ad ulteriora colligenda inſervire debet. Magis ſcopum noſtrum ferit definitio *Campanellæ*, ſanitatem per vitæ conſervationem definientis, cum vitæ conſervatio ſit

finis

Digitized by Google

finis corporis humani, a quo pendent ceteri, & in corpore ſano omnes partes ita diſpoſitæ ſint, ut ſuo unaquæque uſu eidem ſerviat. Ex tentata definitionum de ſanitate reconciliatione patet, non tantum eſſe inter viros egregios in re diſſenſum, quantus in verbis eorum apparet. Quando noſtro more philoſophabuntur, ſignificatibus terminorum fixis introductis, cum facultate bene cogitandi facultatem bene eloquendi conjungent, nec tot amplius comparebunt in ſcriptis virorum inſignium errores, quot nunc ſibi in iisdem deprehendere videntur de diſſenſu ex diverſitate vocabulorum ſtatuentes.

§. 6. Satis patet, quantus ſit nobis cum Medicis primi ordinis conſenſus. Oſtendendum porro eſt, quam ſit definitio noſtra fœcunda. Primo igitur notamus loco, eam commode inſervire evolutioni notionis ſanitatis, ut quantumlibet diſtincta & adæquata obtineatur. Sanum eſt corpus noſtrum, quando ſingulæ partes aptæ ſunt ad uſus ſuos omnes, quibus deſtinantur. Quamobrem in genere pa- *Quomodo notio ſanitatis evolvatur.*

tet, ope Anatomiæ addiſcendum eſſe, quot & quænam ſint partes corporis animalis, & ex quibusnam hæ denuo componantur. Ope obſervationum & experimentorum anatomicorum detegendus eſt uſus ſingularum partium, & ejus a priori ex ipſa partis eſſentia ac fine totius corporis, cui ſervit, reddenda eſt ratio; id quod inprimis eo in caſu apprime neceſſarium, ubi uſus a poſteriori vel non ſatis certo, vel non diſtincte ſatis patet, in omni autem caſu certitudinem cognitionis auget. Jam partes corporis organicæ ſunt & qua materiam mixtæ. Vſum igitur habent a ſtructura, & eodem inſerviunt fini corporis vi ſtructuræ totius corporis, hoc eſt, vi modi, quo organis aliis junguntur. Vt autem perdurent, mixtio materiæ, ex qua conſtant, ſalva eſſe debet. Quamobrem per ſtructuram ſuam aptæ ſunt ad ſuos uſus, & per modum, quo una alteri jungitur, aptæ ſunt ad promovendum finem totius corporis, & tamdiu aptæ permanent, quamdiu mixtio materiæ non ita immutatur, ut uſus partis impe-

Digitized by Google

impediatur, vel corrupta materia prorſus tollatur, & quamdiu cauſa nulla ſupervenit, quæ paſſiones & actiones partis ad functionem requiſitas ſufflaminat. Hinc omnino liquet, ut corpus ſit ſanum, & ſtructuram totius corporis & ſingularum ejus partium, & materiæ, ex qua eædem conſtant, mixtionem ſalvam, ſingulasque a cauſis accidentalibus, quibus earum actiones ac paſſiones turbantur, liberas eſſe debere. Cor eſſe machinam hydraulicam, cui circulatio ſanguinis per pulmones totumque corpus debetur, nemo hodie ignorat, qui in Anatomia & Philoſophia corporis humani non prorſus hoſpes eſt. Vi ſtructuræ ſuæ ſanguinem per venas affluentem in ventriculos ſuos admittit, eumque rurſus in arterias magno impetu expellit. Vt autem hoc ſuo munere defungi queat, a modo utique pendet, quo venarum atque arteriarum ſyſtemati jungitur. Quodſi ſtructura cordis læditur, v. gr. ventriculo alterutro transfoſſo, aut modus, quo venis atque arteriis jungitur, tollitur, veluti ſi

ponamus arteriam magnam prope correſecari; cor ad uſum ſuum erit ineptum. Similiter ſi ponamus muſculoſam cordis ſubſtantiam inflammari ac ita intumeſcere, ut contrahi amplius nequeat; ſanguini expellendo ineptum erit. Quodſi denique ponamus ulcere quodam deſtrui materiæ mixtionem, nec in hoc caſu ad motus ſuos continuandos aptum erit. Exempli cauſa hæc ita ponimus, ut dictis ſua conſtet claritas. Ceterum cum inſuper principium activum requiratur, ut, quæ vi ſtructuræ ſuæ ac totius corporis qualitatumque materiæ poſſibiles ſunt actiones ac paſſiones, actu contingant, quod naturæ nomine compellarunt veteres, & alio tempore a nobis diſtinctius exponetur; ad idem quoque in aptitudine partium ad ſuos uſus reſpiciendum eſſe ſuperius jam annotavimus. Ita ſola ſtructura cordis non ſufficit ad ſyſtolen atque diaſtolen ſuam peragendum, cum utraque per eam nonniſi poſſibilis intelligatur; ut vero actu fiat, principio activo opus eſt, quod qualecunque tandem fuerit, in præ-

ſenti

ſenti hobis perinde eſt. Quodſi jam principium iſtud activum alterari poſſit, ut vel vis ad movendum augeatur, vel minuatur; motus quoque cordis non erunt ordinarii, quales ad finem corporis conſequendum requiruntur. Quodſi impediri poſſit, ut in cor prorſus non influat; ipſum per modum inſtrumenti ſeſe habet, ſeu per modum antliæ non agitatæ, neque munere ſibi demandato amplius fungetur. Atque jam apparet, quomodo inveſtigandus ſit ſtatus corporis, quem ſecundum naturam eſſe dixerunt veteres, ut ſanitatis notionem diſtinctam & quantumlibet adæquatam adipiſcamur. Ita vero porro intelligitur, quam neceſſarium ſit Anatomiæ ac Phyſiologiæ eidem ſuperſtructæ ſtudium una cum obſervationibus atque experimentis anatomicis, ut ſanitatem intimius perſpicias. Quodſi porro memoria recolas, quæ de multiplici reſpectu unius ejusdemque partis ad multiplicem finem totius corporis dicta ſunt, eaque cum his contuleris, quæ modo uberius propoſuimus; nullus dubito

Mm 3 fore,

fore, ut prorſus convincaris, quam vaſta ſit ſanitatis notio. Singulis autem probe perſpectis & ita ordinatis, ut eorum mutua a ſe invicem dependentia comprehendatur, palam fiet, quænam ſint ea in corpore humano, quibus poſitis cetera ſimul ponuntur ad eum ejusdem ſtatum requiſita, ut partes ſingulæ functiones ſuas decenter obire poſſint. Quamobrem cum conſtet, inepte in definitione cumulari ea, quæ per ſe invicem determinantur (u), & imprudenter omitti ea, per quæ determinantur alia, cum ipſa per alia ſe priora minime determinentur (x); tum demum judicium fieri poterit, quænam in definitionem realem ſeu cauſalem admittenda ſint, ut certo asſeverare poſſis, iis poſitis in machina corporis humani cetera ſimul poni omnia, quæ ad eum ſtatum requiruntur, quo ſingulæ partes ad functiones ſuas aptæ ſunt, conſequenter quibus poſitis neceſſe ſit poni ſanitatem. Atque tum demum de definitione ſanitatis reali ſeu cauſali *Hoffmanniana* judicium firmum formare lice-

(u) §. 950. Log. (x) §. 153. Log.

Digitized by Google

licebit, quod ideo interponere noluimus, cum veritatis demonſtratio præſentis tractationis limites excedat. Ceterum patet, demonſtrationem veritatis definitionis realis præſupponere definitionem nominalem, niſi ipſa realis definitio in nominalem degenerare debeat, verendumque ſit, ne ab uſu loquendi recedens ſanitatis vocabuli ſignificatum vel arctioribus, vel amplioribus, quam quos idem fert, limitibus conſtringas. Obtinent hæc in omni caſu, in quo definitio realis reſpondere debet uſui loquendi. Quamobrem non inutili conſilio *Honoratus Fabri*, Societatis Jeſu, Mathematicus & Philoſophus eximius, qui ut methodum genuinam ſibi familiarem redderet multum operæ poſuit (y), in Synopſi Geometrica definitiones nominales præmiſit, & iis reales deinde ſubjecit, quæ figurarum iſtiusmodi proprietatibus præditarum geneſin continent.

§ 7. Corpus humanum vivum eſt, conſervatione indiget, ſentit atque ad *Vnde ſanitas agnoſcatur.*

(y) Vid. præfatio ad Tractatus de plantis, de generatione animalium & de homine, conf. præfatio ad Phyſicam §. 2.

mentis operationes concurrit, motusque voluntarios exercet; quæ cum unusquisque in ſe experiatur, ut prolixe probentur opus non eſt. Dantur itaque aliquæ ipſius partes, quarum *actiones* ad vitam neceſſariæ ac ideo *vitales* dicuntur. Dantur partes aliæ, quæ corpori continuæ tranſpirationi obnoxio conſervando inſerviunt, & quarum propterea *actiones naturales* appellantur. Dantur denique partes, quæ ſenſationi ac mentis operationibus motibusque voluntariis deſtinantur, & quarum *actiones* dicuntur *animales*. Quoniam in eo corporis ſtatu, cui Sanitatis eſt nomen, partes ſingulæ ad uſus ſuos, quibus deſtinantur, aptæ ſunt (§. 3.); in corpore ſano nulla actio, neque vitalis, neque naturalis, neque animalis impediri debet, multo minus earum ulla prorſus labefactanda. Quamobrem ſi certus fueris, triplex iſtud actionum genus rite ſeſe habere; certus quoque eris, te optima ſanitate gaudere. Etenim quamdiu actiones, quæ a partibus corporis proficiſcuntur, rite ſeſe habent, tamdiu etiam par-

partes ipſæ ita ſunt diſpoſitæ, ut ad uſus ſuos aptæ deprehendantur, earumque etiam paſſiones, quæ ad functiones concurrunt, rite ſeſe habere debent. Ad ſanitatem igitur qui attentum animum conſervare voluerit, is omnes omnino actiones vitales, naturales & animales ſibi cognitas atque perſpectas reddat, cumque pauciſſimæ per ſe in ſenſus incurrant, de aliis diſpiciat, quæ cum iis connexa ſunt quocunque modo, & in ſenſus incurrunt. Actiones vitales e. gr. ſunt motus cordis & reſpiratio. Reſpiratio per ſe percipitur, tum qualis ſit in inſpirando, tum qualis in expirando, ut adeo facile unusquisque ad ſemetipſum attendens de eadem judicare valeat, utrum rite ſeſe habeat, nec ne. Motus cordis itidem actio vitalis eſt; ſed non tam facile percipitur, quam reſpiratio. Enimvero ab eo ſanguinis in arteriis motus pendet, qui ex pulſu earum optime dignoſcitur. Quamobrem cum arteriarum pulſus ſit facile obſervabilis, nec difficile erit judicium de hac vitali actione, quæ maximi omnino

momenti eſt, modo pulſuum theoriam pragmaticam vel domeſtica experientia tibi comparaveris. Ad actiones naturales urinæ in renibus facta ſecretio & tranſpiratio inſenſibilis pertinet. An renes ſuo fungantur officio, ex quantitate urinæ per urethram emiſſæ haud difficulter judicatur. Enimvero tranſpiratio inſenſibilis cum ponderatione corporis *Sanctoriana* moleſte innoteſcat, per alia in corpore obſervanda indicia ſeſe prodit. Ita noctu bene perſpiraſti, ſi ſurgens nullum corporis pondus ſentis, ſed idem leve ac agile deprehendis. Ad actiones animales viſus & motus organorum corporis ſpectant. Viſus qualis ſit, per ſe patet: nec alia re præter attentionem opus eſt, ubi cognoſcere volueris, qualis ſit organi alicujus corporis, v. gr. pedum aut brachiorum motus. Actiones naturales obſervatu utplurimum difficiliores ſunt vitalibus atque animalibus; animales autem facillime omnium obſervantur. Pendent tamen & vitales & animales a naturalibus, ut adeo ex vitalibus

&

Digitized by Google

& animalibus judicium fieri queat de naturalibus. Quare naturalium obſervatio longe utiliſſima, & de iis adeo rite dignoſcendis ſollicitus eſſe debet, qui de ſanitate haud fallax judicium ferre decreverit. Noſtri tamen inſtituti ratio minime fert, ut actiones ſingularum ſpecierum ſingulas earumque mutuam a ſe invicem dependentiam expendamus, conſequenter ſingularum obſervandarum certam rationem præſcribamus. Sufficit enim oſtendiſſe, quæ vi definitionis ſanitatis obſervari debeant, ut de ſanitate corporis ſingularumque partium certus eſſe poſſis.

§. 8. Cum corpus integrum non ſit ſanum, niſi ſingulæ partes ſint ſanæ, nec ſingulæ partes ſint ſanæ, niſi harum denuo partes ſanæ ſint, in ſtatu autem ſanitatis ſingulæ partes ac partium partes ad uſus ſuos, quibus deſtinantur, aptæ eſſe debeant; ſanitas corporis earumque partium in poteſtate eſt, quatenus illam partium diſpoſitionem quocunque modo *Quo usque ſanitas ſit in poteſtate noſtra.*

modo conſervare valemus. Partium conformationem a natura habemus, nec ea in poteſtate noſtra eſt, niſi quatenus læſionem violentam avertere valemus, veluti nobis caventes, ne vulnus infligatur organon aliquod ad functionem ſuam ineptum reddens, e gr. ne cor transfodiatur, aut nervus aliquis motorius diſſecetur, aut cornea vulneretur, ut humor aqueus ex oculi bulbo effluat. Si hinc diſceſſeris, organorum conformatio damnum non patitur, niſi quatenus actiones naturales læduntur, dum v. gr. nutrimentum partibus ſingulis reficiendis commodum ac quantitate conveniente non advehitur, aut fluidorum motus quocunque modo impeditur. Eatenus adeo aptitudo partium ad functiones ſuas in poteſtate eſt, quatenus a cibo ac potu actiones vitales pendent. Quamobrem ad ſanitatem conſervandam alimentorum ſalubrium & inſalubrium rationem noſſe debemus, ut ab his abſtineamus, iſtis vero utamur. Conſtat experientia, aërem multis modis influere in actiones naturales;

quod

quod in calore & frigore inprimis manifeſtum eſt, non minus tamen in humiditate & ſiccitate paulo majore attentione utenti obvium. Eſt igitur ſanitas in poteſtate, quatenus a nobis pendet, ut aëris iſtas qualitates eidem convenienter moderemur. Conſtat præterea ſomnum plurimum ad hoc conferre, ut partes corporis ſint aptæ ad ſuos uſus, inprimis ad actiones animales. Quamobrem ſanitas in poteſtate eſt, quatenus ſomnus a nobis pendet. Conſtat porro uſu organorum corporis actionibus præſertim animalibus deſtinatorum conveniente ac moderato eorum aptitudinem ad uſus ſuos conſervari, uſu autem immoderato ac inconveniente tandem lædi. Quamobrem ſanitas in poteſtate eſt, quatenus uſus iſtorum organorum a nobis pendet. Conſtat etiam actiones cum naturales tum vitales ac animales ab excretionibus pendere, quibus corpori nocitura, poſtquam ab eo, quod ipſi utile eſt, ejiciuntur, veluti fæces alvi, urina, ſanguis menſtruus in fœminis, ac nitnius in per-

ſonis

Digitized by Google

ſonis cujusque ſexus. Quamobrem ſanitas in poteſtate eſt, quatenus excretiones in poteſtate habemus. Conſtat denique affectus animi in actiones omnis generis plurimum influere. Quamobrem ſanitas in poteſtate eſt, quatenus illorum regimen arbitrio noſtro ſubeſt. Ex his omnino abunde perſpicitur, quod ſanitas plurimum a nobis pendeat; at non minus perſpicitur, multam requiri rerum, quas dixere veteres, non naturalium notitiam, ubi in poteſtate eſſe debet, quatenus ſcilicet per eas corpus humanum alteratur. Atque hinc nata eſt Medicis ea Medicinæ pars, quæ *Diætetica* dicitur, & rectum ſex rerum non naturalium, aëris, cibi ac potus, ſomni & vigiliarum, excretorum & retentorum, motus & quietis atque affectuum animi uſum tradere debet. Quodſi in ea certam ac ſolidam doctrinam deſideres, ex principiis phyſicis per experimenta accurata comprobatis & phyſiologicis de naturali corporis humani ſtatu demonſtrandum eſt, quasnam alterationes inducant res non natu-

Digitized by Google

naturales, & quomodo per eas ſtatus naturalis corporis conſervetur. Immenſus adeo theoriarum utilium campus hic aperitur, unde praxes utiliſſimæ fluunt.

§. 9. Quodſi hactenus dicta omnia perpenderis, quanta Anatomiæ, Phyſiologiæ, Teleologiæ ſpecialiſſimæ, Phyſicæ aliarumque diſciplinarum ſubſidiariarum peritia præſupponatur, antequam ad ſanitatis notionem adæquatam & generi humano utilem perveniri detur, abunde intelliges. Neque amplius latebit, quanta ſit methodi accuratæ neceſſitas in tot ac tantis veritatibus examinandis, ordinandis ac inveſtigandis. Noſtra igitur conamina eo tendunt, ut præclare de genere humano merituris ſuppetias feramus, dum philoſophiam & certam & utilem præſtare allaboramus. *Notitia ad ſanitatis notionem adæquatam eruendam neceſſaria.*

Finis Trimeſtris æſtivi.

CON-

CONSPECTVS
TRIMESTRIS AESTIVI.

I.

De Voluptate ex cognitione veritatis percipienda. 167

II.

De Notione Subſtantialium, Naturalium & Accidentalium feudi. 248

III.

De homine nihil a ſeipſo habente juxta 1. *Cor. IV*, 7. 289

IV.

De Notione Sanitatis. 318

Digitized by Google

HORÆ SVBSECIVÆ MARBVRGENSES

ANNI MDCCXXIX,

QVIBVS

PHILOSOPHIA

AD

PVBLICAM

PRIVATAMQVE VTILITATEM APTATVR.

AVTORE

CHRISTIAN. WOLFIO,

CONSILIARIO AVLICO HASSIACO, MATHEMATVM AC PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO IN ACADEMIA MARBVRGENSI ET ORDINIS PHILOSOPHORVM p. t. DECANO, PROFESSORE HONORARIO PETROPOLITANO, SOCIETATVM REGIARVM BRITANNICÆ AC BORVSSICÆ SODALI.

TRIMESTRE AVTVMNALE.

FRANCOFVRTI ET LIPSIÆ MDCCXXX.
PROSTAT IN BIBLIOP. RENGERIANO.

Digitized by Goo

HORÆ SVBSECIVÆ MARBVRGENSES, ANNI MDCCXXIX.

Trimeſtre Autumnale.

§. I.

De Voluptate ex cognitione veritatis revelatæ percipienda.

§. 1.

Cum in Trimeſtri ſuperiori (a) de voluptate ex cognitione veritatis percipienda ageremus, noſtrum quoque judicium interponere promittebamus de voluptate, quæ ex veritatibus revelatis percipitur (b). Enimvero poſtquam tractatio in majorem molem excreverat, quam præſens inſtitutum ferre videbatur, quæ de voluptate ex veritatibus revelatis percipienda dicenda erant, in præſens trimeſtre differebamus (c). Fidem igitur noſtram liberaturi inquiremus, quanam in hoc genere prærogativa gau- *Inſtitutum Autoris.*

 deant

(a) Num. I. p. 167. & ſeqq. (b) loc. cit. §. 1.
(c) loc. cit. §. 22.

deant veritates revelatæ: quæ enim de voluptate ex veritatis cognitione percipienda in genere dicta ſunt, quin etiam ad revelatas applicari poſſint, dubium profecto nullum ſupereſt. Enimvero non jam repetemus, quæ nuper ſatis diſcuſſa ſunt; ſed ſingularia tantummodo in medium proferemus, quæ nonniſi veritatibus revelatis conveniunt. Nullus dubito fore, ut, qui ſalutari veritatum revelatarum cognitione pollet, eatum in ſeipſo veritatem experiatur. Neque dubito fore, ut, qui attenta mente hæc perlegit, voluptate hujus dulcedine capiatur, quamvis ea tum demum deguſtetur, quando quis voluptatem iſtam percipit. Deficit enim notioni ea claritas, quam ſenſus internus eidem affundit.

Veritatum revelatarum diviſio.

§. 2. *Veritates* revelatæ duplicis ſunt generis; aliæ mixtæ, aliæ puræ. *Mixtæ* dicuntur illæ, quæ ſimul rationis lumine innoteſcunt, ſeu ex principiis rationis a priori deduci, vel etiam a poſteriori ex obſervationibus colligi poſſunt. In hunc cenſum veniunt, quæ de attributis divinis & Deo conditore ac conſervatore hujus univerſi docentur a Viris di-

Digitized by Google

divino ſpiritu afflatis: etenim ea in Theologia naturali ex principiis rationis non uno modo demonſtrari poſſunt, modo artis demonſtrandi fueris peritus. Huc etiam pertinent, quæ de officiis hominis erga Deum, erga ſeipſum & erga alios docentur, quatenus Deus ſpectatur tanquam creator, conſervator & gubernator hujus univerſi, homines vero tanquam creaturæ rationis uſu pollentes: ea enim in philoſophia morali demonſtrari poſſunt, modo principiis genuinis fueris inſtructus, & vera methodo uti noveris. *Puræ* appellantur illæ, quæ, cum rationi ſibi relictæ ſint imperviæ, ſola revelatione innoteſcunt. In hunc cenſum veniunt, quæ de magno redemtionis opere nobis patefacta ſunt, quæ de regno gratiæ, quæ de regno gloriæ, immo quæ de ſtatu hominis poſt mortem in genere traduntur. Huc etiam pertinent, quæ de officiis hominis chriſtiani præcipiuntur in ſacris, ex notione Dei tanquam Salvatoris atque Chriſti mundi redemtoris, & notione hominis tanquam a Chriſto redemti & ſupernaturali Spiritus S. regniti fluentia. Singula enim talia ſunt, quorum

veritatem ſolo rationis uſu nemo aſſequatur. Pertinet huc præterea nova obligatio ad officia jure naturali præcepta, quæ ex iisdem notionibus derivatur; alia ſpecialiora nunc non commemoramus.

Voluptas percipienda ex veritatibus mixtis.

§. 3. Ex veritatum mixtarum cognitione non uno modo voluptas percipitur, dum eædem tanquam mixtæ cognoſcuntur, hoc eſt, dum conſenſus inter revelationem & rationem percipitur Animus voluptate perfunditur, quoties videmus aliis quoque innotuiſſe veritatem, quam nos cognovimus, niſi quid ſit, quod animum in transverſum rapiat, ut ſiniſtro quodam affectu illa ſuffocetur. Quamobrem jucundum quoque nobis accidit, ubi ſcriptoribus ſacris veritatem innotuiſſe obſervamus. Et cum nobis placeat veritatis cognitio in altero, ubi affectu nullo præpeditus fuerit animus; amore in eos ferimur, quos veritatis cognitione vel olim fuiſſe imbutos, cum viverent, vel nunc imbutos eſſe agnoſcimus. Nulla igitur ratio eſt, cur non idem amor excitetur in nobis, quoties Autores ſacros ea docere legimus, quæ veritati conſentanea jam ante

Digitized by Google

ante cognovimus. Eſt vero in iisdem ſingulare quid, cujus gratia veritas ipſis agnita magis delectat. Viri enim divini veritates maximi momenti, veluti de beatitudine æterna & mediis eam conſequendi, docuerunt; quæ ut vera ſint optare vel maxime debet, qui a veritate revelata alienum adhuc habet animum. Maxime igitur jucundum accidit, ubi veritatis aſſertores deprehendimus, quos tanquam veritatis teſtes veneramur. Atque hæc voluptas utilitate ſua non deſtituitur: animum enim hominis ad aſſenſum veritatibus pure revelatis præbendum diſponit, attentionem ad eas excitat atque conſervat, & ſtudium in eas inquirendi accendit. Voluptati igitur illi tribuendum, quod inter motiva credibilitatis, quæ appellant Theologi, & per quæ ipſorum judicio nobis credibile redditur ſcripturam ſacram eſſe verbum Dei (d), veritatum mixtarum cum ratione & obſervatione conformitas referenda. Inprimis autem uſui eſt, ubi veritates mixtas divino quoque aſſenſu complectitur; ſed cum

 dein-

(d) Vid. Bechmannus in Annot. ad Compend. Hutteri loc. 1, quæſt. 4. §. 8. p. 24.

deinceps ex inſtituto ea de re dicturi ſimus, nihil quidem anticipare lubet. Oriuntur ſubinde hominibus etiam piis ſcrupuli circa veritates puras, immo nonnunquam circa ipſas mixtas, quod tentationis tempus appellari ſuevit. Quodſi circa puras oriatur ſcrupulus, & attentione ad mixtas facta earum vel cum ratione, vel cum experientia, præſertim domeſtica, conformitas percipitur, voluptas inde percepta dulcior, quatenus aliquod tædii ex ſcrupulis percepti affert lenimentum: tædium enim non ante prorſus tollitur, quam ubi aſſenſu divino veritates puras denuo amplectitur, qui in dubitationem fuerat adductus.

Voluptas percipienda ex modo, quo veritates mixtæ enunciantur.

§. 4. Singulare autem voluptatis genus eſt, quod ex modo, quo veritates mixtæ enunciantur, percipitur; quod ut clarius intelligatur, attenta mente perluſtrentur exempla, quæ in his ipſis Horis ſubſecivis propoſuimus. Inſunt enim iiſdem generalia, quæ ad notionem præſentem ſpectant, nec difficulter inde abſtrahuntur, modo in generalibus a ſpecialibus abſtrahendis fueris verſatus.

tus. Expendimus (e) verba Chriſti, quibus animum ab omni vindictæ cupidine alienum explicat, ita ut ab aliis offenſus illibatum conſervet erga eum amorem, quo homo hominem complecti debet, nec ulla ex parte odio contaminetur, quo in transverſum abripitur animus. Verba illa primo adſpectu inſinuare videntur, quod rationi prorſus contrarium: jubet enim Chriſtus impingenti colaphum in dexteram malam obvertere etiam alteram. Vbi vero in notionem inquirimus, quam in animo audientium excitare debent, & præjudicia perpendimus, quibus non obſtantibus ea oriri debet; non alia verba his aptiora reperire licet. Sane quo quis in verborum theoria regulas convenientiſſimas ſeligendi præſcribente fuerit magis verſatus; eo clarius atque diſtinctius demonſtrabit, quod illa ſelectiſſima ſint. Habemus adeo veritatem ſublimem, ex genuinis principiis rationis demonſtrabilem, verbis communibus, ſed adeo ſelectis expreſſam, ut ea notionem illi reſpondentem in animo præjudiciis præpedito excitare valeant,

Nn 5 etſi

(e) In Trim. Vernal. n. V. p. 350. & ſeqq.

etſi eam nunquam habueris, non ſecus ac ſi rem verbis denotatam tibi familiarem experireris, & a præſente notionem abſtraheres. Talia qui perpendit, & perfectionem, quæ modo enunciandi ineſt, & multiplicem loquentis perfectionem ſentit. Quamobrem dubitari nequit, quin animus ejus intenſiſſima voluptate perfundi debeat. Similiter (f) verba Apoſtoli diſcuſſimus, quibus animis Corinthiorum ad ſuperbiam pronis motivum humilitatis inſtillare conabatur, dum ipſis ad animum revocabat, quod nihil habeant a ſeipſo. Etſi enim verba primo adſpectu trita videantur, nec ſublime quid ſpirent; accuratius tamen excuſſa non modo ſenſum latum fundunt atque profundum, verum etiam adeo ſelecta deprehenduntur, ut nec diſcuſſis circumſtantiis ſingularibus quidpiam vel ſummo acumine detegi poſſit, in ſeligendis verbis attendendum, quod ab Apoſtolo non fuerit obſervatum. Si cujus animus ad talia attentus voluptate non perfunditur, etſi nullo affectu contrario impediatur, non alia ſane de cauſa id accidit, quam ut

(f) In Trim. æſtiv. n. III. p. 289.

Digitized by Google

ut ſenſum illius perfectionis nondum habeat, quæ ex connubio facultatis cogitandi cum facultate eloquendi reſultat. Nec verba Chriſti de animo ab omni vindictæ cupidine alieno, nec illa Apoſtoli de homine nihil a ſeipſo habente ſtudio elegimus exempla daturi, quibus regularum noſtrarum logicarum & notionum ontologicarum in ſcriptura ſacra interpretanda utilitas commendatur; ſed ea ſumſimus, quæ tunc temporis memoria per rationes prorſus extrinſecas prima ſuggerebat. Quamobrem abſit, ut quis ſibi perſuadeat in aliis verbis Chriſti atque Apoſtolorum, ceterorumque virorum divino ſpiritu afflatorum non eandem ſenſus ſublimitatem cum verborum ſimplicitate conjungi, nec ea adeo exquiſita eſſe, ut omnibus electionis regulis fuerit ſatisfactum. Nullum igitur dubium eſt, quin hoc voluptatis genere continuo fruatur, qui ad legendam ſcripturam accedit, poſtquam ſeveriori rerum & verborum philoſophia animum imbuit. Experta loquimur, ac ideo non ſimplici vice monuimus, ſive res, ſive verba ſpectes, philoſophiæ noſtræ in veritatibus mix-

mixtis optime cum ſcriptura ſacra convenire. Hæc voluptas in præparando animo ad aſſenſum veritatibus puris præbendum maximum habet uſum: auget enim eam, quæ ex conformitate veritatum mixtarum cum ratione percipitur. Quamobrem cum illa præparatio voluptatis iſtius effectus ſit(§. 3.), ecquid mirum, ſi una cum cauſa effectus capiat incrementum? Præterea eadem voluptas ardorem legendi ſcripturam ſacram cum maxima, quam adhibere nobis datum eſt, attentione excitat: cum enim dulcedine ejus capiamur, deſiderium ſui in nobis relinquit, quod expleturi objectum appetimus, eadem denuo nos perfuſurum.

Voluptas percipienda ex veritatibus mixtis, quatenus eas aſſenſu divino amplectimur.

§. 5. Etſi veritates mixtæ non modo per principia rationis demonſtrari, verum etiam per obſervationes confirmari poſſint, ut naturalis conſequatur aſſenſus; nemo tamen chriſtianorum dubitat, easdem quoque aſſenſu divino comprehendi poſſe, qui Spiritus S. gratiæ ac verbi divini efficaciæ tribuendus. Nos hic ſupponimus, quod a Theologis demonſtratur. Qui veritatem aliquam aſſenſu divino complectitur, is

eam

eam verbum Dei eſſe agnoſcit, conſequenter eidem aſſentitur propter autoritatem Dei, quem nec omniſcium falli, nec ſumme bonum fallere poſſe novit. Quodſi jam veritatem mixtam admittimus tanquam verbum Dei, ejus cum ratione atque experientia conformitas experimenti loco eſt, quo veritas agnita confirmatur. Demonſtratio igitur & obſervatio examinibus reſpondent, quibus certiores reddimur, nos in veritate dijudicanda non aberraſſe a vero. Vbi veritatem examinibus comprobari deprehendimus, voluptate perfunditur animus. Equidem id alias inde accidit, quod facultatibus ad veritatem inveſtigandam vel dijudicandam requiſitis recte nos uſos eſſe appareat, conſequenter in præſenti examinibus tribui non poſſe videtur, quod iisdem convenit, quoties ſolo naturali facultatum uſu veritatem aſſecuti ſumus: habent tamen & in præſente caſu examina, cur delectent. Etenim hoc ipſo confirmatur, quod non temere aſſenſum noſtrum in autoritatem Dei dicentis reſolverimus, atque idcirco volupe nobis eſt agnoſcere, quod adeo tutum ſit

aſſen-

aſſentiri veritatibus, quas a Deo revelatas credimus. Hæc voluptas nos impellit ad defendendam ſcripturæ ſacræ autoritatem adverſus eos, qui eam in dubium vocant, uſi hoc argumento, quod veritatum mixtarum conformitatem cum ratione atque experientia deprehenderimus, & inprimis in ſimplicitate verborum ſenſum admodum profundum latere intellexerimus. Eadem voluptas nobis quoque ſtimulum addit, ut veritates mixtas, quas ex ſcriptura ſacra nobis familiares reddidimus, duplici iſti examini ſubmittamus, ſicque omnes omnino facultates in veritatis agnitionem impendamus. Plurimum vero refert, in veritatis alicujus cognitionem facultates omnes impendi: etenim tum metuendum non eſt, ut quædam nobis ſuboriantur dubia, quibus aſſenſus in diſcrimen adducatur. Extra hoc periculum conſtituti inprimis eſſe debemus, ubi veritates in actionum liberarum determinationem influunt, quales ſunt mixtæ in ſcriptura ſacra contentæ. Neque enim ea veritates alio fine proponit, quam ut iisdem utamur ad ſtudium virtutis proſequendum.

dum. Qui veritates mixtas tanquam verbum Dei aſſenſu divino amplectitur; ejus aſſensus multo fortior eſt illo, qui vi demonſtrationis, vel obſervationis extorquetur. Quodſi poſterior priori ſuperaccedat, multo minus dubitari poteſt de majore firmitatis gradu. Enimvero veritates, ubi motivorum vicem ſubeunt, tanto efficacius movent voluntatem, quo firmiori nituntur asſenſu. Quamobrem efficaciæ hujus nobis conſcii quin peculiari quodam voluptatis genere perfundi debeamus, nemo profecto in dubium vocabit, niſi qui rationem nondum ſatis perſpicit, ob quam oriri ſolet voluptas. Capit voluptas iſta incrementa ab ardore, quo in virtutem ferimur. Etenim qui ex virtute voluptatem percipit, ac ideo eam appetit, is voluptatem quoque percipit ex ſingulis, quæ ad virtutem conſequendam vel augendam quidpiam afferunt adjumenti. Atque hoc nomine de ipſo aſſenſu divino, cujus in nobis efficaciam experimur, tanquam bono eximio gaudemus. Sed idem in veritatibus puris obtinet. Plura igitur paulo poſt dicturi ſumus.

§. 6.

Voluptas percipienda ex nexu veritatum revelatarum inter ſe.

§ 6. Monui jam alias, cum de interpretanda ſcriptura ſacra agerem (g), inter veritates puras nexum intercedere ſimilem ei, qualis inter veritates naturales intercedere deprehenditur, ita ut veritatis unius ratio per alteram reddi poſſit. Quamobrem cum notio ſubjecti contineat rationem ſufficientem prædicati (h); per eam demonſtrabilis eſt propoſitio, ſuppoſitis propoſitionibus aliis revelatis. Et nexus idem in cauſa eſt, cur veritates revelatæ in ſyſtema veri nominis, quale alibi (i) delineavimus, redigi poſſint: neque enim alia ratio eſt, cur veritatum quidam complexus in ſyſtema redigi poſſit, quam quod unius ratio ex aliis reddi queat, adeoque propoſitiones & definitiones ita ordinari poſſint, ut quibusdam poſitis ceteræ inde continuo nexu demonſtrentur. Quodſi objectum conſideres, circa quod veritates puræ verſantur, nexum illum ex eodem colligere licet. Veritates enim puræ verſantur circa medium reſtituendi imaginem divinam amiſſam. Finis adeo, ad quem tendunt, eſt imaginis divi-

(g) §. 989. Log. (h) §. 130. Ontol. (i) in Trimeſtri brum. n. 3. §. 3. p. 109.

divinæ per lapſum Adami amiſſæ reſtitutio. Quare cum Deus ſapientiſſimus ſit, neque adeo eligat niſi media fini conſequendo aptiſſima, media autem tum demum fini conſequendo apta deprehendantur, ubi ex eo illorum ratio reddi poteſt; ac Deus præterea vi ſapientiæ fines particulares alios ultimo ita ſubordinare debeat, ut ſeſe habeant propiores per modum mediorum ad remotiores: veritates revelatæ puræ omnino omnes eo modo ad ſe invicem referri poſſunt, ut aliarum ex aliis ratio continuo reddatur. Nos ipſo facto edocti ſumus talem nexum inter veritates revelatas intercedere, neque de eo proferimus, niſi quæ in nobis ipſis experti ſumus. Nexus adeo duplex in veritatibus puris obſervari poteſt. Alius particularis eſt, ubi veritatis unius ratio ex altera redditur; alius univerſalis, ubi omnes veritates eo ordine diſponuntur, ut ſequentium ratio reddatur continuo per antecedentes. Nexum particularem hactenus oſtenderunt multi, cum in ſcriptis Theologorum non infrequens ſit, ut veritatum purarum ratio ex aliis reddatur, ipſa præeunte ſcriptura ſacra; univer-

ſalem tamen publice adhuc nemo demonſtravit, non quod fuerint Theologi pii ac eruditi, qui eas animo complexi ſunt notiones, quibus ſyſtema veri nominis continetur, ſed quod hactenus Mathematici propemodum ſoli eam ſibi compararunt facultatem, quæ ad notiones diſtincte enunciandas, & quæ iisdem reſpondent, propoſitiones ita ordinandas requiritur, ut ſequentium ratio continuo pateat per anteriores. Quoniam nexus veritatum revelatarum ſapientiam Dei loquitur, dum particularis quicunque percipitur, ſenſum quendam ſapientiæ divinæ habemus, adeoque voluptate perfunditur animus, quam primum veritatis revelatæ fuerit convictus. Quare cum nexus univerſalis Numinis ſapientiam multo magis palam faciat; haud difficulter inde colligitur, quantum eſſe debeat voluptatum prædominium, ubi eundem intueri nobis datur, conſequenter quanto gaudio perfundi debeat animus, quoniam gaudium in prædominio inſigni voluptatum conſiſtere conſtat. Quemadmodum vero nexus particularis teſtimonium aliquod veritatis præbet iis,

quæ

quæ a Deo revelata ſunt, cum propoſitiones de rebus revelatis in eo ſimiles ſint propoſitionibus naturaliter veris, quod notio prædicati determinetur per notionem ſubjecti, in notione autem ſubjecti nulla impoſſibilitas appareat, etſi poſſibilitatem demonſtrare non valeamus (k); ita multo magis nexus univerſalis veritatum revelatarum veritatis teſtimonium præbet, quod ſine omni nexu ſyſtematico in ſcriptura ſacra propoſita adeo pulchre inter ſe conſpirent, ut in ſyſtema maxime harmonicum redigi poſſint. Cum igitur veritates revelatæ vel hoc ipſo nomine voluptatem creent in animo ejus, qui divinitus revelata vera eſſe exoptat, quod nihil in iis falſi deprehendat; nexus autem univerſalis palam loquatur, quam ſint ab omni contradictione liberæ: voluptas, quæ ex nexu veritatum revelatarum percipitur, nova hac ſuperaccedente, augetur. Et hæc omnino voluptas firmum præſtat præſidium adverſus quoſcunque ſcrupulos, qui quacunque de cauſa in animo noſtro ſuboriri poſſunt, cum attentionem noſtram in

(k) §. 524. 533. Log.

nexum iſtum alliciat, qui inter motiva credibilitatis haud infimum tenet locum. Vbi vero probabilis quidam aſſenſus adeſt, homo non amplius reluctatur ſpiritui ſancto aſſenſum firmum atque certum vi ſupernaturali in eodem producenti. Firmum iſtum aſſenſum dum in ſe experitur, de nexu veritatum revelatarum porro lætatur, quod nactus fuerit argumentum eorum, quæ divinitus revelata ſunt, veritatem defendendi, cum ad veritatem defendendam ſufficiat oſtendere, quod ſit a contradictionibus libera. Enimvero ubi nexum veritatum revelatarum, præſertim univerſalem, perſpicimus, ipſam quoque perfectionem intuemur, quæ œconomiæ ſalutis ineſt. Æſtimatur enim perfectio ex conſenſu eorum, quæ rei inſunt, & conſenſus ex tendentia ad eundem finem, quemadmodum nuper jam inculcavimus. Quare cum ex nexu univerſali appareat, quomodo omnia ad eundem finem tendant; perfectio, quæ œconomiæ ſalutis convenit, omnino inde agnoſcitur. Oritur adeo inſignis prorſus in animo hominis regeniti voluptas, cum gradus voluptatis con-

Digitized by Google

convictioni reſpondeat. Quodſi vero quis veritates iſtas aſſenſu divino nondum amplectatur, aliquid tamen voluptatis jam inde percipere debet, qua animo inſtillatur cupido aliqua in veritatem illam inquirendi, qualem invaſiſſe legimus animum *Agrippæ* de rebus divinis Apoſtolum loquentem audientis (l). Non igitur inanem operam ſumeret, qui veritates divinitus revelatas in ſyſtema veri nominis redigeret.

§. 7. Quamvis vero veritates revelatæ ex principiis rationis demonſtrari nequeant, neque omnes ex aliis anterioribus demonſtrari poſſint, ſed quædam admittenda ſint tanquam axiomata, quæ in autoritatem Dei revelantis unice reſolvenda ſunt; hoc tamen non obſtante doceri poteſt, quod ſint Deo dignæ, adeoque attributis ipſius conveniant. Scilicet ubi ad attributa divina animum advertis, ex iis quidem veritates revelatas tanquam ex principiis neceſſariis inferre minime licet, cum decretum liberationis nulla abſoluta neceſſitate ex eſſentia Dei fluat; ſed cum idem ſit liberrimum, ex illis tantummodo *Voluptas percipienda ex veritatum revelatarum cum attributis divinis convenientia.*

(l) Act. XXVI.

do intelligitur, convenienter Deum talia decreviſſe, qualia in ſcriptura ſacra fuere revelata, nec quicquam eorum Deum dedecere. Hoc ipſo igitur agnoſcimus, Deum agere, quod majeſtatem divinam deceat; quod quia perfectionem Dei loquitur, ex eo utique voluptatem percipere debemus. Enimvero dum in Deo nobis placet, quod agat modo attributis ſuis conveniente; hac ipſa voluptate in nobis accenditur deſiderium Deum imitandi, ut non modo agamus vitam homine rationis uſu valente, ſed inprimis Chriſtiano, dignam. Immo ipſius Dei nonniſi ſe digna decernentis ac exequentis exemplum tanquam exemplar nobis proponimus, ut mentis noſtræ aciem in ipſum convertentes perſpiciamus, quid fieri debeat, ut vitam homine ac inprimis chriſtiano dignam agamus. Habemus adeo medium obedientiæ, quam Salvatori optimo debemus, dum nos perfectos eſſe jubet, quemadmodum Deus perfectus eſt. Voluptatis adeo hoc genus totum practicum eſt, nec diverſa quoque ab eadem deprehenditur quævis alia, quæ ex veritatis revelatæ cognitione

Digitized by Google

tione percipitur. Vtinam hæc perpenderent, quotquot de veritatibus ſalutaribus diſceptare, quam eas in uſum practicum convertere malunt! Ita enim fore non dubitamus, ut miſſis altercationibus hominem rationis uſu eminentem parum decentibus multoque magis chriſtianum deformantibus de veritatibus theoreticis ad dirigendas actiones applicandis ſerio cogitarent.

§. 8. Verum enim vero veritates revelatæ in univerſum omnes mirifice influunt in praxes, ſeu exercitium virtutis, quatenus actionum voluntati divinæ conformiter dirigendarum motiva præbent. Influxus longe præcipuus eſt, qui in Theologia morali explicari debebat. Dudum nimirum in philoſophia morali oſtendimus, virtutem hominis chriſtiani etiam materialiter differre a virtute hominis ſolo naturæ lumine utentis, quatenus ille ſingularum actionum liberarum motiva deſumit ab opere redemtionis & univerſa œconomia ſalutis, & quatenus ipſum redemtionis opus ipſaque œconomia ſalutis regulas quasdam generales ſuppeditat, quæ loco normæ inſervire poſſunt, ad quas actiones

Voluptas percipienda ex influxu veritatum revelatarum in praxin.

componendæ, ut fiant legi naturali conformes. Sane qui motivis iſtis, qui hac norma utitur, is demum vitam chriſtiani vivit. Docui quoque in philoſophia morali, his ipſis motivis, hac ipſa norma plurimum facilitari exercitium virtutis, ita ut hoc lumine ſupernaturali ac connexis cum iſto viribus ſupernaturalibus adjuti præſtare valeamus, quod vires naturales longe ſuperat. Qui veritates ſupernaturales cognoſcit, is etiam illarum influxum in exercitium virtutis perſpicit, immo ubi Spiritus S. gratia illuminatus fuerit, eundem in ſemetipſo experitur. Quamobrem cum ex virtute voluptatem percipiat, qui eidem deditus, & ejusdem pulchritudine capiatur, qui eam intimius novit, quemadmodum ſuo tempore a priori demonſtraturi ſumus, & ex iis colligitur, quæ in philoſophia morali idiomate patrio conſcripta de virtute jam demonſtravimus: ex veritatibus revelatis voluptatem percipere debet virtutis ſtudio deditus, qui earum adeo eximium uſum ad virtutis ſtudium promovendum agnoſcit. Oſtendimus in moralibus, felicitatem individuam virtutis comi-

mitem eſſe, nec ſine ea ad eam perveniri poſſe. Quamobrem virtutem tanto majoris æſtimat, quicunque ejus pulchritudine capitur, quo intimius ejus cum felicitate nexum perſpicit. Quare nec aliter fieri poteſt, quam ut gaudio perfundatur animus, dum nexus veritatum revelatarum cum virtute convincitur. Enimvero nemo hæc rectius intelligit, quam qui a nobis dicta in ſemetipſo experitur. Danda igitur opera eſt, ut ea unusquisque in ſemetipſo experiatur. Neceſſe igitur eſt, ut ſalutarem veritatum revelatarum cognitionem acquirere ſtudeat. Etenim ubi eædem altas in ejus animo egerint radices, & ubi de iisdem convictus fuerit Spiritus S. gratia, ut divino aſſenſu easdem complectatur; fieri profecto haudquaquam poterit, ut oblata occaſione iisdem tanquam motivis utatur, etſi nondum fuerit edoctus, quænam datarum actionum motiva ſubire queant. Quare ubi ſerium ipſi fuerit virtutis ſtudium, & quantum præſidium in iſtis motivis poſitum ſit, & quanta ex hac ipſa cognitione oriatur voluptas, opere ipſo intelliget. Atque ita demum ex

Digitized by Google

ſeipſo addiſcet, & quomodo a nobis dicta intelligi debeant, & quod eadem ſint veritati in ſingulis conſentanea.

Voluptas percipienda ex eo, quod veritates rerum revelatarum in nobis ipſis experiamur.

§. 9. Monui nuper (m), veritatem tum demum, nempe a priori, cognoſci, dum perſpicitur, quomodo prædicatum per ea, quæ in notione ſubjecti continentur, determinetur. Quamobrem veritatem quoque rerum revelatarum inſpicimus, dum earundem nexum, de quo ante (§. 6.) dixi, perſpicimus, ut adeo voluptas illa, quæ ex nexu veritatum revelatarum percipitur, potiſſimum hic ſibi locum vendicet. Enimvero veritas eorum, quæ revelata ſunt, etiam a poſteriori agnoſcitur, dum eorundem experimentum in nobismetipſis habemus: neque enim ſolum notiones clariſſimas conſequimur plurimorum, quas ante vel non habebamus, vel non ſatis claras experiebamur (n); verum etiam de veritate eorum, quæ in nobismetipſis præſentia intuemur, dubitare amplius non poſſumus (o). Ipſemet Salvator optimus hanc veritatem rerum revelatarum cognoſcendi viam com-

(m) In Trimeſtr. æſt. n. 1. §. 3. pag. 172. (n) §. 971. Log. (o) §. 170. Ontol.

commendat (p). *Si quis*, inquit, *voluerit voluntatem ejus* (qui miſit me) *facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego a me ipſo loquar.* Dum vero veritatem rerum revelatarum, quæ ſtatum reparationis & regnum gratiæ concernunt, in nobismetipſis experimur; & eas citra aberrationem a vero ſenſu clariſſime intelligimus, & veritatis ipſius longe certiſſimi evadimus. Exemplo nobis eſt *Petrus* (q), qui propria experientia edoctus confirmabatur in veritate eorum, quæ Spiritus S. ipſi revelaverat, *quod Deus non ſit acceptor perſonarum, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus ſit illi.* Quoniam itaque voluptate perfunditur animus, immo potius gaudio effertur, dum veritatis rerum revelatarum certiſſimi evadimus; quin gaudio prorſus ſingulari perfundamur, dum experimentum veritatum revelatarum in nobis ipſis capimus, nemo ſane dubitare poteſt, niſi qui & omnem voluptatis geneſin prorſus ignorat, & ab iſtiusmodi experimentis etiam in naturalibus fuerit procul remotus. Enimvero voluptas

(p) Joh. VII. 17. (q) Act. X. 34.

ptas iſta ſtimulat attentionem noſtram, ut omnem mentis aciem in ideam rei præſentis intendamus, atque adeo unusquisque pro facultatibus mentis ſibi conceſſis vel clariſſimam, vel diſtinctam maxime acquirat rerum hoc modo confirmatarum notionem. Eadem ſenſum certitudinis cum notione rei firmiter connectit, ut, quoties de ea cogitamus, notio absque ſenſu certitudinis nunquam recurrat. Atque inde eſt, quod magna veritatis fiducia de rebus illis loquamur, nec ſine commotione animi præſentibus clare admodum perceptibili de iis verba proferamus. Qui exemplum *Petri*, ad quod modo provocavimus, ſatis attente perluſtrare voluerit, is horum omnium veritatem in eodem perſpiciet; lætabitur autem, quamprimum ſingulorum hactenus dictorum veritatem in ſemetipſo experturus. Enimvero cum dentur veritates de vita, morte, reſurrectione ac aſcenſione Chriſti in cœlum, de ſtatu hominis poſt mortem, de regno gloriæ, aliæque, quarum experimentum in nobis capere non licet, vel quia res dudum præteritæ, vel quia demum futuræ ſunt;

ſen-

Digitized by Google

ſenſus tamen certitudinis, quem experimentum cum iis veritatibus conjunxit, quas cum aliis connexas perſpicimus, & ad eundem autorem Deum referimus, ad omnem omnino veritatem revelatam diffunditur, ita ut perinde ſit, ac ſi rebus præteritis ipſimet interfuiſſemus, cum acciderent, & futura præſentia intueremur. Poteramus idem Apoſtolorum aliorumque martyrum exemplis docere: enimvero quamvis nos ad experimentum invitare debeant aliorum exempla, idcirco attenta mente recolenda, mallemus tamen, ut unusquisque eadem in ſeipſo experiri conetur.

§. 10. Quodſi objectum veritatum revelatarum cogites, de quo ſupra (§. 2.) locuti ſumus; haud difficulter animadvertes plurimas eſſe veritates, quas nemo ad ſeipſum applicare poteſt, niſi una animus inſigni prorſus gaudio efferatur. Enimvero cum nobis jam non propoſitum ſit exponere voluptatem, quam ex rebus revelatis percipit, qui veritates revelatas divino aſſenſu complectitur, easque ad ſe applicat, qui in ea acquieſcimus, quam ſola cognitio offert; noſtri quoque in præſente inſtituti non *Voluptas percipienda ex objecto veritatum revelatarum.*

eſt,

eſt, de iſtis voluptatum generibus pro diverſitate objectorum, unde oriuntur, diverſis ſententiam dicere. Qui ex Pſychologia didicit, quænam gaudii aliorumque affectuum agnatorum, quibus demulcetur animus, materia ſit, & veritatum revelatarum notionibus refertum habet animum; illi haud difficile fuerit detegere ea, quæ de argumento tam ſublimi dici poterant, præſertim ubi domeſtica experientia juvatur, modo in veritatibus nondum ſibi cognitis ex aliis cognitis certa methodo deducendis fuerit verſatus. Multa hic ſingularia occurrunt, quæ religionis Chriſtianæ præſtantiam mirifice commendant. Utinam huc animum advertere vellent, quotquot religionem Chriſtianam aliis commendare debent!

II.

De Computatione graduum canonica.

§. 1.

Inſtitutum autoris. Nemo ignorat in prohibendis matrimoniis ob propinquitatem ſanguinis gradus cognationis in linea collaterali

rali aliter computare Jus canonicum, quam Jus civile. Sed quamvis computatio canonica in matrimonialibus & criminalibus etiam inter Proteſtantes uſu recepta ſit; in eo tamen non conveniunt omnes, quænam alteri ſit præferenda, Theologis eam probantibus, JCtis tanquam abſurdam rejicientibus. De Canoniſtis & Theologis Pontificiis nullum ſupereſſe poteſt dubium. Quare nobis hic ſufficiat ad ſolum provocaſſe *Bellarminum* (r), qui unus inſtar omnium eſſe poteſt. Inter Theologos Lutheranos pro computatione canonica pugnant *Hemmingius* (s), *Chytræus* (t), *Selneccerus* (u) *Zehnerus* (x), *Chemnitius* (y) *Mentzerus* (z), *Tarnovius* (a), *Gerhardus* (b), aliique, etſi etiam nonnulli civilem præferant canonicæ, veluti *Hafenrefferus* (c) exemplum *Bezæ* ſecutus (d). Inter JCtos *Vlricus Huberus*

(r) lib. 1. de matrim. c. 26. (s) de Conjugio p. 70. (t) in Comment. in Cap. 18. Lev. (u) in Examin. (x) de grad. p. 25. (y) part. 3. Loc. de Conjug. p. 537. (z) de Conjug. p. 32. (a) lib. 1. de Conjug. c. 52. (b) Loc. Tom. 7. de Conj. §. 253. f. m. 132. (c) In lib. de Conjug. p. 624. 631. (d) de repud. & divort. p. 22. & ſeqq.

rus (e) computationem canonicam adeo abſurdam eſſe cenſet, ut quid abſurdius ne fingi quidem poſſe exiſtimet. Quare cum abſurda, quæ ex computatione canonica fluere videntur, recenſuiſſet, in hæc tandem verba prorumpit: *eo ſi quid abſurdius dici poteſt, fatebor, Pontifices merito imperatoriam computationem præ ſua cum ſupercilio ſpernere.* Ab hac ſententia parum diſcedit *Hoppius* (f), qui ex computatione canonica ſequi affirmat abſurdum, quod ſana ratio non admittat, etiamſi cum Canoniſtis rationem cognationis in ſtipite quæramus, ut adeo deſperet afferri poſſe rationes ad eam defendendam, rationibus hactenus allatis ad eam tantummodo excuſandam facientibus. Non opus eſt, ut plura teſtimonia JCtorum de abſurditate computationis canonicæ in medium proferamus, cum nullo negotio reperiri poſſint; ſilentio tamen prætereundum non eſt, quod inter JCtos quoque reperiantur, quibus ea tam abſurda non videatur. In eorum nu-

(e) in Præl. Jur. civil. ſecundum Inſt. Tit. de nupt. §. 12. p. m. 25. (f) in Comment. ad Inſtit. Tit. de nupt. p. 83.

Digitized by Google

numero eſt *Struvius* (g), qui defenſionem facillimam judicat. In tanto ſententiarum inter Theologos & JCtos divortio non inanem operam nos ſumturos eſſe confidimus, ubi in eam rem noſtra methodo inquiſiverimus ex ipſis notionibus deducturi, quod inde fluit. Ita enim demum judicium ferre licebit, quid conveniat rationi, quid eidem adverſetur, eritque judicium ab omnibus rationibus extrinſecis liberum, nec ulla ratione a voluntate, aut appetitu potius ſenſitivo pendulum.

§. 2. Homines per generationem a ſe invicem deſcendunt, & per continuatas generationes genus humanum conſervatur. Generationes iſtæ continuæ ſunt: etenim Titius generavit Mevium, Mevius Sempronium, Sempronius Cajum, Cajus Grachum, & ita porro. Quodſi jam ſeriem quandam hominum per continuas generationes a ſe invicem deſcendentium ſupponas, veluti in dato exemplo in una ſerie Titium, Mevium, Sempronium, Cajum, Grachum, Paulum, &c. conſtituas, erit earum *Fundamentum graduum.*

(g) In Pandect. Exercit. 29. lib. 23. Tit. 2. §. 44.

una, veluti hic Titius, a quo ceteræ omnes per generationem deſcendunt, ſed ſingulæ diverſa ratione. Etenim Mevius a Titio deſcendit per generationem unam, Sempronius per duas, Cajus per tres, Grachus per quatuor, Paulus per quinque, & ita porro, quousque ſeries iſta continuatur. Hæc facilia & obvia ſunt; ſed ideo non contemnenda, cum inde derivata fuerit notio graduum. Notandum vero præterea eſt, ab una perſona plures per generationem deſcendere poſſe, a quibus deinceps aliæ per continuatas generationes deſcendunt, ut ante. Ponamus a Titio non ſolum generari Mevium, verum etiam Florentem & Septimium. Habemus ergo perſonas tres, quæ ab eodem Titio per generationem deſcendunt. Enimvero quemadmodum poſuimus a Mevio porro continuatis generationibus deſcendiſſe Sempronium, Cajum, Grachum, &c. ita non minus ſupponere licet, deſcendere quoque a Florente atque Septimio per generationes continuas aliquam perſonarum ſeriem, veluti a Florente Octavianum, Pomponium, Gajum, Modeſtinum, &c. a Septimio

ptimio autem Galum, Scævolam, Marcellum, Julianum, &c. Atque ea ſunt, quæ de deſcenſu hominum plurium ab uno per generationem notari poſſunt. Facile autem apparet, neceſſario in omni caſu ſupponendam eſſe unam perſonam, a qua ceteræ in univerſum omnes per generationes ſive in una ſerie, ſive in diverſis deſcendunt, antequam ratione generationis perſonas iſtas ad ſe invicem referre poſſis. Videamus igitur porro, quomodo notio graduum & eorum, quæ ad eam ſpectant, ex hoc fonte deducantur.

§. 3. Perſona illa, a qua aliæ ſive in una ſerie, ſive in diverſis per generationem deſcendunt, dicitur *Stipes*. Ita in noſtro exemplo a Titio in eadem ſerie per generationem deſcendunt Sempronius, Marius, Cajus, Grachus, Paulus; eorum itaque ſtipes eſt Titius. Similiter ab eodem Titio in alia ſerie deſcendunt Florens, Octavianus, Pomponius, Gajus, Modeſtinus; eorundem igitur quoque ſtipes eſt Titius. Quare ſi duas ſumas perſonas in diverſis ſeriebus conſtitutas, veluti Cajum & Cajum; dicetur Titius ſtipes earum communis. Eodem modo *Stipitis definitio.*

do ſeſe res habet cum ſerie tertia, in qua a Titio per generationem deſcendunt Septimius, Galus, Scævola, Marcellus, *Julianus*. Etenim & horum ſtipes eſt Titius; idem vero eſt ſtipes communis Pomponii & Marcelli, Grachi & Scævolæ.

Lineæ definitio & diviſio. §. 4. Series perſonarum per continuas generationes a ſe invicem deſcendentium dicitur *Linea*, eaque *recta*, quamdiu in ſe ſpectatur. Ita Titius, Sempronius, Marius, Cajus, Grachus, Paulus, per continuas generationes a ſe invicem deſcendunt, cum perſona præcedens continuo ſit generans, proxime ſequens ab eadem genita; Titius itaque, Sempronius, Marius, Cajus, Grachus, Paulus, conſtituunt lineam, eamque rectam. Similiter Titius, Florens, Octavianus, Pomponius, Cajus & Modeſtinus, lineam rectam conſtituunt; & idem eadem de cauſa de Titio, Septimio, Galo, Scævola, Marcello & Juliano patet. Quodſi jam plures fuerint lineæ rectæ, quarum principium commune eſt, idem nempe ſtipes; linearum una ad alteram obliqua eſt, cum repræſententur per lineas rectas ex eodem puncto eductas vel in eodem puncto concurren-

Digitized by Google

rentes. Atque hinc nomine a Geometris mutuato una quoque linea reſpectu alterius dicitur obliqua. Ita linea, in qua conſtituuntur Sempronius, Marius, Cajus, Grachus, Paulus, eſt ad alteram, in qua ſunt Florens, Octavianus, Pomponius, Gajus, Modeſtinus, vel etiam ad tertiam, ad quam pertinent Septimius, Galus, Scævola, Marcellus, Julianus, obliqua. Vt imaginatio juvet intellectum in lineis iſtis concipiendis; non inconſultum eſt, perſonas a Titio deſcendentes in triplici ſerie ſibi repræſentare, & ſeries illas tanquam in imagine per lineas exhibere, perſonis per puncta in iisdem deſignatis: quemadmodum Schemate adjecto exprimitur. *Fig. I.*

Titius

1. Sempronius	(1) Florens	1) Septimius
2. Marius	(2) Octavianus	2) Galus
3. Cajus	(3) Pomponius	3) Scævola
4. Grachus	(4) Gajus	4) Marcellus
5. Paulus	(5) Modeſtinus	5) Julianus
&c.	&c.	&c.

In computatione graduum duas tantummodo lineas ad ſe invicem referimus, quoniam nonniſi de duarum perſonarum cognatione quæritur, quæ, ubi non conſtituuntur in eadem linea, in duabus conſtitui debent. *Linea* obliqua dicitur etiam *collateralis*, cujus denominandi ratio mox patebit. Quodſi
Fig. I. lineam rectam S 5 vel S (5) dividas in duas quascunque partes, veluti in 3, pars ſtipiti adjacens continet perſonas, quæ ad perſonas in parte altera 3. 5 conſtitutas ſe habent ut generantes ad genitas, & pars altera ſtipiti oppoſita continet perſonas, quæ ad eas in parte ſuperiori conſtitutas ſunt ut genitæ ad generantes, ſeu, quod perinde eſt, pars ſuperior S 3 continet perſonas, a quibus ceteræ in parte inferiori 3. 5 deſcendunt, nempe Titium, Sempronium, Marium; pars vero inferior 3. 5 eas, quæ ab iis in ſuperiori parte S 3 conſtitutis deſcendunt, nempe Grachum, Paulum, &c. Atque ideo pars ſuperior S 3 dicitur *Linea aſcendens*; pars inferior 3. 5 *Linea deſcendens*, & Caji, qui in 3 conſtituitur, *Aſcendentes* appellantur, a quibus per generationes continuatas deſcendit, Titius,

tius, Sempronius, Marius; ejusdem vero *Deſcendentes* vocantur, qui ab ipſo per generationem deſcendunt, veluti Grachus, Paulus, &c. Pars lineæ obliquæ, quæ reſpondet lineæ aſcendenti in recta una data, dici poteſt *collateralis aſcendens;* pars vero ejusdem, quæ lineæ deſcendenti in recta data reſpondet, vocari poteſt pars *collateralis deſcendens.* Diſtinctio hæc ſua non careret utilitate, etſi communiter non ſit recepta.

Cognatorum definitio & diviſio.

§. 5. Qui ab eodem ſtipite deſcendunt, dicuntur *Cognati.* Olim cognati diſtinguebantur ab agnatis; ſed hodie illud diſcrimen nullum amplius momentum in jure habet, adeoque a nobis merito negligitur. Cognati in eadem linea conſtituti reſpectu perſonæ datæ vel ſunt aſcendentes, vel deſcendentes, quemadmodum diximus (§. 4.). Dicuntur autem aſcendentes etiam *cognati ordinis ſuperioris;* deſcendentes vero *cognati ordinis inferioris.* Qui autem in diverſis lineis conſtituuntur, quarum una ad alteram obliqua eſt (§. 4.), *cognati ex transverſo* ſive *a latere* vocantur. Atque hinc linea, quæ eſt ad alteram obliqua, dicta eſt linea colla-

teralis. E. gr. Si Cajum ad Sempronium refers in eadem linea; Sempronius eſt cognatus ordinis ſuperioris, ſeu *ejus* aſcendens; ſi vero in eadem linea Cajum ad Paulum refers, Paulus eſt cognatus ordinis inferioris, ſeu Caji deſcendens. Si denique eundem Cajum ad Modeſtinum refers, qui in linea obliqua conſtituitur, erit Modeſtinus cognatus a latere; vel, quod perinde eſt, Cajus & Modeſtinus ſunt cognati a latere.

Fundamentum cognationis & diverſitas ejus. §. 6. Cum omnis cognatio inde ſit, quod quædam perſonæ ab eodem ſtipite deſcendunt (§. 5.); Jus canonicum recte rationem cognationis in ſtipite quærit. Sequitur id ex definitione rationis, quam in philoſophia prima dedimus. Definimus rationem per id, unde intelligitur, cur aliquid ſit (h), nec alio in ſignificatu terminum accipiunt philoſophi, immo ipſimet JCti, quando de ratione loquuntur, utut plerique in notione confuſa acquieſcentes diſtincte non perpendant, quid in ea involvatur. Ratio igitur cognationis dicendum erit id, unde intelligitur, cur aliqui ſint inter

(h) § 56. Ontol.

inter ſe cognati, & cur hoc potius modo inter ſe cognati ſint, quam alio. Quodſi quæſiveris, cur Marius & Gajus ſint cognati, aliter profecto reſpondere nequis, quam quia uterque a Titio tanquam communi ſtipite, ſeu per continuatas generationes deſcendit. Et ſi porro quæſiveris, cur hoc potius modo cognati ſint inter ſe, quam alio; id aliunde intelligi nequit, quam ex eo, quo modus deſcendendi a communi ſtipite variari poteſt. Omnis adeo cognationis ratio cum Canoniſtis in ſtipite quærenda, & ſtipite remoto cognatio amplius intelligi nequit. Tenendum tamen, in linea recta perſonam quamlibet ſuperiorem, ad quam inferiorem refers, pro ſtipite aſſumi poſſe. Neque enim linea recta, quemadmodum ea, quæ eſt ad alteram obliqua, ullibi terminatur, ſed in infinitum progreditur, ut adeo, ſi eandem terminare volueris, in quovis cognato aſcendente eandem terminare poſſis. Quare cum non opus ſit, ut ultra eam progrediaris perſonam ſuperiorem, ad quam inferiorem quandam refers; ea pro ſtipite aſſumenda. Hæc ideo notanda ſunt, ut appareat, in omni

caſu cognationem intelligi per dependentiam a ſtipite. Enimvero non uno modo perſonæ quædam a ſtipite pendent. Etenim in linea recta ea conſtans eſt relatio, quæ geniti ad genitorem; in lineis autem collateralibus cognati a latere referuntur ad ſtipitem tanquam geniti ad communem genitorem. Quoniam itaque relatio illa ex eo oritur, quod quædam perſonæ ab alia per generationem deſcendunt; omnis, quæ hic occurrit diverſitas, a numero generationum eſt, per quas a ſtipite usque ad perſonam genitam deſcenditur.

Gradus definitio & diverſitas.

§. 7. Quodſi cognatos in linea recta ad ſtipitem refers, veluti Sempronium, Mevium, Cajum, Grachum, Paulum ad Titium; diverſa oritur a ſtipite diſtantia pro numero generationum, per quas perſona genita a ſtipite deſcendit. Ita Sempronius a Titio deſcendit per generationem unam, Marius per duas, Cajus per tres, Grachus per quatuor, Paulus per quinque. Et ſimiliter in linea, quæ eſt ad eam obliqua, Florens deſcendit a ſtipite per generationem unam, Octavianus per duas, Pomponius per tres, Gajus per quatuor, Modeſtinus per quin-

quinque. Eodem prorſus modo dependentia Septimii, Gali, Scævolæ, Marcelli, Juliani a Titio ſeſe habet. Enimvero in lineis collateralibus perſonæ duæ a ſe invicem non deſcendunt per generationem, ſed utraque ſimul per generationem deſcendit ab eadem tertia, nempe a ſtipite. Ita Cajus & Pomponius, vel Cajus & Marcellus non deſcendunt a ſe invicem per generationem, ſed tum Cajus & Pomponius, tum idem Cajus atque Marcellus, hoc eſt, Cajus, Pomponius & Marcellus ſimul a Titio per generationem deſcendunt. Propior ſtipiti eſt, qui per pauciores generationes eundem attingit; remotior vero ab eodem exiſtimatur, qui per plures generationes ab eodem diſtat. Ita Cajus Titio ſtipiti propior eſt Paulo vel Gajo, quia Cajus a Titio diſtat per tres generationes, ſeu tribus generationibus intercedentibus ab eodem deſcendit; Paulus vero per quinque, Gajus per quatuor. Quoniam a ſtipite ad eos, qui ab eodem deſcendunt, quaſi per ſcalam quandam deſcendimus, dum ab una generatione ad alteram tranſimus, diverſitas cognationis *Gradus* appel-

pellari ſuevit. Reddit hanc rationem *Paulus*; Gradus, inquit (i), dicti ſunt a ſimilitudine ſcalarum, locorumve declivium, quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus. Atque ideo generatio gradum facere dicitur. Hinc Sempronius, Florens & Septimius Titio cognati ſunt in gradu primo, quia ab eodem deſcendunt per unam generationem; Marius, Octavianus & Galus eidem cognati ſunt in caſu ſecundo, quod ab eodem deſcendant per duas generationes; Gajus, Pomponius & Scævola eidem Titio cognati ſunt in gradu tertio, quod per tres generationes ab eodem deſcendunt. Et eodem modo intelligitur, quod Paulus, Modeſtinus & Julianus eidem Titio cognati ſint in gradu quinto; Grachus vero, Gajus & Marcellus in quarto. Apparet vero gradum duplici modo conſiderari poſſe, vel in relatione unius perſonæ ad ſtipitem, dum in eadem recta a ſtipite ad perſonam quandam datam deſcendimus, vel a perſona quadam in linea recta conſtituta ad ſtipitem aſcendi-

(i) l. 10. §. 10. ff. de Gradibus.

dimus; vel in relatione plurium perſonarum in diverſis lineis ad communem ſtipitem. Quatenus itaque plures in eodem gradu ſtipiti cognati ſunt, gradum quendam familiæ conſtituunt. Atque adeo fundamentum cognationis a latere in eo conſiſtit, quod duæ perſonæ vel in eodem gradu familiæ, vel in diverſis conſtituantur. Nimirum inter cognatos a latere ideo cognatio intercedit, quod eodem, vel ſimili modo ad ſtipitem referuntur, ſcilicet eodem modo, ſi in eodem gradu familiæ conſtituuntur; ſimili modo, ſi conſtituuntur in gradibus diverſis. In priori nempe caſu modus relationis ſpecie idem eſt; in poſteriori vero nonniſi genere idem. Nam in priori caſu perſonæ ſingulæ, quæ ſunt in familia, per æqualem numerum generationum a ſtipite deſcendunt; in poſteriori vero ab eodem genus ſuum derivant per numerum generationum inæqualem. In linea igitur recta gradus conſtituitur per numerum generationum, quæ inter ſtipitem & perſonam genitam intercedunt; ſed cum in lineis collateralibus collocatae perſonæ a ſe invicem per generationem non deſcen-

ſcendant, nec eo modo gradus dependentiæ a ſe invicem quoad exiſtentiam conſtitui poſſunt, quo in linea recta conſtituuntur. Quamobrem eo ſenſu gradus cognationis ipſis tribui nequit, quo tribuitur cognatis in linea recta: ipſimet enim quoad exiſtentiam a ſe invicem non dependent, niſi quatenus ſimul ab eodem ſtipite dependent, ita ut, ſi ſtipes non extitiſſet, nec ipſi omnes extitiſſent. Mutua igitur dependentia a communi ſtipite quoad exiſtentiam eſt cognatio a latere, & diverſi gradus illius dependentiæ diverſitatem ejusdem pariunt. Quamobrem ſi hic quoque cognationis diverſitatem gradum appellare velis, quemadmodum in linea recta; gradus cognationis a latere ex gradibus cognationis in linea recta deducendi ſunt, aut, accuratius loquendo, cum plures gradus in lineis ad ſe invicem obliquis gradum familiæ conſtituant, quemadmodum modo expoſitum eſt, ex gradibus familiæ æſtimandus. Quæ de gradu familiæ diximus, exemplo, quo hactenus uſi ſumus, facile illuſtrantur. Etenim Sempronius, Florens & Septimius conſtituuntur in primo familiæ

gra-

gradu; Marius, Octavianus & Galus in ſecundo; Cajus, Pomponius & Scævola in tertio; Grachus, Gajus, Marcellus in quarto; Paulus, Modeſtinus, Julianus in quinto, donec tandem memoria familiæ extinguitur, quæ tamdiu conſervatur, quamdiu dependentia a ſtipite non ignoratur. Quoniam generatio efficit diſtantiam a ſtipite, ut adeo generationes ſingulæ addant eidem æquale intervallum, numerus vero generationum gradum parit, in eodem gradu familiæ conſtituti eandem a ſtipite diſtantiam habent. Quare ſi ſtipes repræſentetur per punctum S, gradus familiæ exhibentur per arcus circuli ex centro S deſcriptos lineas ad ſe invicem obliquas interſecantes in æqualibus a ſtipite diſtantiis. Vnde arcus tranſiens per 1. (1) & 1) deſignat primum gradum familiæ; arcus tranſiens per 2. (2) & 2), ſecundum; qui tranſit per 3. (3) & 3), tertium, & ita porro. *Fig. 1*

Modus computandi gradus in linea recta.

§. 8. Hactenus dicta adeo manifeſta ſunt, ut in dubium revocari non poſſint, neque fieri poteſt, ut quis aliam formet cognationis notionem, quamdiu ex rebus ipſis potius, quam ex ſuo ingenio

nio ſapere voluerit, nec ita pendet ab aliorum auctoritate, ut eidem ſit loco rationis. Enimvero videamus porro, quomodo hæc principia ad determinandum gradum cognationis in dato quolibet caſu applicentur. Eam igitur *cognationem*, quæ intercedit inter perſonas in linea recta conſtitutas, in oppoſitione ad eam, quæ eſt a latere, brevitatis gratia dicemus *directam*. In linea recta numerus generationum determinat gradum (§. 7.), & perſona ſuperior, ad quam refertur inferior, eſt ipſi loco ſtipitis (§. 6); tot igitur gradibus perſona inferior a ſuperiori diſtat, quot generationes inter utramque intercedunt. Non alia igitur re opus eſt, quam ut generationes numerentur inter perſonas datas intercedentes, ut gradus cognationis innoteſcat. Ita inter Titium & Sempronium una intercedit generatio; adeoque Sempronius Titio cognatus eſt in gradu primo. Similiter Marius Sempronio, Cajus Mario, Grachus Cajo, & Paulus Gracho in primo gradu cognatus eſt, & eodem modo res ſeſe habet in lineis ceteris, quæ principium ſuum in Titio tanquam communi ſtipi-

ſtipite habent. Similiter inter Titium & Marium, Titium & Octavianum, Titium & Galum duæ generationes intercedunt, adeoque & Marius, & Octavianus, & Galus Titio cognati ſunt in gradu ſecundo, ac propterea in eodem gradu familiæ, ſecundo ſcilicet, conſtituuntur. Inter Titium & Grachum, Titium & Gajum, Titium & Marcellum quatuor generationes intercedunt. Quamobrem & Grachus, & Gajus, & Marcellus Titio cognati ſunt in gradu quarto, & hoc nomine in quarto gradu familiæ conſtituuntur. Gradus igitur familiæ & gradus cognationis directæ eodem modo computantur. Non tamen in omni caſu gradus cognationis directæ idem eſt cum gradu familiæ. Etenim in computanda cognatione directa perſona ſuperior inferiori ſemper loco ſtipitis eſt; in gradu autem familiæ computando ſtipes pluribus lineis ad ſe invicem obliquis communis eſſe debet, atque adeo gradus familiæ cum gradu cognationis directæ tum demum coincidit, quando cognatio directa in lineis ad ſe invicem obliquis reſpicit eundem ſtipitem, quo mediante lineæ iſtæ

inter ſe junguntur. E. gr. Inter Cajum & Paulum duæ generationes intercedunt, atque adeo cognatio directa inter Cajum & Paulum eſt ſecundi gradús. Similiter inter Titium & Octavianum duæ generationes intercedunt, atque ideo cognatio directa, quæ inter Titium atque Octavianum intercedit, eſt itidem ſecundi gradus. Lineæ iſtæ directæ, in quibus cognationes directæ computantur, ſunt tales, ut in iis conſtituantur cognati a latere. Etenim Paulus & Octavianus ſunt cognati a latere, conſequenter linea, in qua conſtituitur Octavianus, eſt ad eam, in qua Paulus ſibi locum vendicat, obliqua. Non tamen ideo Paulus & Octavianus in eodem gradu familiæ conſtituuntur, propterea quod eorum cognatio directa non fuit determinata reſpectu ejusdem perſonæ, ceu ſtipitis communis. Etenim Paulus ad Cajum, Octavianus ad Titium tanquam ad ſtipitem refertur. Ceterum ſi mentis aciem in gradum familiæ intendimus; clariſſime perſpicitur, quod omnis cognationis lateralis ratio in ſtipite quærenda ſit, neque ea ſine relatione ad ſtipitem intelli-

gi

gi ullo modo queat, quemadmodum Canoniſtæ defendunt. Enimvero ſi lineæ cognationis per lineas rectas deſignantur; intervalla inter loca perſonarum S 1, 1.2, 2.3, 3.4, 4.5 &c. gradus deſignant. Tot enim ſunt iſtiusmodi intervalla, inter binas quascunque perſonas interjecta, quot generationes inter ipſas intercedunt. Ita inter 1. Sempronium & 4. Grachum tria intervalla interjacent; ſed tres quoque inter ipſas generationes intercedunt. Quoniam itaque gradus cognationis directæ innoteſcit, numeratis generationibus inter datas perſonas intercedentibus; idem quoque patere debet, ſi intervalla inter earum loca intercepta numerentur. Ita Sempronius & Grachus ſunt cognati in tertio gradu cognationis directæ, quod tria intervalla 1.2, 2.3 & 3.4 inter earum loca in linea S. 5 intercipiantur. Liquet porro, tot interjecta eſſe inter binas quascunque perſonas intervalla, quot ſunt perſonæ genitæ: nam perſona ſuperior, ad quam inferior refertur, tanquam non genita conſideratur, quod in eadem generationes terminentur, nec ultra eam progrediantur.

tur. Gradus igitur cognationis directæ etiam innoteſcit, ſi numerentur perſonæ genitæ. Ita ſi quæſtio fuerit de gradu cognationis directæ 4. Grachi & 1. Sempronii, in Sempronio generationes, quas hic conſideramus, terminantur, atque ideo Sempronius ſpectatur tanquam non genitus, 2. Marius, 3. Cajus & 4. Grachus ſunt perſonæ genitæ. Tres hic numerantur perſonæ genitæ, Marius, Cajus & Grachus; cognatio itaque directa inter Grachum & Sempronium intercedens eſt tertii gradus. Denique ſi perſonas genitas ab ea, quæ tanquam non genita ſpectatur, diſtinguere nolueris abhorrens a fictione, qua perſona, quæ loco ſtipitis eſt, pro non genita habetur; tot habes gradus cognationis directæ, quot ſunt perſonæ, demto ſtipite. Ita ſi de Sempronii & Grachi cognatione ſermo fuerit; perſonas habes quatuor, Sempronium, Marium, Cajum & Grachum. Quare ſi inde Sempronium, qui ſtipitis loco eſt, tollas, ſeu, quod perinde eſt, ſi a numero perſonarum unitatem demas, is reſiduus fit numerus, qui gradum cognationis directæ numerat. Deme hic a qua-

Digitized by Google

quaternario unitatem, relinquitur ternarius, qui tertium cognationis directæ gradum inter Sempronium & Grachum loquitur. Hæc computatio graduum cognationis directæ adeo prona eſt, ut ideo non mirum ſit, nullum dari inter jus canonicum atque civilem diſſenſum. Ipſæ etiam regulæ diverſæ ſponte veluti ſua ſeſe offerunt, ut adeo fieri non potuerit, quin a Doctoribus animadverterentur. Directa igitur computatio facilis & perſpicua eſt. Sed majus negotium faceſſit computatio obliqua, quæ eſt cognationis a latere. In ea jus canonicum a civili in diverſum abit, & noſtrum jam eſt inquirere, utrum canonica civili, an civilis canonicæ ſit præferenda.

§. 9. Quando cognati non ſunt in eadem linea recta, ſed in duabus, quarum una eſt ad alteram obliqua; vel in eodem gradu familiæ, vel in diverſis conſtituuntur (§. 7.). Quare cum gradus familiæ repræſententur per arcus ex ſtipite communi tanquam centro deſcriptos (§. *cit.*), in priori caſu lineæ ad ſe invicem obliquæ æquales ſunt (§. 40. *Geom.*), in poſteriori autem inæ- *Lineæ obliquæ diviſio.*

Digitized by Google

quales (§. 15. *Arithm.*). Quamobrem jus canonicum lineam, quæ eſt ad alteram *obliqua*, recte diſtinguit in *æqualem*, vel *inæqualem*, ei ſcilicet, quæ ſumitur tanquam recta in ſe conſiderata, & ad quam altera refertur. Ita e. gr. Si
Fig. I. linea S 3 recta eſt, ad quam altera S (3) refertur; linea S (3), quæ eſt ad illam obliqua, eſt linea obliqua æqualis. Enimvero ſi linea S 5 ea eſt, ad quam refertur altera S (3); eadem linea S (3) eſt obliqua inæqualis. Nimirum quoties quæritur de cognatione duarum perſonarum, una earum eſt, ad quam refertur altera. Quare linea illa, in qua conſtituitur perſona, quæ ad alteram refertur, ea eſt, quam obliquam appellamus, quoniam altera, in qua conſtituitur perſona, ad quam refertur altera, ponitur tanquam linea recta, antequam de perſona altera cogites. E. gr. in 3 lineæ S 3 eſt locus Caji; in (3) vero Pomponii. Quodſi jam quæſiveris, quo gradu Pomponius Cajo cognatus ſit; Pomponius refertur ad Cajum, qui ponitur, antequam de Pomponio cogitetur. Atque ideo S (3) eſt linea, quæ reſpectu alterius S 3 dicitur obliqua. Similiter

liter ſi quæſiveris, quoto gradu idem Pomponius cognatus ſit Paulo, cujus locus eſt in 5; Pomponius refertur ad Paulum, atque ideo linea S (3) denuo reſpectu alterius S 5 tanquam primum poſitæ obliqua appellatur. Quia vero relationes mutuæ ſunt, ut Cajus referri poſſit ad Pomponium, ſicut Pomponius ad Cajum refertur; vel etiam Paulus ad Pomponium, ſicut idem Pomponius refertur ad Paulum: perſona, quæ ad alteram refertur, ab ea, ad quam refertur altera, non ſemper adeo accurate diſtinguitur communi loquendi uſu; id quod tamen fieri debebat, ubi lineæ ad alteram obliquæ denominatio phraſi in Geometria, unde deſumta eſt, receptæ convenire debebat. Enimvero quamvis termini ante accurate ſint explicandi, ut genuina conſtet ſignificandi ratio; in communi tamen loquendi uſu non ſectamur minutias, ſed inconvenientias loquendi ferimus, quamdiu citra præjudicium veritatis fieri poteſt. Quamobrem eum non reprehendimus, qui notionum geometricarum ignarus S 3 & S (3) ſibi imaginatur tanquam partes unius lineæ, quæ dicatur obliqua, &

quidem æqualis, quia ex duabus partibus æqualibus componitur; & ſimiliter S 5 & S (3) tanquam partes unius lineæ, quæ obliqua inæqualis dicatur, quia ex duabus partibus inæqualibus conſtat, etſi primorum Geometriæ rudimentorum gnaro loqui videatur, quæ male cohærent. Sufficit enim notiones, quas contradictorias agnoſcit Geometra, nullum in computandis gradibus errorem invehere, propterea quod error, qui Geometram offendit, denominationem ſaltem afficit, non rem ipſam. Qui veritati rerum ſtudet, in verbis non nimium curioſus eſſe debet, utut reprehendi non poſſit, ſi quis & recte ſentire & bene loqui voluerit.

Modus computandi gradus in linea obliqua æquali.

§. 10. Quando itaque de cognatione collateralium quæſtio incidit, caſus duo occurrere poſſunt. Aut enim cognati collaterales ſunt in linea æquali, aut in inæquali, hoc eſt, cognati collaterales aut in eodem conſtituuntur gradu familiæ, aut in diverſis. Diſcrimen hoc non fingitur, ſed reale eſt (§. 9.). Et ex ſequentibus patebit, non ſine ratione in computandis gradibus cognationis collateralium lineam æqualem ab inæqua-

quali diſtingui, ut adeo Jus canonicum eo nomine reprehendi non poſſit. Videamus igitur, quomodo computandi veniant gradus in linea obliqua æquali, ubi rationis ductum ſequimur. Conſtat igitur absque hypotheſibus ullius juris, ſola attentione ad rem ipſam, cognatos collaterales in linea æquali ideo ſibi invicem cognatos eſſe, quia eodem modo ad communem ſtipitem referuntur, ſeu per æqualem generationum numerum ab eodem ſtipite deſcendunt (§. 7. 9.). Quare cognatio nexus eſt, qui inter cognatos collaterales intercedit, quatenus ipſis nexus aliquis eſt cum ſtipite. Habentur adeo cognati collaterales pro cognatis inter ſe, quia eorum uterque cognatus eſt eidem tertio, nempe ſtipiti, applicata ad eos propoſitione coſmologica (k): Quæ cum eodem tertio connectuntur, ea inter ſe connectuntur. Quodſi jam huic cognationi, quæ mediantibus duabus cognationibus cum eadem perſona tertia, gradus aliquis asſignandus; nullo ſane alio modo id fieri poterit, niſi quatenus iisdem tribuitur

(k) §. 12. Coſmol.

tur idem familiæ gradus, in quo conſtituuntur. Etenim ſi conſtituuntur in primo familiæ gradu, ſunt utique cognati in primo gradu, ſcilicet familiæ, quia alio ſenſu gradus concipi nequit, ubi admittis, duos ideo ſibi invicem eſſe cognatos, quia ſunt cognati eidem perſonæ tertiæ. Et eodem modo patet, collaterales, qui in ſecundo familiæ gradu conſtituuntur, eſſe cognatos in ſecundo gradu, atque ita porro, quamdiu memoria communis ſtipitis & graduum familiæ conſervatur. Quemadmodum nimirum applicatio theorematis generalis de nexu rerum inter ſe cum eadem tertia connexarum parit principium generale cognationis a latere: qui eidem tertio agnati ſunt, ii cognati ſunt inter ſe; ita facile apparet, cum cognatio cum eodem tertio ſeu communi tertio eſſe poſſit in primo, ſecundo, tertio, quarto, &c. gradu, dici quoque debere: Qui in primo gradu eidem tertio cognati ſunt, iidem quoque in primo gradu cognati ſunt inter ſe, & in genere: Qui in quocunque gradu cognati ſunt eidem tertio, iidem in eodem gradu cognati ſunt inter ſe. Non video,

quo-

Digitized by Google

quomodo ex notione cognationis a latere de gradu cognationis aliter ratiocinari poſſimus, quamdiu nullis hypotheſibus præpeditum habemus animum. Rationis igitur ductum ſecuti incidimus in computationem canonicam: etenim juris canonici eſt hoc principium, quod in eodem gradu cognati ſint inter ſe, in quo gradu collaterales communem ſtipitem attingunt, conſequenter Jus canonicum gradum cognationis in linea obliqua æquali ex gradu familiæ æſtimat, ſeu alium gradum non agnoſcit niſi gradum familiæ. Secundum Jus canonicum 1. (1) & 1) *Fig. I.* ſunt loca in primo gradu familiæ, ac ideo Sempronius, Florens & Septimius cognati primi gradus. Secundum idem 2. (2) & 2) ſunt loca in ſecundo gradu familiæ, ac ideo Marius, Octavianus & Galus cognati ſecundi gradus. Et eodem modo patet, Cajum, Pomponium & Scævolam eſſe cognatos gradus tertii; Grachum, Gajum & Marcellum quarti; Paulum, Modeſtinum & Julianum quinti, &c. Nihil adeo in hiſce habet Jus canonicum, quod ſit a ratione alienum, cum principia iſta nexus rerum ex com-

communi earum nexu cum eadem tertia profectus inſinuet, quibus tota computatio nititur. Cognatio vero eſt utique aliqua nexus ſpecies (l), atque adeo ex iſtis principiis tanquam domeſticis decidenda. Ea, qui diſtincte principia hæc non agnoſcunt, ea tamen in notionibus confuſis admittunt, quatenus non aliud admittunt cognationis a latere fundamentum, quam quatenus utrique collateralium cognatio aliqua cum communi ſtipite intercedit. Hoc ipſo enim nexum, aut, ſi mavis, vinculum aliquod, intercedere inter duos collaterales agnoſcitur, quatenus nexus quidam ſeu vinculum intercedit inter utrumque collateralem atque ſtipitem. Quoniam hæc adeo evidentia ſunt, ut vel confuſe percepta nihil abſurdi continere videantur; antagoniſtæ etiam computationis canonicæ abſurda non in computatione graduum in linea æquali, ſed ea, quæ in linea inæquali obtinet, quærunt. Noſtrum igitur erit, computationem in linea inæquali eruere ex ea, quæ obtinet in æquali, hoc eſt, docere, quomodo computari debeant gradus

(l) §. 10. Cōſinol.

dus in linea inæquali, ſi admittas computationem in æquali; quam admittendam eſſe, ubi rationis ductum ſequi velis, modo oſtendimus.

Modus computandi gradus in linea obliqua inæquali.

§. 11. Ex computatione graduum in linea obliqua æquali patet, eos, qui in eodem gradu familiæ conſtituuntur, veluti in gradu primo Sempronium atque Florentem, ſibi invicem cognatos eſſe in iſto gradu, veluti Sempronium & Florentem eſſe cognatos primi gradus. Quodſi jam Marius fuerit in ſecundo gradu familiæ, nempe in 2, & Florens in primo, ſcilicet in 1); fieri profecto non poteſt, ut Marius & Florens ſint cognati in primo gradu, quemadmodum Sempronius, qui uno gradu ſtipiti Titio propior eſt, Florenti in primo gradu cognatus eſt. Quare cum Marius proxime ſequitur Sempronium; Florenti cognatus eſſe debet in gradu ſecundo. Et eodem modo patet, Cajum eidem Florenti cognatum eſſe debere in tertio, Grachum in quarto, Paulum in quinto, &c. Similiter Marius Octaviano cognatus eſt in gradu ſecundo; ergo Cajus eidem Octaviano cognatus eſſe debet in tertio. Cajus etiam Pomponio *Fig. I.*

co-

cognatus eſt in gradu tertio (§. 10.); ergo Grachus eidem Pomponio cognatus eſſe debet in quarto. Grachus etiam Gajo cognatus eſt in quarto gradu (§. *cit.*); ergo Paulus eidem Gajo cognatus eſſe debet in quinto. Hæc ita fluunt ex computatione graduum in linea æquali, quæ ex ipſis notionibus fluit. Hinc adeo manifeſtum eſt, Marium & Florenti & Octaviano eſſe cognatum in gradu ſecundo; Cajum & Florenti, & Octaviano, & Pomponio in tertio; Grachum & Florenti, & Octaviano, & Pomponio, & Gajo in quarto; Paulum & Florenti, & Octaviano, & Pomponio, & Gajo, & Modeſtino in quinto, ac ita porro in infinitum. Quoniam hæc ita neceſſario conſequuntur ex computatione in linea æquali, computatio autem in linea æquali nihil abſurdi habet, quemadmodum ex antecedentibus colligitur; ideo nec abſurdum eſſe poteſt, quod Paulus & Florenti, & Octaviano, & Pomponio, & Gajo, & Modeſtino in eodem gradu cognatus ſit. Computatio in linea inæquali juris canonici ea eſt, quam modo ex anteriore deduximus. Quamobrem absque ratione affirmatur, compu-

putationem juris canonici eſſe abſurdam. Enimvero quia nobis potiſſimum propoſitum fuit computationem canonicam ab abſurditate liberare; paulo diſtinctius illud doceri debet.

§. 12. Abſurdum dici ſolet, quod contradictionem involvit manifeſtam, ut adeo falſitas ejus in aprico poſita a nemine in dubium vocari poſſit; id quod accidit, ſi quid affirmatur, cujus contrarium extra omnem controverſiam poſitum eſt, ſive vi demonſtrationis, ſive vi notionis communis, ſive vi experientiæ. Ita Mathematici abſurdum vocant, quod duo anguli in triangulo rectilineo ſint actu recti, propterea quod demonſtratum eſt, omnes tres ſimul ſumtos eſſe duobus rectis æquales. Iidem abſurdum dicunt, quod pars ſit major toto, quia notio communis fert, totum eſſe majus qualibet ſua parte, ſeu partem quamlibet eſſe toto minorem. Iidem denique abſurdum pronunciant, quod ſtella polaris ſit punctum cœli fixum, cum obſervatione conſtet, eam circa polum, tanquam punctum fixum, moveri. Per inconſtantiam loquendi, a qua tamen alienus eſt cum Mathematico

Iuris canonici computatio ab abſurditate liberata.

tico

tico Philoſophus (m), alienus eſt quicunque intellectu ſyſtematico præditus (n), abſurdum dici ſolet, ex quo neceſſaria conſequentia colligitur, quod abſurdum eſt; quo ſenſu propoſitio quælibet abſurda appellatur, quam falſam eſſe indirecte oſtendi poteſt. *Subinde* etiam abſurdum appellatur, quod ex principiis abſurdis colligitur. Enimvero ne nos in inconſtantiam loquendi incidamus, ſed fixum termini ſignificatum tueamur; computationem juris canonici ab omni abſurditate liberaturi oſtendemus, nec principia eſſe abſurda, nec in ipſa computatione quid præcipi, quod ſit abſurdum, nec denique ex ea ſequi, quod ſit abſurdum. Etenim ſi abſurditate quadam laborat, aliquod iſtorum abſurdorum ei convenit; fieri autem non poteſt, ut alio modo abſurdi quid inſit, propterea quod ad principia, computandi modum, & ea, quæ inde ſequuntur, omnia redeunt. Principia computationis juris canonici ea ſunt, quæ res ipſa offert, ſcilicet cognationem directam eſſe dependentiam perſonarum

(m) §. 143. Diſc. prælim. (n) Vide Trim. brum. Num. III. §. 1.

rum a ſe invicem per generationem, cognationem vero collateralem ſeu obliquam eſſe dependentiam duarum perſonarum ſimul a communi ſtipite; per generationem conſtitui gradus tum ſimplices, quibus diſtant perſonæ a ſe invicem in linea recta, tum compoſitos, ſive familiæ, in quibus conſtituuntur perſonæ eodem gradu a ſtipite remoti; cognatos collaterales eſſe cognatos inter ſe, quia ſunt cognati communi ſtipiti (§. 2. & ſeqq.). Si quis principia hæc abſurda dixerit, is negare tenetur, vel homines quosdam a ſe invicem deſcendere per generationem, vel in eo conſtitui fundamentum cognationis directæ; negare tenetur, vel plures deſcendere ſimul per generationem ab eodem tertio, vel in eo conſtitui fundamentum cognationis obliquæ; negare tenetur, per generationem gradus conſtitui; negare denique tenetur, cognatos collaterales ideo eſſe inter ſe cognatos, quia communi ſtipiti cognati ſunt. Enimvero ſi quis horum quid negaverit, is demum abſurda ſtatuere dicendus erit, cum ea tollat, ſine quibus cognatio nulla concipi poteſt. Nequaquam vero opus eſt,

ut de principiis multa dicamus, quæ facile admittunt omnes inter communes omnino notiones de cognatione directa & obliqua referenda. Quicquid ex principiis minime abſurdis colligitur, illud minime abſurdum eſſe, nemo non concedere tenetur, cui ratiocinatio intime fuerit perſpecta. Jam vero in tota computatione juris canonici nihil præcipitur, quod non ex iſtis principiis fuerit deductum. Nihil igitur præcipitur, quod ſit abſurdum. Computatio in linea recta adeo naturalis eſt, ut ideo nec jus civile in diverſa abeat. Computatio in linea æquali non minus naturalis eſt; quod vero jus civile in ea diſſentiat a canonico, non alia de cauſa evenit, quam quod computatio in linea inæquali non æque obvia ſit. Quodſi vero attentionem ad differentiam afferas, quæ inter lineam obliquam æqualem & inæqualem intercedit; computatio in linea inæquali ex computatione in æquali neceſſario fluit, ita ut iſta admiſſa hæc quoque admitti debeat. Probe autem notandum eſt, undenam ſit, quod computatio graduum cognationis in linea obliqua inæquali difficultatibus obnoxia

ſit

ſit, ſcilicet quod gradus cognationis in linea inæquali diverſum quid ſit a gradu cognationis in linea recta, & a gradu cognationis obliquæ in linea obliqua æquali. Etſi enim omnis gradus diverſitatem cognationis, ſeu relationis ad ſtipitem loquatur, atque in eo gradus omnes conveniant; differentia tamen intercedit inter modum, quo cognati collaterales ad ſtipitem referuntur, & modum, quo idem fit in cognatione directa, & in modo, quo cognati collaterales ad ſtipitem referuntur, denuo differentia obtinet pro diverſitate lineæ æqualis & inæqualis. Quodſi tamen in linea inæquali gradus admittere velis inter perſonas, quæ in gradibus familiæ diverſis conſtituuntur ſtipite mediante, ſine qua cognatio nulla concipi poteſt; non alio modo eos concipere licet, ſalvis iis, quæ ex notionibus ſuis adeo ſponte fluunt, quam quo in jure canonico concipiuntur. Quodſi quis contenderet, præcipi in computatione canonica, quæ ſunt abſurda, is contrarium ejus, quod præcipitur, demonſtrare tenetur, & quidem ex ipſis notionibus cognationis directæ &

obliquæ, quas in ſuperioribus explicavimus. Tum enim demum aſſeverare licebit, quod veritati manifeſtæ repugnet, conſequenter quod ſit abſurdum. Iſtiusmodi autem demonſtrationem nemo hactenus dedit, nec in poſterum dabit, propterea quod ex notionibus alii gradus deduci nequeunt, quam ſimplices iſti in linea recta, & gradus familiæ ex iſtis compoſiti in obliqua. Denique nec affirmari poteſt, quæ ex computatione canonica fluunt, eſſe abſurda. Ex ea enim abſurdum fluere non poſſe patet, quod per ea, quæ modo diximus, ipſa abſurda non ſit. Atat! objicis, ſequi ex computatione canonica, filium fratris mei mihi & filio meo in eodem gradu eſſe cognatum, nempe mihi in ſecundo vi computationis in linea inæquali, filio meo itidem in ſecundo vi computationis in linea æquali; id quod utique abſurdum ſit. Sed quæſo te, cuinam veritati ex notionibus cognationis directæ & obliquæ demonſtratæ hoc contradicit? Sane nulli. Vbi enim demonſtraſti, eandem perſonam patri & filio in eodem gradu cognatam eſſe non poſſe, aut generaliter, eandem per-

perſonam in eodem gradu cognatam eſſe non poſſe perſonis, quæ diverſo cognationis gradu ſtipitem attingunt? Nullibi profecto. Precario id ſumis tanquam verum. Ecquis vero dixerit, eſſe abſurdum, quod propoſitioni precario aſſumtæ contradicit? Apparet hinc, quam parum notionibus confuſis ſit fidendum, per quas tam abſurdum videtur, in quo nullum adhuc abſurditatis veſtigium monſtrari poteſt.

III.

De Philoſophia non ancillante.

§. 1.

Ex quo *Robertus Baronius*, Scotus, Tractatum conſcripſit de philoſophia Theologiæ ancillante, in quo quæſtiones philoſophicas in diſputationibus theologicis ſubinde occurrentes explicat, adeoque uſum nonnullorum principiorum philoſophicorum in Theologia oſtendit (o); mirifice nonnullis arriſit libelli titulus, ita ut philoſophiam non modo Theologiæ, verum *Inſtitutum autoris.*

 etiam

(o) Liber hic in Germania recuſus eſt Francofurti ad Moenum 1676 forma minore.

etiam Jurisprudentiæ atque Medicinæ ancillari dixerint, & eam communem Facultatum Superiorum, quas vocant, ancillam effecerint. Quoniam itaque philoſophia ancillari dicitur Theologiæ, Jurisprudentiæ atque Medicinæ, quatenus iisdem principia generalia ad ratiocinandum de rebus ad Facultates ſuperiores ſpectantibus ſuppeditat; diviſio Facultatum in ſuperiores & inferiorem eodem nititur fundamento, quod philoſophia illis nonniſi ancilletur. Commune hoc præjudicium plerorumque animum ita obſedit, ut philoſophiæ vel nullum eſſe uſum affirment, vel certe non alium, niſi quod terminos quosdam & principia nonnulla Facultatibus ſuperioribus præbeat, quibus commode in rem ſuam utantur. Quamobrem philoſophiam aut prorſus non addiſcendam eſſe, aut non alio fine eidem operam navandam eſſe colligunt, quam ut terminorum quorundam & principiorum notitiam nobis comparemus. Si quis vero ſe ad munus quoddam olim in Eccleſia vel Rep. obeundum idoneum reddere ſtudeat; ei Facultates ſuperiores ſufficere.

Illi

Digitized by Google

Illi igitur, qui ad miniſterium eccleſiaſticum non adſpirant, nec artem ſalutarem exercere cupiunt, ad ſolam Jurisprudentiam, ſubinde ſolam civilem, tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, quaſi ab ea ſola expectandum ſit omne ad vitam civilem præſidium. Enimvero ſi quis attentius conſideret, quænam rerum ſcientia ad Remp. bene adminiſtrandam & in ea felicitatem generis humani promovendam requiratur; is facile perſpiciet, a ſolis facultatibus, quæ dicuntur, ſuperioribus eam peti minime poſſe. Quare cum oſtendi queat, philoſophiam ea præſtare, quæ ab illis fruſtra requiſiveris, & Theologica, Juridica & Medica Facultates dicantur ſuperiores, quatenus iis ad Remp. feliciter adminiſtrandam opus habemus, ita ut muneribus, quæ in viros literatos conferuntur, utiliter præeſſe nequeat, niſi qui uni illarum ſe mancipavit; Philoſophia autem inferior appelletur, quatenus illis ancillatur: concludendum omnino erit, ſi rem, non nomen, ſpectes, Facultatem quoque philoſophicam eſſe & ſuperiorem quandam facultatem, ſit ita quod ſimul ſit in-

ferior, atque philoſophiam non modo ancillari, quatenus inſervit Facultatibus ceteris, verum etiam dominari, quanus eam offert rerum cognitionem, qua in Rep. adminiſtranda opus eſt, quæ tamen a Facultatibus ceteris peti nequit. Sed nos de nomine parum ſolliciti, quibus perinde eſt, utrum Facultas philoſophica inferior, an ſuperior dicatur, utrum philoſophia ancilla, an domina appelletur; quamvis de nomine monenda fuerint ad diſpellendam præjudiciorum nebulam profutura. Miſſo igitur nomine, ad rem animum advertimus, oſtenſuri, philoſophiam non modo præbere principia Facultatibus ſuperioribus, verum etiam talia ſuppeditare, quæ in Rep. adminiſtranda utilia ac proficua ſunt, a Facultatibus autem ſuperioribus ſuppeditari nequeunt.

Cultura intellectus non aliunde quam ex philoſophia petenda.

§. 2. Plurima ſunt in Rep. munera, quæ ideo in literatos conferuntur, quod eos rectius facultatibus mentis uti poſſe credamus aliis, tum in rebus dijudicandis, tum in iis diſcutiendis. Quare ſi a philoſophia pendet cultura intellectus, qualem a ceteris facultatibus fruſtra expectes; philoſophia non ancillatur

tur facultatibus ſuperioribus, quatenus ab ea iſta cultura pendet, quoties quis intellectum excolit, qui animum ad facultates ſuperiores non appellit, vel quatenus per illam culturam expeditiorem negotiorum tractationem intendit, etſi iisdem ancilletur, quatenus eadem cultura præſtat, ut ad illas reddamur magis idonei. Sunt autem omnino philoſophiæ media, quibus intellectus excolitur, ut pronior, certior & latior ſit facultatum mentis uſus. Etenim in numero diſciplinarum philoſophicarum Logica eſt, quæ docet modum dirigendi facultatem cognoſcitivam in cognoſcenda veritate (p). Quare ſi rite pertractetur, ex eadem diſcimus, quomodo facultates mentis noſtræ dirigere debeamus, ut veritatem, quam intendimus, cognoſcamus. Qui vero novit, quomodo facultates mentis in veritate cognoſcenda ſint dirigendæ; ei haud obſcurum eſt, quid fieri in dato caſu debeat, ubi quid ad dijudicandum vel inquirendum affertur. Et ubi regularum illarum applicationem in poteſtate habet, exinde ſimul certus reddi-

(p) Diſc. præl. §. 61.

tur, ſe facultatibus mentis ſuæ rite uti. Pertinent huc, quæ de uſu Logicæ in praxi vitæ integro capite explicavimus (q); ſed quæ ibidem etiam legi poſſunt, ea hic repetenda non ſunt. Accedit porro, quod ad facultatem philoſophicam referatur Matheſis univerſa. Ecquis vero eſt, qui ignorat, Matheſeos ſtudio comparari habitum regulis logicis utendi, poſtquam & ab aliis ab omni ævo id inculcatum, & a nobis etiam abunde demonſtratum fuerit. Legat, qui talia nondum ſatis perſpecta habet, quæ in opere logico de methodo logicam diſcendi integro capite tradidimus (r). Quamobrem cum Matheſi operam navare debeat, qui habitum utendi regulis logicis, adeoque mentis facultatibus in veritate cognoſcenda, ſibi comparare voluerit; ad facultatem philoſophicam non tanquam ad ancillam accedere debet. Apparet adeo ſingulare quoddam officium, quod philoſophia cum Matheſi præſtat in univerſum omnibus, qui ad munera quæcunque publica admovendi

(q) §. 1211. & ſeqq. Log. (r) §. 1227. & ſeqq. Log.

vendi ſunt, & quod a Facultate alia fruſtra requiſiveris. Non abſurdum exiſtimari debet, ſi quis vel ſolius intellectus excolendi gratia in Academiam proficiſcatur, utut moribus noſtris hactenus receptum non ſit, ita ut culturam intellectus vel prorſus negligant, vel ſaltem non eo, quo fieri debebat, modo curæ cordique habeant, qui ſtudiorum gratia in Academias proficiſcuntur, & in quocunque ſtudiorum genere multo lætiores experturi eſſent progreſſus, ſiquidem intellectum rite excoluiſſent. Novi equidem eſſe longe plurimos, qui ſibi perſuadent, logicam naturalem abunde ſufficere; artificialem in ſpem futuræ oblivionis addiſci. At vero hi erunt, qui vel ſpuriam didicere logicam, vel genuinæ ſenſum non rite perceperunt, vel denique de ea applicanda parum ſolliciti fuerunt, ſpreto connubio Logicæ cum Matheſi. Quodſi quæſiveris, quænam ſit genuina Logica, & quomodo a ſpuria diſtinguatur, cum nemo non fateatur, eam, quam profitetur, eſſe genuinam, ceteras vero ab ea diſſidentes ſpurias; nodum hunc facile ſolvi poſſe,

nec

nec opus eſſe, ut inſtar Gordii ſecetur, veritatis fiducia aſſeveramus. Etenim in Prolegomenis Logicæ Latinæ, aut, ſi mavis, majoris (s), triplicem exhibuimus lapidem Lydium Logicæ artificialis docentis, cujus ope genuinam a ſpuria facile diſtinguere poteris. Nimirum ibidem oſtendimus, Logicam artificialem genuinam praxi veterum Geometrarum eſſe debere conformem; per regulas genuinæ rationem reddi poſſe cogitationum, quæ ſeſe invicem naturaliter conſequuntur; regulas denique ejus ex ipſa mentis humanæ natura & notione entium in genere demonſtrari poſſe. Primus inprimis lapis Lydius is eſt, quo facillime omnium utimur, cum ceteri ſupponant principia Pſychologica. Secundum iſtum lapidem Lydium nos primo examinavimus Logicam noſtram, &, ubi quædam praxi Geometrarum veterum non ſatis convenire deprehendimus, ratione diſſenſus detecta, eadem correximus, antequam prima ejus lineamenta in libello Germanico in tyronum gratiam, deinde vero in majore opere Latino ſingula præ-

(s) §. 26, & ſeqq.

præcepta uberiori calamo explicata in publicum proferre decerneremus. Cum in Pſychologiam majori ſtudio inquireremus, quam antea ab aliis factum fuerat, ac inprimis operam daremus, ut eorum, quæ in mente contingunt, rationes manifeſtas detegeremus (id quod ante nos nemo fuerat auſus); ipſo etiam opere didicimus, quantam huc afferant regulæ Logicæ genuinæ utilitatem. Et hoc modo didicimus, eam, quam nos tradidimus, Logicam nec a ſecundo lapide Lydio abhorrere. Denique cum opus Logicum ederemus, ex natura mentis humanæ & notione entis in genere regulas omnes demonſtravimus, atque ſic & nos experti ſumus, & aliis palam fecimus, eam, quam nos exhibuimus, Logicam cum tertio quoque lapide Lydio convenire. Cum neceſſitas exigat, ut dicamus, quæ veritati conſentanea ſunt, ne quis in Logicam ſpuriam incidens a veritate aberrare exiſtimet, quæ de cultura intellectus modo commentati ſumus; nemo nobis vitio vertet, quod ipſimet dicamus, qualem Logicam noſtram deprehenderimus, atque polliceamur ei de felici

cul-

culturæ intellectus eventu non eſſe deſperandum, qui Elementorum noſtrorum Matheſeos lectionem attentam cum Logicæ noſtræ tractatione conjunxerit: quamvis nec ei prorſus ſit deſperandum, qui ſolam Logicam attenta mente legerit & relegerit, atque in præceptis applicandis aſſiduus fuerit. Poteramus provocare ad teſtimonium virorum cum doctiſſimorum in ſacris & civilibus dignitatibus conſtitutorum, tum etiam mercatorum aliorumque, qui ſponte ſua literas ad nos dedere, quibus ſignificarunt, ſe præter omnem opinionem didiciſſe, Logica noſtra ſæpius perlecta & ad caſus obvios in negotiis ſuis omnique vita ſolerter applicata, quod ejus doctrinæ certiſſimum ſpondeant uſum, neque in ſpem futuræ oblivionis addiſcantur, ita ut ipſos non piguerit inter ardua, quæ muneris ratio iisdem imponit, negotia Logicæ vel olim neglectæ, vel rurſus oblivioni traditæ nobis ducibus operam navare. Quamobrem id non moramur, ſi vel homines novi ex obtrectatione aliorum ſe meliorum ad nominis quandam famam graſſantes, vel alii, quorum invidia

dia rumpuntur illa, temerariis cenſuris Logicæ noſtræ ſibi potius, quam nobis moleſti ſint: etenim ſi tempus, quod inutiliter ac turpiter in iis taxandis conſumunt, quæ non ſatis intellecta in ſenſum alienum detorquent, in intelligendis bene collocarent, non modo id conſequerentur, ut cenſurarum inanium temeritatem ipſimet perſpicerent; verum etiam non opus haberent, ut ſe ab auditoribus deſtitutos conquererentur. Rectum ac expeditum facultatum mentis uſum in veritate cognoſcenda unicuique prodeſſe plurimum, quocunque tandem vitæ genere delectetur, nemo in dubium facile vocabit. Etſi enim plurimi Logica naturali ſint contenti, qui non inutilem Eccleſiæ ac Reip. operam navant; extra omnem tamen dubitationis aleam poſitum eſt, eosdem Logicæ artificialis inſignem prorſus utilitatem percepturos eſſe, ſi eadem uti ipſis daretur, ut differentiam, quæ intercedit, inter Logicæ naturalis & artificialis uſum, perſpicerent. Animadverterent enim, quam ſint in rebus ad ſe pertinentibus acutiores, ut per experientiam ſcientiæ ſuæ pragmaticæ theſauros

mi-

minore tempore ac ſtudio locupletarent, atque ſuo loco expeditius ac certius veritates ſemel cognitas applicarent; in rebus autem ad ſe non pertinentibus circumſpectiores, ne per præcipitantiam ſibi judicium ſumerent de rebus, quas non intelligunt, & ab aliis ſibi perſuadere paterentur, quæ ſunt a veritate aliena, facilem nimirum præbentes illis aurem, qui pendulum ab appetitu habent aſſenſum. Voluptatem præterea perciperent tum ex iis, quæ nunc indifferenter agunt, tum ex illis, quæ ob perplexitatem moleſta tædia creant. Et quoniam aſſenſum ab appetitu pendulum experimur, quoties ob inevidentiam rationum ſuſpendendus erat, utpote per eas non determinandus; ex aſſenſu autem, qui ab appetitu pendet, magna caterva prodeunt mala; nihil profecto magis optandum eſt, quam ut eorum aſſenſus ab appetitu minime pendeat, qui felicitati generis humani præſunt. Quamvis vero Logica id tantummodo præſtet, ne evidens videatur, quod non eſt, adeoque ſola impedire nequeat, ne pendeat ab appetitu aſſenſus; plurimum tamen adjumenti affert, cum

alias

alias vel inſcius eundem per appetitum determines, utut tibi propoſitum non aſſentiri niſi veritati. Ad ſpecialia commemoranda non deſcendimus, cum eorum, quæ commemoravimus, tanta ſit utilitas, ut abunde ſufficiat ad ſtudii Logicæ verioris utilitatem perſuadendam. Vt tamen hactenus dicta plenius intelligantur, non abs re eſſe videtur, ſi eorum nonnulla paulo diſtinctius exponamus. Logicæ uſum in omni vitæ genere experimur partim in veritatis cognitione acquirenda, partim in veritate cognita ad caſus obvios applicanda. Si veritates ad negotia tractanda proficuas tibi comparare volueris, aut proprio eruendæ ſunt Marte, aut ex aliorum inſtitutione hauriendæ. Communiter experientia duce ſibi comparant, quæ ex diſciplinis non didicere: unde ſeniores multa rerum experientia inſtructi præferuntur junioribus, qui animum adhuc ab experientia vacuum habent. Quodnam adjumentum huc afferat Logica, in opere Logico ex inſtituto docuimus (t). Ejus nimirum præſidio inſtructus ab iis, quæ

(t) §. 669 & ſeqq.

percipit, notiones diſtinctas atque determinatas derivat, & ab iis univerſaliores non minus diſtinctas atque determinatas abſtrahit; quo facto & experientia fit locupletior, & applicatio ejus certior. Quodſi ex aliorum inſtitutione haurienda ſunt, quæ ſcitu utilia; non minorem utilitatem ſpondet Logica, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ de legendis libris (u) & de methodo docendi (x) integris capitibus explicata dedimus. Logica ſcilicet inſtructus acutior eſt in iis, quæ ab aliis dicuntur, dijudicandis, ut nonniſi ea memoria condat, quæ vera & determinata experitur, hoc eſt ea, quæ certum atque rectum ſpondent uſum. Quodſi jam veritates, quas quis ſibi quocunque modo comparavit, ad caſus in vita humana applicandæ ſunt; Logica duplicem præſtat uſum: efficit enim, ut ad circumſtantias caſus præſentis ſimus acutiores, eumque accurate determinemus, utque in applicandis notionibus univerſalibus, quibus inſtructa eſt memoria, ſimus circumſpecti, atque legitime ac expedi-

(u) §. 902. & ſeqq. Log. (x) §. 1118. & ſeqq. Log.

Digitized by Google

pedite de re propoſita ratiocinemur. In veritatibus practicis plurimum juvat propria experientia. Quamobrem quæ de cultura intellectus hactenus diſſeruimus, unus omnium optime intelligit, qui ea in ſeipſo experitur; quæ etiam ratio nos permovit, ut in ſuperioribus ad illorum teſtimonia provocaverimus, qui ea in ſeipſis experti ſunt.

§. 3. Sed mittamus intellectus culturam, qua unusquisque ad vitæ ſuæ genus redditur magis idoneus, & nunc porro diſpiciamus, num Facultates ſuperiores, quæ dicuntur, ſolæ ambitu ſuo complectantur veritates omnes, quæ in Eccleſia & Rep. uſum habent. Conſtat, Theologiam docere modum ſalutem æternam conſequendi, & eadem inſtructos effici Eccleſiæ miniſtros; Jurisprudentiam continere leges, quibus jura rerum & perſonarum comprehenduntur, & eadem inſtructos aptos eſſe, ad controverſias in foro agitatas decidendas; Medicinam denique præſcribere modum ſanandi ægrotos, & eadem inſtructos ægrotis auxilium afferre. Ecquis vero ſibi perſuadebit in Rep. adminiſtranda non occurrere negotia, *Cur Facultates ſuperiores ad Remp. adminiſtrandam ſint inſufficientes.*

Digitized by Google

quorum nec Theologia, nec Jurisprudentia, nec Medicina theoriam continet, cum nec agatur de vita æterna conſequenda Deoque rite colendo, nec de controverſis hominum juribus, nec de ſanitate vel conſervanda, vel inſtauranda. A Facultatibus adeo, quas ſuperiores appellamus, non ſuppeditantur omnia, quæ in Rep. adminiſtranda ſcitu & utilia, & neceſſaria ſunt. Nec defuere viri docti & longo rerum uſu instructi, qui dudum agnovere diviſionem Facultatum in Academiis non firmo niti fundamento & plurima peperiſſe præjudicia, quibus id tandem effectum eſt, ut in Academiis nec ſatis doceantur, nec diſcantur, quæ ad uſum vitæ faciunt, ſed multa negligantur, quæ non minus doceri ac diſci debebant, quam quæ ad Facultates Theologicam, Juridicam & Medicam pertinent. Sed non opus eſt, ut autoritatibus pugnemus, ubi ea recenſere licet, quæ ſcitu apprime neceſſaria ſunt, nec tamen ad objecta Facultatum illarum referri poſſunt. Et cum præter Facultates iſtas alia non detur, quam philoſophica & ad eam referri ſueverint omnia, quæ ab objectis ſuperio-

riorum Facultatum aliena ſunt; exinde omnino colligitur Facultatis philoſophicæ, ſiquidem ſatisfacere debet, eſſe ea docere. Enimvero miſſis generalibus ad ipſam recenſionem ſpecialem accedimus.

Iuris naturalis uſus. §. 4. Jus naturæ ad philoſophiam ſpectare, nemo in dubium vocare poteſt ac a nobis alibi (y) evictum: quamvis ideo non negemus, juris Romani notitiam plurimum prodeſſe ei, qui juris naturalis ſyſtema completum hactenus deſideratum condere voluerit, neque refragemur, ſi jus naturæ ad Facultatem Juridicam referatur, mutata notione hactenus recepta, ſecundum quam nonniſi jus civile & canonicum cum publico Sacri Romani Imperii ad eam ſpectat. Diximus enim diviſionem Facultatum hactenus receptam non firmo ſatis ſtare talo. Quodſi ergo demonſtrari poſſit, jus naturæ habere aliquem uſum, vel etiam plures, quos fruſtra a Jure civili & canonico expectaveris, & illud eſſe addiſcendum a pluribus, qui jus civile & canonicum tuto ignorant; eo ipſo evictum erit,

 phi-

(y) §. 68. Diſc. prælim.

philoſophiam non tantummodo ancillari Jurisprudentiæ, verum perinde ac ipſam tradere, quæ immediatum in vita & Rep. adminiſtranda uſum habent. Jus civile & canonicum non omnes comprehendere caſus, in quibus de jure controvertitur, vel exinde patet, quod Doctorum opiniones de iſtiusmodi caſibus ubivis proſtent, quædam etiam per leges non deciſa judicis arbitrio relinquantur. Illi igitur caſus aut decidendi ſunt per jus naturæ, aut conformiter illis principiis, quibus leges civiles nituntur. Deciſio poſterior majorem ut plurimum requirit habitum inveſtigandi veritatem latentem, quam iis eſſe ſolet, qui caſus iſtiusmodi decidere debet. Et ubi iſtiusmodi habitum ſibi comparare deberent, vel ex dictis paulo ante de cultura intellectus colligitur, opem hic ferre debere philoſophiam cum Matheſi Jurisprudentiæ non ancillantem. Quamobrem conſultius eſt, ut jus naturæ recipiatur in ſubſidium juris civilis, atque ad illud recurratur, ubi ab hoc deſtitutum nos deprehendimus. Enimvero ut id commode fieri poſſit, defectus utique juris

naturalis tollendi, quibus libri de eodem conſcripti adhuc laborant. Quodſi enim libros de jure naturali conſcriptos evolvas, facile perſpicies, diſciplinam philoſophiæ præſtantiſſimam nondum in eam formam eſſe redactam, quæ ipſi convenit, ſcilicet ut ſint propoſitiones determinatæ ac rigoroſe demonſtratæ, & pauciores adhuc caſus in eadem eſſe deciſos, quam in Jure Romano, ut adeo hinc enatum ſit præjudicium, quaſi jus naturæ intra arctiores multo limites contineatur, quam jus civile, cum tamen ad omnes omnino caſus circa actiones hominum conceptibiles extendatur, quemadmodum a nobis in moralibus demonſtratum. Id igitur agendum, ut obtineamus ſyſtema juris naturalis quam maxime completum, ne philoſophia fruſtra opem ſuam implorari patiatur. Conforme præterea eſt principiis politicis, & civilibus quoque legibus ſancitum, ut judex ante partes litigaturas in foro juxta æquitatem componere ſtudeat, quam litem decernat. Et optandum ſane foret, ut idem in foro ſtricte obſervaretur: ita enim & lites multæ initio ſtatim ſopirentur, &

temerarius litigator judici innoteſceret ſeveriori pœna coërcendus, ubi cauſa ceciderit. Quoniam naturaliter æquum eſt, quod legi naturali convenit; ſingularis hinc uſus juris naturalis apparet, qui aliunde quam ab eo expectari nequit. Non abſurdum foret conſtitui in Rep. æquitatis arbitros, qui partes in foro litigaturas ante componere ſtuderent, quam actio in foro ipſis concederetur: quod etſi moribus noſtris non conveniat, non tamen ideo abſurdum dici poteſt. Iſtiusmodi autem arbitri Jurisprudentia naturali inſtructi eſſe deberent, non ignorato tamen legum quarundam civilium cum naturalibus conſenſu. Ceterum cum unusquisque hominum actiones ſuas ad normam legum naturalium componere teneatur, nec alia actionum directione felicitatis illius particeps fieri poſſit, quæ in his terris in hominem cadit & recto facultatum mentis uſu comparatur; nemo ſane eſt, quodcunque tandem vitæ genus amplectatur, cui non hoc nomine jus naturæ maximopere ſit commendandum. Per jus naturæ, ſi quidem rite pertractetur, actionum

num humanarum intrinſeca honeſtas ac turpitudo innoteſcit: quæ cum motiva præbeat exemplo Apoſtoli (z) etiam a Miniſtris verbi divini in ſermonibus ſacris ad populum urgenda, novus aliquis juris naturalis uſus patet, quem philoſophia Miniſtris Eccleſiæ ſpondet, quatenus theologiæ neutiquam anciliatur. Et quoniam promiſcue omnibus utile eſt noſſe actionum humanarum honeſtatem ac turpitudinem intrinſecam, ut inde motiva actionum committendarum vel omittendarum deſumi poſſint; jus naturæ ita pertractari debet, ut honeſtas intrinſeca actionum ac turpitudo in aprico ponatur. Neque enim exiſtimandum eſt, poſſe nos motivis iſtis carere, quibus alia ſunt iſtis multo fortiora, cum non ſine ratione ipſe Apoſtolus motiva ab intrinſeca actionum honeſtate ac turpitudine deſumta urgeat, etſi ceteris quoque fortioribus utatur (a). Demonſtravimus ſane in moralibus, motivis pluribus in unum collectis appetitum fortius impelli, ne ſenſitivus adverſus rationalem prævaleat. Enimvero

(z) Eph. V. 18. (a) 1. Cor. VI. 10.

jus naturæ eo modo pertractari nequit, niſi a philoſopho, ut actionum intrinſeca honeſtas & turpitudo pateat, cum ſic reddatur ratio, cur actio aliqua bona ſit, vel mala; quod utique philoſophi eſt. Si quid tale facit Theologus, vel JCtus, non tamen qua Theologus, nec qua JCtus id facit, ſed quatenus philoſophatur; id quod palam erit differentiam inter cognitionem philoſophicam & hiſtoricam intercedentem cogitanti, quam ſatis perſpicue in Diſcurſu præliminari Logicæ præmiſſo delineavimus (b). Quicunque igitur honeſtatis intrinſecæ ac turpitudinis addiſcendæ gratia ad philoſophiam accedit; is non tanquam ad ancillam facultatum ſuperiorum accedit. Atque adeo manifeſtum eſt, non uno fine juri naturæ operam navari, etſi inde ſubſidium in Facultatibus ſuperioribus non expectes. Nondum tamen omnes enarravimus juris naturalis uſus, quos per ſe ſive in vita, ſive in Rep. adminiſtranda habet. Superſunt enim adhuc alii hactenus recenſitis non inferiores, ſed ii inprimis præclari. Jure naturali opus eſt ad pruden-

(b) §. 4. & ſeqq.

dentiam legislatoriam. Etenim in Politicis demonſtramus, *Vlpiano*, JCto eximio non invito (c), jus civile effici, cum aliquid addimus, vel detrahimus juri naturali. Quamobrem leges civiles conditurus noſſe debet naturales, tum ut conſtet, quænam leges naturales in numero civilium retineri poſſint, tum ut appareat, quid legi naturali vel addendum, vel detrahendum ſit, ut prodeat civilis, dato Reip. ſtatui conveniens. Qui adeo Principibus in ferendis legibus a conſilio ſunt, juri naturali operam dare tenentur, atque adeo denuo ad philoſophiam accedunt non tanquam ad ancillam facultatum ſuperiorum, ſed tanquam ad rerum Magiſtram, quas Jurisprudentia civilis docere nequit. Quamobrem non modo apud Sinas, ſed alias etiam gentes legislatores vel fuere philoſophi, vel philoſophorum conſiliis in ferendis legibus uſi. Abſit autem, ut philoſophus habeatur, qui dicitur, ac hoc nomine abſurdum exiſtimetur, quod hic aſſeritur! Principiis juris naturalis opus habemus in decidendis controverſiis gentium: oſten-

(c) Vide Trim. brum. Num. 2. §. 22. 24.

oſtendimus enim in Politicis & ſuo loco id uberius confirmaturi ſumus, Jus Gentium oriri legibus naturalibus ad Gentes applicatis, quatenus ſpectantur ut perſonæ in ſtatu naturali viventes. Et quamvis præter hoc Jus Gentium neceſſarium detur etiam aliquod arbitrarium; hoc ipſum tamen ex illo eodem modo, quo civile ex naturali efficitur, derivari debet, quatenus nimirum neceſſario aliquid vel demitur, vel detrahitur, quemadmodum clarius expoſituri ſumus, quando de Jure Gentium ex inſtituto agemus. Nullum adeo dubium ſupereſſe poteſt, Jus Gentium, ſi legitime pertractetur, cum Jure naturali ſummis rerum Adminiſtris uſui eſſe. Dudum profecto id agnovere, qui eximium *Grotii* de Jure belli & pacis opus in pretio hoc nomine habent, etſi nondum tradiderit, quæ prorſus ſatisfaciunt. Enimvero Jus Gentium non minus, quam naturæ manum auxiliatricem a philoſopho expectat, ut in Syſtema veri nominis redigatur. Et, ſi vel maxime a Juris interprete doceatur, non tamen ideo deſinit eſſe philoſophiæ pars, conſequenter denuo probat eſſe in philoſophia, quæ diſcun-

ſcuntur, quatenus Jurisprudentiæ non ancillatur. Optandum profecto foret, ut plures eſſe, quam vocari mallent philoſophi, utque philoſophiæ Profeſſores omnes docerent philoſophiam, quam ad publicam privatamque utilitatem aptam in his ipſis Horis ſubſecivis delineavimus (d)! Ita enim omnium optime convincere unumquemque daretur, non nudam eſſe ancillam ſuperiorum Facultatum philoſophiam, nec abſurdum eſſe, ſi quis vel ſolius philoſophiæ addiſcendæ gratia in Academiam proficiſcatur. Etſi autem præclari prorſus ſint uſus, qui Jus naturæ commendant, quatenus Jurisprudentiæ minime ancillatur; habet tamen philoſophia theſauros adhuc plures, quos in utilitates publicas convertere licet, ac de his porro dicendum nobis erit.

Cultura voluntatis a philoſophia petenda.

§. 5. Nullum eſt in Rep. munus, nullum quoque datur vitæ genus, in quo ſincera virtus non plurimum utilitatis afferat. Quamobrem ſicuti ſuperius (§. 2.) oſtendimus opus eſſe cultura intellectus; ita non minus inculcanda eſt ſollicita voluntatis cultura. Culturam volun-

(d) Trim. brum. Num. 1.

voluntatis philoſophia tradit moralis, ſiquidem genuina fuerit, quemadmodum intellectus culturam genuina Logica delineat. Etenim ſi philoſophia moralis nomen ſuum tueri debet, ex natura mentis humanæ, quæ in Pſychologia explicatur, deduci debet modus perficiendi voluntatem, & perducendi appetitum ſenſitivum ad conſenſum cum rationali. Plurimum adeo refert, ut philoſophiæ morali veriori operam navet, quicunque ad virtutem minime fucatam pervenire voluerit, ut ex rationibus intrinſecis determinet voluntatem, nec extrinſecis utatur, niſi quatenus eas intrinſecis jungi prudentia ſuadet. Haud parum a pleriſque peccatur, quod voluntatis culturam prorſus negligant, quaſi ea minime opus ſit ad conſequendam virtutem, ſicuti haud pauci exiſtimant, non opus eſſe cultura intellectus ad acumen atque judicium acre ſibi comparandum. Philoſophia igitur moralis minime ancillatur Facultatibus ſuperioribus, quatenus culturam voluntatis diſtincte delineat, ut conſtet, quibusnam exercitiis ſit comparandus habitus, qui virtutis nomine

ve-

Digitized by Google

venit, atque adeo in virtutis ſtudio aſſidui eſſe poſſimus. Equidem non ignoro philoſophiam moralem hactenus non ſatis fuiſſe excultam, ut adeo parum inde præſidii expectare licuerit. Et quamvis Theologus eximius *Bayerus* ideam quandam Theologiæ moralis dederit, quæ prodeſſe poterat etiam philoſophis; tantum tamen abeſt, ut hi animum ad eam adverterint, ut ne quidem Theologi, qui poſt eum Theologias morales conſcribere conati ſunt, ejus veſtigia ſecuti fuerint. Novi etiam, dari quandam philoſophiæ moralis naturalis ſpeciem, quæ ad eam, quam philoſophus tradere debet, eodem modo ſeſe habet, ſicuti Logica naturalis ad artificialem, neque me fugit homines in multis ſane caſibus philoſophia morali naturali non infeliciter uti, quemadmodum Logica naturali feliciter ſæpius utuntur, qui artificialis ignari ſunt. Enimvero quemadmodum extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, philoſophiam moralem, ut ſic dicam, artificialem multo præclariorem habere uſum, quam naturalem, ſicuti Logica artificialis illuſtriorem multo uſum præbet, quam

quam naturalis; ita etiam operam dare cœpimus, ut philoſophiam moralem ad genuinam formam perduceremus, dabimusque in poſterum operam, ut eandem ulterius perficiamus, ſperamusque fore ut in poſterum plures ad eandem ulterius perficiendam ſocias conferant operas, ubi ceſſante invidia tempus in noſtris intelligendis collocabitur, quod nunc in iis per præcipitantiam carpendis præpoſtere conſumitur. Abſit itaque ut conqueramur philoſophiæ commendari opem, quam petenti ferre nequeat! Nulla profecto diſciplina ad id faſtigii evecta eſt, ad quod evecta eſſe deberet, ut prorſus ſatisfaceret iis, qui eam in futuros vitæ uſus ſibi perſpectam reddunt. Ecquis vero ideo vel in dubium vocaverit eum, quem habet, uſum, vel prorſus eundem contemneret? Diſciplinæ ſicuti in univerſum omnes, ita etiam philoſophia moralis, conjunctis viribus continuo excolendæ ſunt, ut ab iis poſteri percipiant fructus, qui nobis denegantur. Quamvis vero primi ſimus, qui philoſophiam moralem in eam formam redegimus, ut emendationi voluntatis commode inſervi-

Digitized by Google

vire poſſit, de qua hic nobis ſermo eſt; non tamen nullum eſſe ea in re ipſius uſum fatentur, qui eundem reipſa experti ſunt. Quamobrem nobis vitio verti nequit, quod a philoſophia morali eam voluntatis culturam expectari poſſe affirmemus, qua in quocunque vitæ genere ad promovendam generis humani felicitatem opus habemus.

Methodus conjectandi hominum mores.

§. 6. Suam quoque utilitatem hominibus affert methodus conjectandi hominum mores: neque enim ſolum eadem juvat Legatos Principum ad Principes, ſed promiſcue homines omnes in omni vitæ genere, cum nemo ſibi ſoli vivere poſſit, ſed ſingulis res ſit cum aliis. Sæpius nimirum opus eſt, ut ab aliis nobis caveamus damna evitaturi; ſæpius neceſſe eſt, ut aliorum voluntatem flectamus in eam partem, in quam eandem determinari nobis commodum accidit. Sunt etiam, qui aliorum mores ita formare debent, ut ſibi ſponte ſua facere videantur, quod ad nutum alterius faciunt. In his caſibus omnibus, qui, cum generales ſint, plurimos ſpeciales ſub ſe complectuntur, mirifice prodeſt ars conjectandi hominum mo-

res. Agnovere hanc utilitatem artis conjectandi hominum mores jam alii viri, inprimis in omni doctrina ſummi, & excellenti ingenii ac judicii robore pollentes. Sufficiat mihi unum nominaſſe *Conringium*, virum etiam poſt fata ſummum. Is cum *Scipionis Claramontii* de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus libros decem in Germania recudi curaret, non modo artem conjectandi hominum mores eam eſſe dixit, qua & Ethicus, & Politicus, & Orator, & in communi vita unusquisque in rem ſuam uti poſſit & debeat uti, ſed eam quoque notitiam in omni vita, cumprimis vero ad civilia negotia feliciter expedienda neceſſariam, immo & in foro atque concionibus apprime utilem dixit (e). Et in dedicatione ad virum illuſtriſſimum atque excellentiſſimum *Matthiam Biörenklov* ſatis ſuperque oſtendit, non vanam eſſe hanc artem, ſed utique poſſibilem. Quodſi tamen non ſatisfaciat judicium viri, qui vitam Profeſſoris egit, notes velim *Innocentium Maximum*, Procerem Romanum, primum *Britono-*

rien-

(e) *In præf. p. m.* 18. 19.

rienſem, deinde *Cataniensem* Epiſcopum, Florentiæ primum apud Magnum Hetruriæ Ducem, poſtea in Hiſpania apud Regem Oratorem Pontificium, cohortatum fuiſſe *Claramontium*, ut opus ederet, & exemplum ab ipſo obtinuiſſe, quod vel ſumtu ſuo imprimendum curaret (f). Agnovit is utilitatem artis, quam prædicat *Claramontius* (g), non curioſæ per ſe ac temerariæ, ſed multis erga multos tum honeſtæ, tum neceſſariæ. Parentes, inquit *Claramontius*, filiorum & in univerſum inſtitutores alumnorum propenſiones & mores ſicunde bonos aut malos contraxerint, multo debent conatu inveſtigare. Niſi domini ſervos, Principes familiares & miniſtros exploraverint, illi ſibi, hi ſibi & Reip. magno damno erunt. Quæſitores etiam ſcelerum in præcedentes perſonarum mores inquirere, proque eorum differentia multo ſecius ex eodem facto procedere debent. Hactenus *Claramontius*. In philoſophia morali, quam idiomate patrio edidimus, poſthac ve-

(f) Vid. præf. Claramont. p. m. 11. 12. (g) ibid. p. 13.

ro uberius multo expoſituri ſumus, oſtendimus, quomodo ex actionibus hominum ac paſſionibus animi conjectari queant hominum mores ac propenſiones cum naturales, tum adſcititiæ; indicavimus etjam, quemnam uſum habere poſſit Phyſiognomia, quæ hodie prorſus deſerta atque inculta jacet, etſi olim plurimum eidem fuerit tributum. Qui ea ſola perpendit, illi non difficile erit cognoſcere, quod ars conjectandi hominum mores non ſit vana ac temeraria, ſed certis utique principiis innixa. Illud inprimis patet, ubi quis Pſychologiam habuerit perſpectam: in ea enim oſtendimus, dari regulas tam Logicas, quam morales, quas nunquam violare poteſt homo, etſi liberrime agat, ibidemque abunde docui, eorum, quæ in mente contingunt, non minus perſpicuam afferri poſſe rationem, quam illorum, quæ corporibus accidunt; quale quid etſi ante nos nemo aggredi auſus fuerit, vir tamen judicii acris *Conringius* in ea, quam paulo ante commendavimus, dedicatione non impoſſibile judicavit, cum genuina artis noſtræ fundamenta in *iis*

con-

continneantur. Dudum præterea agnovere philoſophi & *Claramontius* inprimis, qui philoſophiam moralem cum Medicina contulit, docuit, eſſe quoque partem quandam philoſophiæ moralis ſemioticam, quæ ſigna virtutum & vitiorum tradit, non minus intellectualium, quam moralium; unde & *Bajerus* in Compendio Theologiæ moralis ſigna actionum hominis chriſtiani recenſere non neglexit. Et nos in philoſophia morali tradidimus quoque ſigna virtutum & vitiorum ſpecialia, ac talia longius proſequemur, ubi partibus Metaphyſicæ & Jure naturali ac Gentium ad finem perductis, philoſophiam quoque moralem ſermone Latino in eam formam reducemus, in quam diſciplinas ceteras philoſophicas redigere cœpimus. Illa autem philoſophiæ moralis pars ſemiotica eſt pars ſpecialis conjectandi hominum mores, quemadmodum generales regulæ de conjectandis hominum moribus ad philoſophiam practicam univerſalem pertinent, ad quam eas quoque retulimus. Ars adeo conjectandi hominum mores tum demum acquiritur, ubi philoſophiæ mo-

rali operam navamus, in qua ex facultatibus mentis ratio redditur a priori virtutum ac vitiorum actionumque ad habitus iſtos ſpectantium. Quamobrem qui illius ſibi comparandæ gratia philoſophiæ morali, &, quam ea ſupponit, Pſychologiæ operam navat, is denuo ad Philoſophiam accedit, non tanquam ad ancillam Facultatum ſuperiorum. Notandum vero, ſi quis in arte conjectandi hominum mores felices progreſſus facere velit; ei tum cultura intellectus eſſe opus, tum animum ejus principiis & ontologicis, & pſychologicis, & moralibus erudiri debere. Patent hæc ex nexu diſciplinarum philoſophicarum, ſi quis eas in ſyſtemata inter ſe connexa redactas conſulit. Etenim ars conjectandi hominum mores ſupponit principia moralia & ontologica, philoſophia moralis ſupponit principia pſychologica & ſubinde quædam ontologica, Pſychologia vero ſupponit principia ontologica. Præterea in applicandis regulis artis conjectandi hominum mores & partis ſemioticæ philoſophiæ moralis ad caſus in vita obvios non modo cultura intellectus opus eſt, verum etiam notiones

nes ontologicæ directricium munere funguntur. Enimvero qui philoſophiam moralem, Pſychologiam & Ontologiam eum in finem addiſcit, is philoſophiæ operam navat, quatenus ea Facultatibus ſuperioribus minime ancillatur. Culturam vero intellectus deberi philoſophiæ, Facultatibus ſuperioribus minime ancillanti, ex iis, quæ ſupra diximus (§. 2), abunde conſtat.

§. 7. Multa ſunt in adminiſtranda Rep. quæ ad theoriam reduci poſſunt, a Jure tamen civili atque publico prorſus diverſa ſunt. Et quamvis impoſſibile non ſit, ut tália longo rerum uſu addiſcantur; non tamen ideo theoria contemnenda eſt tanquam ſupervacanea. Etenim in priori caſu ſucceſſive animo inſinuantur notiones confuſæ, prout caſus tulerit; in poſteriori vero notiones acquiruntur diſtinctæ, quæ multorum annorum experientia non comparari poſſent. Quamobrem hic obtinet differentia, quæ ubivis inter notiones confuſas & diſtinctas intercedit, ſane non exigui momenti, ac in caſu poſteriori brevi temporis ſpatio addiſcuntur, ad quæ diſcenda in priori anni plurimi *Politicæ in adminiſtranda Rep. uſus.*

non ſufficiunt. Accedit, quod theoria, quæ notionibus diſtinctis continetur, etſi in ſe imperfecta a poſteriori celeriter capiat incrementa, quæ illa deſtitutus ſibi promittere nequit. Contingit id eo potiſſimum in caſu, quo cultura intellectus præceſſit, cum ſic ad quodlibet nobis obvium & attentiores ſimus, & in diſcernendis iis, quæ notionem diſtinctam eamque determinatam ingredi debent, acutiores. Theoria vero eorum, quæ in Rep. adminiſtranda obſervanda ſunt, in Politica continetur. Quamvis enim non negemus, plurimos de Politica libellos fuiſſe conſcriptos, in quibus parum vel nihil continetur, quod in Rep. adminiſtranda uſui eſſe poſſit; non tamen ideo impoſſibile eſt, ut in ea contineatur theoria ad uſum accommodata. Et ubi veritates, quæ per plurima volumina non unius generis diſperſæ ſunt, & per quandam quaſi traditionem inter eos propagantur, qui Reip. præficiuntur, in ſyſtema veri nominis fuerint collectæ, Politicæ ſtudium majorem adhuc pollicebitur uſum, quam nunc ab eo expectare licet. Compendium iſtiusmodi ſyſtematis dedimus idiomate

pa-

Digitized by Google

patrio; quod ſi Deus vitam ac vires tam corporis, quam animi clementiſſime largitus fuerit, idem ſermone Latino plenius efficiemus, aliorum opera ſucceſſu temporis magis magisque amplificandum. Conſideremus tantummodo capita Politicæ, quæ in *Thümmigii* Inſtitutionibus philoſophiæ noſtræ leguntur: ita enim conſtabit, ad Politicam pertinere theoriam ad Remp. adminiſtrandam utilem, ſed a Jure civili, canonico atque publico prorſus diverſam. Etenim ibidem agitur de forma Reip. eligenda, de cura imperantis circa numerum civium, circa virtutes intellectuales, circa morales & cultum divinum, circa honeſtatem externam, circa religionem, circa Juſtitiam, circa injurias, circa vitæ neceſſitatem, circa morbos præſertim contagioſos, circa vitæ jucunditatem, circa honores, quatenus Remp. conſideramus ut conſtituendam. Conſtat autem exemplo Sinarum, gentis maxime politicæ, Remp. non uno continuo actu conſtitui poſſe, ſed ſucceſſive per plura ſecula determinanda eſſe ea, quæ, quomodo optime determinanda ſint, non apparet, die

diem docente. Vbi jam porro Remp. ſpectamus ut adminiſtrandam, in Politica agitur de ſummæ poteſtatis & potentiæ collatione, de regimine in genere, de juſtitiæ adminiſtratione in ſpecie, de ſalute ſubditorum ubivis locorum promovenda, de opibus civium conſervandis augendisque, de Conſiliariis, de Oneribus publicis, de tuenda Rep. adverſus inſultus hoſtiles. Ecce tibi generalia Politicæ capita, ſub quibus multa ſpecialia comprehenduntur, quæ hic recenſeri prolixum nimis foret. Ecquis vero exiſtimaverit, doctrinas iſtas eſſe inutiles, propterea quod multæ illarum experientia addiſci poſſunt? Sane novi exempla hominum illiteratorum, qui ipſo uſu jura & formam proceſſus ſibi adeo familiaria reddiderunt, ut cauſas in foro dixerint non ſine applauſu. Ecquis vero inde inferet, non opus eſſe, ut Jurisprudentia doceatur & diſcatur? Brevior & certior via eſt per theoriam, quam per ſolam empiriam, etſi empiricum eſſe oporteat, ubi theoreticus eſſe non poſſis. Ecce adeo denuo philoſophiam Facultatibus ſuperioribus minime ancillantem. Receſſuimus

ſuimus tantummodo generalia capita Politicæ, quæ ſtricte ſic dicitur, omiſſa Oeconomica, quæ de ſocietatibus ſimplicibus agit, & ad Politicam una referri ſuevit, quod ex ſocietatibus ſimplicibus componatur tandem Reſp. Noto notius eſt, ſocietates ſimplices eſſe nuptialem, paternam, herilem, & minus compoſitam domum, unde tandem pagi & civitas prodeunt. Quare cum in Politica doceatur modus promovendi ſalutem & tranquillitatem Reip. in parte ejus priori, quæ Oeconomica dici ſolet, agitur de modo promovendi ſocietatis nuptialis ſeu conjugialis, paternæ, herilis atque domus ſalutem. Continetur hic theoria, quæ in vita communi unicuique utilis, & ſine qua Reſp. felix eſſe nequit. Quare qui hujus theoriæ gratia ad philoſophiam accedit, is eam non quærit tanquam ancillam Facultatum ſuperiorum. Nullum prorſus eſt dubium fore, ut hæc multo evidentius pateant, ſiquidem nobis ad ſpecialia hic deſcendere liceret, ac inprimis oſtendere, quænam ſint in Rep. munera, in quibus obeundis opem opportunam fert exaſciata Politicæ theoria: enimvero non uno

uno nomine a talibus hic abſtinere jubemur, quæ multo rectius atque facilius ex Opere politico majore, quod ſuo ordine dabimus, haurientur.

Oeconomiæ uſus. §. 8. Etſi vulgo Oeconomia dicatur ea philoſophiæ pars, quæ de ſocietatibus ſimplicibus agit: vocabulum tamen alio adhuc ſignificatu accipitur pro parte iſta, quæ docet modum opes acquirendi, acquiſitas conſervandi iisdemque rite utendi, ſeu quod perinde eſt, bona acquirendi & adminiſtrandi theoriam hujus artis eſſe poſſibilem, quis negaverit? Theoriam, ſi detur, fore utilem, quis quæſo, in dubium vocaverit? Intereſt quoque Reip. ut cives ſinguli ſint boni œconomi, ipſaque proh dolor! experientia ſatis ſuperque loquitur, non ſufficere theoriam, quam quis ſibi ſola experientia duce comparat, cum plerumque nonniſi boni fiant œconomi, quibus cupido habendi ingenita eſſe videtur, ut adeo facile in avaritiam incidant, & fraudibus obnoxii fiant, qui boni œconomi eſſe cupiunt. Etenim non quævis diligentia & prudentia œconomum commendat, ſed ea, quæ virtutibus ceteris minime obſtat. Quamobrem

in

in Oeconomia quæ philoſophiæ quædam pars eſt, ubi ad formam ſcientiæ reducitur; non modo tradenda ſunt media, demonſtrandumque, ea ad media rite referri, ſed oſtendendum præterea eſt, media illa eſſe honeſta. Vtramque demonſtrationem nec condere, nec conditam intelligere licet, niſi præſuppoſitis principiis ex variis philoſophiæ partibus. Equidem Oeconomia hoc ſenſu hactenus ex Academiis exulavit, cum nonniſi eam docuerint, quæ de ſocietatibus ſimplicibus agit; non tamen inde inferre licet, illam eſſe talem, ut in Academiis doceri non debeat. Dudum conqueſti ſunt alii, ſcientiam utiliſſimam exulare ex Academiis. Quamobrem nos ut iſti defectui mederemur, principia ad eam ſpectantia paſſim commodo loco interſeruimus, quibus imbutus haud difficulter ſpecialia duce experientia ſibi perſpecta reddit, quando iisdem habuerit opus. Sane in moralibus agimus de officio hominis circa opes tum acquirendas, tum conſervandas, tum adminiſtrandas, ibidemque non modo tradimus principia generalia, quæ cum aliis principiis moralibus demon-

monſtrandæ honeſtati & æquitati mediorum opes acquirendi atque adminiſtrandi inſerviunt; verum etiam non pauca, quæ in Oeconomiæ parte generali locum merentur. Similiter in Politica, ubi curam Principis circa opes, quibus opus habet Reſp. delineamus, plurima traduntur, quæ tam ad Oeconomiam generalem, quam ſpecialem ſpectant; & ubi de domo agimus, ſingula fere talia ſunt, quæ in Oeconomiam transferri poſſunt. In partibus Matheſeos mixtæ, veluti Architectura civili, Mechanica, Hydroſtatica, Aërometria, Hydraulica, Philoſophia experimentali & Phyſica plurima ſane occurrunt, quæ in uſum ſuum convertere poteſt Oeconomus prudens. Non inutilis tamen foret labor, ſi quis principiis mathematicis & philoſophicis inſtructus ſyſtema Oeconomiæ in uſus academicos conderet. Enimvero ſive tale ſyſtema in numero diſciplinarum philoſophicarum contineatur, ſive in diſciplinis ceteris tradantur, quibus œconomus prudens in rem ſuam uti poteſt; philoſophia in neutro caſu facultatibus ſuperioribus ancillatur, cum

ea,

Digitized by Google

ea, quæ ad Oeconomiam ſpectant, a Facultatibus ſuperioribus peti minime poſſint.

§. 9. Phyſicæ pars altera, quæ de finibus rerum naturalium & uſu partium corporum organicorum agit, & quam Teleologiam appellare ſoleo, ſingulares admodum habet uſus in cognitione Dei naturali. Etenim quæ in Theologia naturali de Deo demonſtrantur, beneficio cognitionis rerum naturalium in Teleologia confirmantur. Nullum enim datur corpus naturale, quod non ita pendeat a Deo, ut ex contemplatione ejus ſingula Dei attributa colligere liceat. Eadem igitur Dei notitia hoc modo indeſinenter cum varietate aliqua repeti atque memoriæ ita infigi poteſt, ut ad conſpectum rei cujuscunque attributa divina in mentem nobis veniant. Neque vero hoc exigui momenti videri debet, cum attributa divina præbeant motiva officiorum erga Deum, in quibus pietas conſiſtit philoſophica nobis dicta, quatenus ea cognitione Dei naturali nititur. Quodſi quis ſcripta noſtra philoſophica attenta mente perlegerit, ei non ignota loquimur.

Teleologiæ uſus.

mur. Et Deus profecto totum hoc univerſum non alio fine condidit, quam ut ex ejus contemplatione eum agnoſcamus, continuo mentis res naturales meditantis in Deum aſcenſu. Quamobrem ex hac rerum naturalium cognitione & cum ea conjuncto mentis in Deum aſcenſu eruditi inprimis voluptatem percipere debebant: ita enim creaturis utentur tanquam medio promovendi felicitatem, quibus nunc abutuntur exemplo aliorum in ſuam perniciem, felices ſeſe reputantes ob hunc ipſum abuſum. Si quis veram notionem felicitatis animo comprehenſam habuerit, quam in philoſophica practica ſtabilio, quod nempe ſit ſtatus voluptatis durabilis, hoc eſt, iſtiusmodi, quæ nec unquam in tædium degenerat, nec ipſa tædium parit; is facile intelliget, quid ea rerum naturalium, de qua modo dixi, cognitio ad veram hominis felicitatem conferat. Laudandum adeo eſt illorum ſtudium, qui omnibus viribus in id enituntur, ut naturæ cognitionem in cognitionem Numinis convertant. Et ſuæ felicitati, utut hactenus non ſatis agnitæ, in poſterum tamen clarius agnoſcen-

ſcendæ, conſulunt, qui Phyſicæ ac inde derivatæ Teleologiæ operam navant, ut voluptatis illius participes fiant, quæ animam magis demulcet voluptatibus ſenſualibus, & adminiculo illo utantur, quod ad virtutis ſtudium non exiguum exiſtimari debet. Enimvero qui Phyſicæ ac Teleologiæ eum in finem operam navat, is eam colit non tanquam ancillam Facultatum ſuperiorum: quam enim ipſi fert opem ad felicitatem ſuam amplificandam, atque ad virtutis ſtudium, eam a ceteris Facultatibus expectare nequit. Etſi enim non negetur, ceteras quoque Facultates opem ferre ad utrumque obtinendum; diverſa tamen eſt ab ea, quam Phyſica cum Teleologia nobis promittit.

§. 10. Enimvero non modo Phyſica præbet aliquam in vita communi uſum, quatenus Teleologiæ inſervit, cujus fere ſingula theoremata ex principiis phyſicis demonſtranda ſunt; verum etiam ipſa per ſe non unam affert ad vitam utilitatem, quam aliunde fruſtra expectaveris. Quando erit tempus, quo Phyſici magis philoſophabuntur ad uſum vitæ, miſſis ſterilibus hypotheſi- *Phyſicæ uſus.*

bus, quæ eadem facilitate rejiciuntur, qua admittuntur; utilitas iſta clarius perſpicietur. Nobis igitur in præſenti pauca delibaſſe ſuffecerit. Cum in Phyſicis rerum naturalium rationes explicentur, & per experimenta proprietates corporum latentes in apricum producantur, nos autem rebus naturalibus ad neceſſitatem & jucunditatem vitæ utamur; ſi Phyſica legitimo modo pertractata, quin reperiantur, quæ ad uſum vitæ faciunt, nihil profecto dubii ſupereſt. Quare ſi miſſis hypotheſibus ſterilibus & nonniſi legitimo fœcundarum uſu retento, quem nuper (h) delineavimus, de phyſica ad vitæ communis uſum applicanda ſerio cogitabunt poſteri; quantum ad vitam commode ac jucunde tranſigendam faciat Phyſica, clariſſime conſtabit. Quare qui Phyſicæ operam navat, ut doctrinis ejus in vita communi utatur; is eam non experitur ancillam Facultatum ſuperiorum.

Voluptas ex philoſophia percipienda. §. 11. In philoſophia rationem reddimus, cur ea, quæ fieri poſſunt, actu fiant, & clariſſime perſpicimus, cur quid poſſibile ſit, quemadmodum alibi (i) o-

(h) In Trim. Vern. Num. I.

Digitized by Google

(i) oſtendimus. Atque ideo philoſophica inprimis cognitio animum voluptate perfundit, quam ab hiſtorica expectare non licet (k). Scholaſtici exemplum *Ariſtotelis* aliorumque philoſophorum veterum ſecuti partes philoſophiæ diſtinguebant in theoreticas & practicas, & illas appellabant, quæ in ſola ſpeculatione ſubſiſtunt, atque ideo ſolius etiam ſpeculationis gratia addiſcuntur. Equidem nos non exiſtimamus dari aliquam veritatem, quæ ſolius ſpeculationis gratia addiſci debeat; quin potius ſerio inculcamus, veritatem omnem eſſe utilem ad nos ſtatumque noſtrum perficiendum, ac generis humani felicitatem promovendam, modo de uſu ex veritate ſtatuere nobis detur, non ignoratis principiis philoſophiæ moralis atque civilis; ſed iisdem potius intime perſpectis. Non tamen ideo negamus, eſſe aliquem caſum, in quo quis reprehendi nequit, ſi ſolius ſpeculationis gratia philoſophicas & mathematicas theorias contemplatur, nempe ſi quis contentus voluptate, quam ex philoſophica vel

(i) In Diſc. prælim. §. 31. (k) §. 44. Diſc. prælim.

mathematica cognitione percipit, de illarum uſu in vita communi, vel incrementis ſcientiarum ulterius promovendis non cogitat. Quodſi vero rite perpendas, quæ nuper de voluptate ex cognitione veritatis percipienda diximus, non exiguum eſſe hunc uſum judicabis, quod veritatibus iſtis utaris tanquam pabulo animæ. Sed quoniam ob hanc ipſam voluptatem diſciplinas theoreticas maximi fecere Scholaſtici, easque practicis longe prætulerunt, verbis magis, quam re a nobis diſſenſere. Admiſere igitur uſum longe maximum eorum, quæ ſolius ſpeculationis gratia addiſcenda eſſe defenderunt. Quodſi jam fuerit, qui vitam pure ſpeculativam acturus Phyſicam inprimis, Pſychologiam & Matheſin, præſertim puram, addiſcit, ut voluptatis illius particeps fiat, quæ ex veritatum, præſertim ſublimium, cognitione percipitur, atque hiſce delitiis animum paſcat; is ad philoſophiam denuo accedit non tanquam ad ancillam Facultatum ſuperiorum.

Cur non plura hic enumerentur,

§. 12. Sed hactenus dicta ſufficiant, ut probemus, philoſophiam non tantum ancillari Facultatibus ſuperioribus

bus, verum etiam ea docere, quæ ad omnem vitam apprime utilia, immo neceſſaria ſunt, a Facultatibus tamen ſuperioribus fruſtra expectantur. Quodſi nobis cum Facultate philoſophica, non cum philoſophia res eſſet; eſſent adhuc utique, quæ ſilentio præteriri non poterant. Etenim ad Facultatem philoſophicam refertur etiam Matheſis, etſi eam a philoſophia diſtinguamus, cum cognitio rerum mathematica non minus differat a philoſophica, quam philoſophica ab hiſtorica ſive communi (l). Referuntur etiam ad eandem ſtudia humaniora. Studiis humanioribus opus habent ad futurum vitæ genus, quotquot in ſcholis juventutem erudire, & ad academicas lectiones præparare debent. Iidem quoque philoſophicis principiis, immo mathematicis imbuti eſſe debent, ut animos puerorum & adoleſcentum non modo terminorum præcipuorum, tam mathematicorum, quam philoſophicorum, notitia imbuant, iisque primas ac fundamentales cum Matheſeos, tum philoſophiæ notiones ingenerent. Atque

quæ a Facultatibus ſuperioribus peti nequeunt.

(l) §. 6. 17. & ſeqq. Diſc. prælim.

que ſic denuo philoſophiam, Matheſin & Facultatem philoſophicam experiuntur non eſſe ancillam Facultatum ſuperiorum. Et dolendum profecto eſt, quod ad rem ſcholaſticam non magis præparentur, qui totam vitam eidem conſecrare decreverunt, ſed vulgo eam adminiſtrare jubeantur miniſterii eccleſiaſtici candidati. Sed de eo ex inſtituto dicemus in Politica majore, etſi jam multa huc ſpectantia reperiri poſſint in Politica, quam patrio idiomate edidimus. In Matheſi plurima docentur, quæ manifeſtum uſum in vita communi atque civili admittunt. Quodſi tantummodo animum advertamus ad Arithmeticam, Geometriam practicam, Architecturam civilem & militarem, Mechanicam atque Hydraulicam, ſingulasque diſciplinas vel fugitivo oculo percurrimus; extemplo apparebit, doceri in iisdem, quæ ſunt ad vitam apprime utilia, a Facultatibus tamen ſuperioribus addiſci nequeunt. Et quamvis Arithmeticam & Geometriam practicam, architecturam civilem & militarem atque Mechanicam exerceant, *qui* ſunt Mathematum principiorumque

phy-

phyſicorum rudes; facile tamen oſtendi poterat, quam forent illi omnes feliciores, & quantum conſuleretur Reip. ſi theoriam quandam Matheſeos & philoſophiæ experimentalis cum praxibus ſuis jungerent; quod ubi fieret, quemadmodum ſubinde fieri ſolet, Facultas philoſophica in iis erudiendis non ſubiret vicem ancillæ Facultatum ſuperiorum. Enimvero cum nobis propoſitum fuerit verba facere non de Facultate philoſophica, ſed de philoſophia non ancillante; omnia iſta nunc præterimus; reddenda tamen erat ratio, cur eadem præterire debuerimus.

§. 13. Antequam vero hinc diſcedamus, duo adhuc monenda ſuperſunt, ne hactenus dicta facile in perverſum ſenſum trahantur. Nimirum dum hic de philoſophia non ancillante commentati ſumus, non ideo negamus eam Theologiæ, Jurisprudentiæ ac Medicinæ ancillari. Etenim philoſophia dicitur ancillari Facultatibus ſuperioribus, quatenus & terminos, & principia ſuppeditat, quibus ad rectius intelligenda ea, quæ a ſuperioribus Facultatibus docentur, opus eſt. Etſi igitur oſtenderimus, *Epilogus.*

ex philoſophia addiſci poſſe, quibus cum in vita communi, tum in civili opus eſt, atque a Facultatibus ſuperioribus fruſtra expectantur, ac in his philoſophiam non ancillari Theologiæ, Jurisprudentiæ, Mediciuæ; hoc tamen non obſtante ex eadem hauriuntur, quæ ad Theologiæ, Jurisprudentiæ & Medicinæ ſtudium feliciter abſolvendum mirifice proſunt, ſicque philoſophiam Facultatibus ſuperioribus ancillari. Nos ſane contendimus, antequam ad Theologiam tractandam quis accedat, ei & Logicam, & Metaphyſicas diſciplinas omnes, & philoſophiam inprimis moralem, tum & civilem atque naturalem cum Matheſi tam pura, quam aliquot partibus mixtæ addiſcendas eſſe; antequam quis ad Jurisprudentiam accedat, ei diſcendam eſſe Logicam, Metaphyſicam, philoſophiam moralem atque civilem cum Matheſi inprimis pura, quantum ad culturam intellectus ſufficit; antequam denique quis ad Medicinam accedat, ei pariter addiſcendam eſſe Logicam atque Metaphyſicam, & præterea Phyſicam, cum Matheſi pura & Opticis atque mechanicis diſciplinis.

nis. Et, ſi quis initio ſtudiorum academicorum, unum vel alterum annum ſoli philoſophiæ & Matheſi operam dederit, ei intra annum unum majores in Facultate, quam ſibi elegit, ſuperiore progreſſus pollicemur, quam ſi integrum biennium vel triennium in ſola Facultate ſuperiori conſumſit. Sed de his dicere non eſt, nec fuit præſentis inſtituti. Notandum ſecundo loco venit, dum philoſophiam non ancillantem repræſentamus, & falli rationem contendimus, cur Facultas philoſophica dici ſueverit inferior in oppoſitione ad ſuperiores; nos non ideo vocabulis offendi, quaſi ceteris Facultatibus invideamus prærogativam, quam ipſis conſuetudo tribuit. Quamvis enim propterea philoſophia non ſatis commodo ſenſu ancilla Facultatum ſuperiorum dicatur, quod ipſis præbeat principia, quibus, quæ parum ſunt, & clariora fiunt, & certiora firmantur, adeoque ancilla appelletur, quatenus dominæ alias in tenebris ambulaturæ facem præfert, ne forte labatur; philoſopho tamen perinde eſt, quocunque nomine quid appelletur, modo de veritate rei conſtet. Sive enim philoſo-

phiam ancillam, ſive dominam dixeris, ſi utrumque ſalva rei veritate fiat, una utrique vocabulo reſpondet notio, nec magis commovetur ideo philoſophus, qui ex notionibus, non ex vocabulis de rebus ſtatuit, ubi philoſophiam dominam, quam ubi ancillam Facultatum ſuperiorum appellari audit. Nimis puerilis eſt animus, cui vocabula faſtum inſpirant.

IV.

De Notione morbi.

§. 1.

Inſtitutum. In trimeſtri ſuperiori oſtendimus modum analytice inquirendi in notionem ſanitatis, ut uſum quendam principiorum logicorum & ontologicorum oſtenderemus; ad quem laborem nos invitabat diſſenſus Medicorum in ſanitate definienda. Quare cum morbus ſanitati opponatur, & non minus notio morbi, quam ſanitatis notio inter fundamentales referri mereatur; operæ pretium nos facturos confidimus, ſi in eandem eodem ſtudio inquiſiverimus, quod ilii impendimus. Quoniam morbus eſt oppoſitum ſanitatis, in ſanitate autem

autem definienda non prorſus conſentiunt Medici (m): facile hinc prævidemus, non majorem eſſe poſſe in definiendo morbo conſenſum. *Galenus* (n) morbum definit per actionum ceſſationem. Non probat hanc definitionem *Sennertus* (o), quoniam & dormientes, aut alioquin in tenebris & otio degentes, neque ulla corporis parte moventur, neque alium rei extrinſecæ ſenſum habent; nihilominus tamen ſani ſunt. Ipſe igitur eam definire mavult per impotentiam naturales actiones exercendi. Cel. *Boerhavius* (p) morbum eſſe ait ſtatum corporis tollentem facultatem exercendæ actionis cujuscunque. Cel. *Hoffmannus* (q) morbum rectius definiri affirmat, quod ſit magna mutatio & turbatio proportionis & ordinis motuum in ſolidis & fluidis, cum vel nimis accelerati, vel retardati in univerſo corpore, aut in certis partibus ſunt, juncta cum inſigni læſione ſecretionum, excretionum & aliarum functionum

(m) Trim. æſt. num. IV. §. 1. (n) lib. 1. de differ. morbor. c. 2. (o) Inſtit. Medic. lib. 3. c. 1. (p) in Inſtit. Medic. §. 696. (q) Med. ration. Tom. 2. Part. 1. c. 2. §. 3.

num corporis animati, tendens vel ad ejus ſalutem aut interitum, vel ad pravam partium ad alios morbos diſpoſitionem. Hanc definitionem realem eſſe affirmat, utpote non modo rationem ejus formalem, quæ læſio & depravatio actionum eſt, ſed inſuper ejus geneſin ac proximam & continentem cauſam, quæ eſt mutata proportio motuum in univerſo corpore vel ejus partibus, complectitur, & effectum morbi in corpus declarat. *Ettmüllerus* (r) morbum definit per labefactionem integritatis vitæ, hoc eſt, ſanitatis. *Campanella* (s), ægritudinem ſive morbum medium eſſe ait inter vitam & mortem, & alibi (t) affirmat, eſſe enormitatem præter naturam in individuo. Tantus cum appareat in definiendo morbo diſſenſus, operæ pretium videtur, ut in notionem morbi eo modo inquiramus, quo perſpicuum redditur, quantus ſit conſenſus, quantus diſſenſus. Etenim non infrequens eſt, ut viri egregii in re conſentiant, in verbis diſſentire videantur.

§. 2.

(r) Pathol. c. 1. §. 1. p. 1. (s) Medic. lib. 2. c. 1, §. 1. p. 35. (t) lib. 3. c. 2. p. 78.

§. 2. Modus perveniendi ad notionem morbi duplex eſt. Alter præſupponit notionem ſanitatis, alter vero eam non ſupponit; unus adeo mediatus eſt, immediatus eſt alter. Mediatus facillimus eſt; de eo igitur dicemus primo loco. Conſtat itaque morbum eſſe ſanitatis oppoſitum: etenim vulgo pro ſynonymis ſunt, laborare morbo, ſeu eſſe ægrotum, & non eſſe ſanum. Quare ubi ſanitas definita præſupponitur; ægrotus definiri poteſt per eum, qui ſanus non eſt, conſequenter de ægroto removenda ſunt, quæ de ſano affirmantur. Jam conſtat (u), ſanitatem dici eum corporis ſtatum, quo ſingulæ ejus partes ad uſus ſuos omnes, quibus deſtinantur, aptæ ſunt, & eam corporis partem dici aptam, quæ ad munus ſuum obeundum, cui deſtinatur, apta eſt. Morbus igitur eſt is corporis ſtatus, quo una vel plures ejus partes ad uſus ſuos, quibus deſtinantur, aptæ non ſunt. Ita oculus non erit ſanus, quando ad viſum deprehenditur ineptus; ventriculus non amplius ſanus erit, quando ad cibos digerendos fuerit ineptus; manus non

Modus facillimus perveniendi ad notionem morbi.

(u) loc. cit. §. 3. p. 328.

non erit ſana, quando non ſine dolore movetur, aut is ejus ſtatus eſt, quo motus quidam alias poſſibiles prorſus conſequi nequeunt. Quare ſi quis illarum partium corporis ſtatus obtinuerit; corpus aliquo morbo laborat. Hanc viam ingreſſus eſt etiam *Sennertus*. Etenim is ſanitatem definit per potentiam corporis humani, eas, quæ ſecundum naturam ſunt, actiones exercendi, a partium omnium naturali conſtitutione provenientem. Morbum vero definit per impotentiam naturales actiones exercendi. Removet igitur in definitione morbi a corpore ægroto, quæ affirmaverat de corpore ſano. Etenim cum corpori ſano tribuiſſet potentiam certas quasdam actiones exercendi; ab ægroto potentiam illam removet, eidemque impotentiam actiones iſtas exercendi tribuit. Actiones, quæ ſecundum naturam ſunt, & actiones naturales, ſunt unæ eædemque actiones. Quamobrem exercitium illarum actionum a corpore ægroto removet, quod corpori ſano conceſſerat. Equidem *Galenus* eodem tramite non inceſſiſſe videtur in definitione morbi inveſtiganda. Etenim ſanitatem

tem vocat naturalem omnium partium conſtitutionem, vel diſpoſitionem ſecundum naturam actionum naturalium autorem. Ergo hinc colligi debebat morbum eſſe præternaturalem partis unius vel plurium conſtitutionem, vel diſpoſitionem præter naturam actionum naturalium autorem. Vidimus tamen *Galenum* definire morbum per actionum naturalium ceſſationem, atque ideo cenſuram incurrere *Sennerti* autoritati *Galeni* alias multum tribuentis. Enimvero cum non ex verbis judicium ferri debeat de mente autoris, ſed ex notionibus, quæ verbis reſpondent, quemadmodum in opere Logico ſtabilivimus, & in inveſtigandis notionibus juris naturæ, gentium & civilis ex mente JCtorum Romanorum (y) exemplo docuimus; nulli dubitamus affirmare, quod definitio *Galeni* & ea, quæ ex ejusdem definitione ſanitatis colligitur, ſit una eademque. Etenim cum non infrequens ſit, ut ſubinde pauciora dicantur, quam quæ notio animo obverſans continet; igitur æquum eſt, ut ea ſuppleamus verba, quæ prætermiſſa ipſa notio

(y) Trim. brum. num. 2.

notio ſuggerit. Obſervavit *Galenus*, in corpore ſano locum habere actiones, quæ in ægroto ceſſant, & in ægroto eas ceſſare ob rationem intrinſecam, nempe quia organum ſeu pars corporis non amplius ita diſpoſita eſt, ut eædem inde conſequi poſſint. Quare cum morbum dixerit actionum naturalium ceſſationem, dum in diſpoſitionem ſeu conſtitutionem partium animum intendit, adeoque rationem ceſſationis in ipſa parte, non extra eam ſupponit; dicendum omnino erit, eum intelligere ceſſationem actionum ob rationem parti, cujus actio eſt, intrinſecam, conſequenter id definitioni *Galeni* adjiciendum, ut mentem ejus adæquate exprimas. Enimvero hoc facto nulla amplius differentia eſt inter definitionem *Galeni* & eam, quæ ex notione ſanitatis, quam dedit. eruitur. Immo tunc non amplius valebit adverſus eam objectio, quam moverat *Sennertus:* cum enim ceſſatio actionum ſequatur ex eo, quod partes corporis ad eas edendas non amplius diſpoſitæ ſint, morbus utique conſiſtit in impotentia actiones naturales exercendi etiam juxta *Galenum.* Quamobrem

Digitized by Google

obrem *Sennertus* eandem prorſus cum *Galeno* notionem morbi habet, niſi quod clarius enunciet, quæ ab hoc obſcurius dicta videntur, ubi verba extra contextum leguntur. *Boerhavius* vero notionem morbi non formavit prorſus hoc modo, ut a corpore ægroto tantummodo removeret ſanitatem: etenim genus ſuperaddidit, quod nec ipſum in definitione ſanitatis habetur, nec cujus contrarium in ea ponitur. Cum enim ſanitatem definiviſſet per facultatem corporis omnibus actionibus perfecte exercendis aptam, morbum definit per ſtatum corporis viventis, qui tollit facultatem exercendæ actionis cujuscunque; id quod perinde eſt, ac ſi diceret, morbum eſſe ſtatum corporis viventis, quo ſanitas tollitur. Quodſi ſanitatem definiviſſet per ſtatum corporis, quo ipſum ad omnes actiones exercendas aptum eſt; eadem via ad definitionem morbi perveniſſet, quam hic ingreſſi ſumus, quod nempe ſit ſtatus corporis viventis, quo ad actiones quascunque ineptum eſt. Quodſi definitionem ſanitatis *Hoffmannianam* cum definitione morbi contuleris; apparet

 tie-

denuo, nec *Hoffmannum* eo modo definitionem morbi ex definitione ſanitatis collegiſſe, quo contrarium unum ex altero colligitur. *Ettmüllerus* vero, etſi verba idem non ſatis aperte loquantur, in explicatione tamen, quam in contextu addit, contrariorum legem ſtrictiſſime obſervat. Etenim ubi ſanitatem per vitæ integritatem, morbum autem per ejus labefactionem definit; integritatem conſiſtere ait in legitima diſpoſitione ſeu conſtitutione partium quarumvis machinam corporis componentium, per quam agere & operari ſecundum leges a natura præſcriptas aptæ natæ ſunt, & contrarium in morbis fieri monet.

Modus alius perveniendi ad notionem morbi.

§. 3. Poteſt etiam perveniri, quemadmodum diximus, ad notionem morbi independenter a notione ſanitatis eo prorſus modo, quo in ſuperiori trimeſtri in notione ſanitatis perveſtiganda uſi ſumus. Quodſi ergo definitiones autorum diverſas inter ſe conferas, in eo tamen omnes convenire deprehendes, quod in morbo partes corporis non ſint ad actiones exercendas aptæ, quibus per naturam deſtinantur. Vt adeo appareat,

reat, attentionem noſtram in partes corporis eſſe dirigendam, quatenus certis actionibus deſtinantur, & ad has actiones exercendas ineptæ redduntur. Quodſi igitur conſideres, quæ in trimeſtri ſuperiori de partibus, ex quibus corpus humanum conſtat, annotavimus, & ad ſimilitudinem quoque ab horologio deſumtam animum adverteris; præter eum ſtatum, quo partes ſingulæ ad ſuos uſus, quibus deſtinantur, aptæ deprehenduntur, alterum adhuc, qui iſti opponitur, concipere datur, in quo pars una vel altera, plures, vel pauciores ineptæ ſunt ad eos, quibus deſtinantur, uſus. Quoniam hæc ſatis aperte nuper jam diximus, non opus eſt, ut ibi dicta repetamus. Enimvero cum nemo dicat corpus eſſe ſanum, quando eum ejus experitur ſtatum, quo pars una vel altera ita ſeſe habet, ut ad uſum, cui deſtinatur, inepta ſit, neque adeo amplius munere ſuo defungi poſſit, quo in fines toti corpori præſcriptos influit; quin omnes potius affirment, ſe non eſſe ſanos, ſi v. gr. manum vel brachium non ſine dolore movere poſſint, vel ſi ventriculus cibum ingeſtum ſtatim rurſus

ejiciat, nec retentum digerere queat; hinc omnino colligitur, ægrotum eſſe corpus eo in ſtatu, quo partes ſingulæ ad munia ſua obeunda non amplius apta deprehenduntur. Quamobrem morbus recte definitur per ſtatum corporis, quo una vel altera pars ad uſus ſuos omnes, quibus deſtinatur, non amplius apta deprehenditur. Hæc definitio ſtatum corporis ægroti a ſtatu corporis ſani, immo etiam a ſtatu corporis mortui, quo nulla amplius pars actiones, ad quas per ſtructuram ſuam diſpoſita eſt, exercere valet, diſtinguit, adeoque completa eſt.

Sedes morbi & morborum varietas. §. 4. Sedes igitur morbi dicitur eſſe in ea parte, quæ quacunque de cauſa interna impeditur, quo minus ſuis functionibus apta ſit, quibus deſtinatur, etſi propter nexum partium aliæ in conſenſum trahantur, hoc eſt, propter læſionem alterius ſimul in actionum ſuarum exercitio impediuntur. De morbo cum jam judicium ferri nequeat, niſi conſtet, quænam ſit pars affecta; de ſede morbi inprimis diſpiciendum eſt Medico, & cautione opus eſt, ne in ea determinanda fallatur, cum partes internæ in ocu-

oculos non incurrant, adeoque illa tantum non ſemper ex iis colligi debent, quæ in ſenſum incurrunt. Atque hinc porro intelligitur, variari morbos pro varietate partium, in quibus earum ſedes eſt, ſiquidem partium actiones, aut, ſi mavis, functiones diverſæ ſunt. Renes urinam ſeparant; ventriculus cibum concoquit, ſeu digerit. Si renes ad urinam ſecernendam inepti ſunt, corpus ob hanc ipſam impotentiam renum jam morbidum eſt. Similiter ſi ventriculus ad cibos bene digerendos ineptus eſt; hæc impotentia ejus in numero utique morborum eſt. Impotentia tamen urinæ ſecernendæ & ciborum concoquendorum non unus idemque morbus eſt, nec mutatio ſtatus in corpore, quæ inde porro conſequitur, in utroque caſu eadem eſt. Quodſi ergo hanc varietatem perſequi quis voluerit, is ex Phyſiologia uſum partium ſibi perſpectum reddere debet: ita enim demum patebit, quomodo uſus iſte impediri poſſit, & intelligentur ea, quæ porro inde in corpore humano turbantur. Atque ita manifeſtus eſt uſus Phyſiologiæ in Pathologia, reddique poteſt

teſt ratio, cur illa huic ſit præmittenda.

Conſenſus autoris cum Medicis quantus ſit.

§. 5. Etſi autem definitiones morbi, quas ex diverſis autoribus, quorum in re Medica magna eſt autoritas, in medium adduxi, plurimum a ſe invicem differre videantur; bene tamen & inter ſe, & cum definitione noſtra conſentiunt, ſi non tam ad verba, quam ad mentem illorum reſpicias, & in illis non magis fueris ſcrupuloſus, quam ipſimet autores fuere. Morbum definivimus per ſtatum corporis, quo una vel altera pars ita ſeſe habet, ut ad uſum, cui deſtinatur, inepta ſit, neque adeo amplius munere ſuo defungi poſſit, quo in fines corpori toti præſcriptos influit, ſeu, quod perinde eſt, quo pars una vel altera ad uſus ſuos omnes, quibus deſtinatur, vel ad quos per ſtructuram ſuam & naturam corporis diſpoſita eſt, inepta deprehenditur. Definimus morbum per ſtatum corporis, quemadmodum & ſanitatem nuper per eundem definivimus, propterea quod tam morbo, quam ſanitati convenit notio ſtatus diſtincta, quod ſit coëxiſtentia mutabilium cum iisdem fixis, atque adeo muta-

bi-

bilium determinatione enaſcatur (y). Vir Celeberrimus *Boerhavius* & ipſe generis loco poni ſtatum corporis viventis. Videtur in eo a nobis diſtare, quod morbum habeat pro ſtatu corporis viventis, cum nos morbum nonniſi per ſtatum corporis definiamus, omiſſa iſta reſtrictione. Enimvero non tam tacite ſupponimus, tum ſanitatem, tum morbum eſſe ſtatum corporis vivi, quatenus extra controverſiam per ſe patet, tum ſanitatem, tum morbum nonniſi de corpore vivo accipi, id quod aliis autoribus ſolenne eſt; quam quod cetera, quæ differentiæ ſpecificæ loco a nobis adjiciuntur, non conveniant niſi corpori vivo. Is enim ſtatus corporis vivi eſt, in quo una vel altera pars corporis inepta eſt ad ſuos, quibus deſtinatur, uſus; cum in corpore mortuo nullum amplius organum, quocunque nomine veniat, ad ullam amplius actionem aptum deprehendatur, propterea quod principium activum nullum amplius adeſt in toto corpore. Diſcernimus morbum a ſanitate per id, quod in corpore ſano partes ſingulæ aptæ ſint ad

(y) § 705. Ontol.

uſus ſuos omnes, quibus deſtinantur; ex adverſo autem in ægroto pars una vel altera ad uſus ſuos omnes, quibus deſtinatur, non amplius apta deprehendatur; id quod duplici modo contingit, vel quatenus partis conſtitutio talis evadit, ut uſus, cui deſtinatur, non amplius ſit poſſibilis, veluti cum inteſtinum rumpitur a percuſſione violenta abdominis, qualem caſum paucis ante diebus hic experti ſumus, ut fæces alvi non amplius continere, multo minus ad anum promovere poſſit; vel quatenus cauſa aliqua impedit, quo minus eam edat actionem, quæ per ſtructuram & reliquam ejus conſtitutionem adhuc poſſibilis, veluti cum fæces alvi duriores obſtant, quo minus ab inteſtinis excerni queant. *Boerhavius* ait tolli facultatem actionis cujuscunque; quæ verba cum duplicem ſenſum habere poſſint, ita explicanda ſunt, ut in materiam ſubſtratam conveniant (z). Abſurdum enim foret, ſi quis ſciolorum more, quibus proh dolor! Germania hodie abundat, contenderet, virum in arte Medica ſummum mentis aciem intendiſſe in ſenſum

(z) §. 920. 921. Log.

ſum a veritate alienum. Nimirum ſi quis affirmat, tolli facultatem actionis cujuscunque in corpore; is vel affirmat, nullam amplius actionem, qualiscunque tandem ea ſit, in iſto corporis ſtatu eſſe posſibilem; vel nullum dari actionis genus, in cujus edendæ impotentia non conſiſtat aliquis morbus. Prior ſenſus non convenit in corpus vivum, cui morbum tribuit vir egregius, ſed in mortuum; poſterior autem in vivum quadrat. Concludendum itaque juxta *Boerhavii* mentem, morbo laborare corpus, ſi quæcunque actio, ad quam pars quæcunque corporis per ſtructuram & naturam ſuam diſpoſita eſt, edi minime posſit. Atque ſic eadem prorſus notio verbis *Boerhavianis* reſpondet, quam noſtra inſinuant, ſimulque apparet ratio, cur *Boerhavius* morbum dixerit ſtatum corporis vivi, nobis vero ſufficiat dixiſſe ſtatum corporis: etenim ille differentiam ſpecificam ita enunciat, ut lector incautus verba in ſenſum perverſum a mente ipſius alienum trahere poſſet, adeoque illam reſtrictionem addere tenebatur, ineptam interpretationem declinaturus; nos vero eandem iis eſſe-

rimus verbis, quæ interpretationi iſtiusmodi obnoxia non ſunt, atque adeo reſtrictione iſta opus non habemus. Dum *Sennertus* aſſirmat, in corpore ægroto actiones naturales exerceri non poſſe, quarum exercitium cadebat in corpus ſanum; non aliam aſſignat inter corpus ſanum atque ægrotum differentiam, quam nos tradidimus. Quoniam enim ipſi vocantur actiones naturales, ad quas pars aliqua corporis per ſtructuram & naturam ſuam diſpoſita eſt; ſi quæ actiones naturales exerceri nequeunt, pars illa, quæ iſtis deſtinatur, ad uſus ſuos minime apta deprehenditur. Is autem ſtatus, quo quid tale obtinet, morbus a nobis appellatur. Eodem igitur modo, ſi rem, non verba ſpectes, *Sennertus* morbum a ſanitate diſtinguit, quo nos illum ab hac diſtinguimus. Dum vero ipſam impotentiam generis loco ponit, non ideo negat, morbum eſſe quendam corporis ſtatum. Eſt enim impotentia in numero mutabilium, atque adeo per eam corporis ſtatus determinatur. Quoniam adeo abſonum eſt, in verbis eſſe nimis ſcrupuloſum; perinde igitur nobis eſt, ſive quis

mor-

Digitized by Google

morbum ſtatum corporis dicat, ſive appellet id, quo ſtatus iſte conſtituitur. *Galenum* jam ante (§. 2.) in gratiam reduximus cum *Sennerto*, neque nos pudet illius reductionis: etenim eam eſſe menti ipſius prorſus conformem, clariſſime oſtendere licet. Nimirum cum *Galenus* (a) definitionem cauſalem formali ſubſtituit; morbum definit per conſtitutionem partium corporis humani præter naturam, vitiatæ functionis cauſam, ſeu, per diſpoſitionem præter naturam, ob quam actio læditur. Atque tum luce meridiana clarius eum in morbo non aliam admittere actionum ceſſationem, quam quæ inde provenit, quod pars, unde proficiſci debebant, ad eas edendas ſit inepta, conſequenter non amplius apta ad eos, quibus deſtinatur, uſus. Et cum hanc *Galeni* definitionem cauſalem probet *Sennertus* (b); eidem genuinam morbi notionem fuiſſe omnino largitur, conſequenter nec ægre ferret, ſi viveret, quod ipſius quoque definitionem formalem ad eandem notionem ſecundum nobis conſue-

(a) de differ. morb. c. 2. (b) Inſtit. Med. lib. 2. part. 1. c. 1. p. m. 139.

ſuetas interpretandi leges revocaverimus. Nobis autem graves omnino ſunt rationes, cur in hiſce horis ſubſecivis multiplici exemplo æquitatem in interpretando in opere logico per præcepta ſtabilitam illuſtremus; ſed ea in præſenti recenſeri prolixum nimis foret. Redeamus igitur ad inſtitutum noſtrum! *Ettmüllerus* morbum definit per labefactionem integritatis vitæ. Verba a notione morbi, quæ nobis eſt, & quam aliis Medicis præclaris fuiſſe oſtendimus, prorſus aliena eſſe videntur. Enimvero ſi conſideres, quomodo integritatem vitæ explicet, nec ipſi aliam fuiſſe notionem ſanitatis optime perſpicies. Integritas, inquit *Ettmüllerus*, conſiſtit in legitima diſpoſitione ſeu conſtitutione partium quarumvis machinam corporis componentium, per quam agere & operari ſecundum leges a natura præſcriptas aptæ natæ ſunt. Quare ubi integritas illa vitæ vitiatur, pars una vel altera corporis humani non amplius ita conſtituta eſſe debet, ut ſecundum leges motus agere & operari poſſit, ad quod agendum alias per ſtructuram ſuam & naturam apta deprehen-

henditur. Nullus adeo denuo in re diſſenſus eſt, etſi ingens in verbis adſit. *Campanella* morbum medium eſſe ait inter vitam & mortem; verba nimis generalia ſunt, non tamen aliam morbi notionem ſupponunt, quam eam, quæ hactenus communis tot viris egregiis deprehenſa. Notionem morbi eruit ex notionibus vitæ atque mortis inter ſe collatis. Vita ipſi eſt (c) ſolidarum, humidarum & ſpiritualium partium conſenſio mutuis officiis juribusque contenta in animali eſſe per calorem innatum. Corpus igitur vivum ſibi repræſentat in eo ſtatu, quo partes ſingulæ, ex quibus conſtat, agunt, quod ſuum eſt, ſicque unum uni alteri ſervit, ut mutuis uſibus totum corpus conſervetur. Quamobrem corpus vivit, judice *Campanella*, quamdiu partium actiones ita inter ſe conſpirant, ut tendant ad corporis conſervationem; quando vero iſtiusmodi actiones in eodem amplius non conſervantur, corpus mortuum eſt. Jam vero inter hos duos ſtatus medius quidam obſervatur, quo actiones quædam, quibus ad corporis conſervatio-

nem

(c) Medic. lib. 2. c. 1. art. 1. p. 35.

nem opus eſt, ceſſant, & aliis locus eſt ad corporis deſtructionem tendentibus. Ad hunc igitur mentis aciem intendit, dum morbum inter vitam & mortem medium dicit. Enimvero ſtatus iſte medius obtinere nequit, niſi quando partes quædam ita ſunt diſpoſitæ, ut ab iis actiones proficiſci nequeant, ad quas per ſtructuram & naturam ſuam diſpoſitæ ſunt, conſequenter ineptæ ad eos, quibus deſtinantur, uſus. Morbum igitur tanquam medium quid inter vitam & mortem ſibi repræſentare nequit, niſi qui ad diverſitatem conſtitutionis partium animum advertit, quam omnes omnino reſpiciunt, quando morbum diſtincta cogitatione comprehendunt. Obſcura utique verba ſunt *Campanellæ*, quando morbum enormitatem præter naturam in individuo appellat, quæ extra contextum ægre intellexeris; quare niſi ex contextu ſenſum aliquem eruere licuerit, qui ſit commodus, de iis intelligendis merito deſperatur. Notandum igitur eſt, *Campanellam* affirmare, quod morbi nullus ſit finis in Phyſica, & id probare exinde, quod morbus ſit præter naturam enor-

mi-

mitas in individuo, natura autem individualis pro fine non habeat, quæ extra ſuam intentionem & contra ſe ſunt. Ex his intelligitur, enormitatis nomine *Campanellæ* venire, quicquid fini corporis humani repugnat. Eſt autem finis ejus conſervatio individui, & ea in ſtatu naturali corporis conditio eſt, ut ſingularum partium functiones ad conſervationem individui conſpirent. Quare cum impotentia agendi, ſeu quando partes quædam vel plures ad functiones ſuas ineptæ redduntur, conſervationi individui repugnet; morbus hoc ſenſu dici poteſt enormitas in individuo, eaque præter naturam, ſtylo Medicorum. Præter naturam enim eſſe dicitur, quod non eſt ſecundum eandem, hoc eſt, non conveniens uſui, cui per ſtructuram deſtinantur partes corporis humani. Enormitas itaque *Campanellæ* in individuo, & *Sennerti* impotentia actiones naturales exercendi, unum idemque ſunt: individuum enim conſervari nequit, ſi partes actiones naturales exercere amplius non poſſunt, quibus conſervatio obtinetur. Quamvis autem æqui eſſe debeamus in interpretando, ne

in-

injurii ſiamus in alios; quamvis etiam iſtiusmodi interpretationes ſuo non deſtituantur uſu, cum excitent attentionem ad ea, quæ ſubinde eam ſubterfugerent, quemadmodum in præſenti verba *Campanellæ* in notione morbi ac ſanitatis opportune conſervationem individui, quatenus conſervationi ſpeciei contra diſtinguitur, in memoriam revocant; non tamen ideo probamus, ut definitionibus ſingulis promiſcue utamur, ſed eam omnino eligendam ceteriſque præferendam eſſe defendimus, quæ determinationes definiti diſtincte perpendendas clarius recenſet, ut & facilior & expeditior ſit ejus uſus. De definitione *Hoffmanniana* non eſt, quod dicamus: cum enim viro doctiſſimo libuerit definitioni ſuæ multa inſerere, quæ communiter ex ea exulant, utpote ex ceteris, quæ eam ingrediuntur, demonſtranda, eam cum definitionibus ceterorum conferre non licet, quorum aliud plane fuit inſtitutum. Ceterum ex dictis patet, non tantum eſſe inter viros doctos diſſenſum, quantus videri poterat, ſi ad eorum ſaltem verba reſpicias.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. Notionem morbi egregie illuſtrat ſimilitudo ab horologio petita, quo nuper in notione ſanitatis inveſtiganda uſi ſumus, cum eadem & juvet analyſin, qua notio morbi eruitur. Enimvero ea, quæ huc ſpectant, jam tum una tradidimus, cum notionem ſanitatis perveſtigaremus. Duplex nimirum in horologio concipitur ſtatus, quamdiu horologii munere fungi poteſt. Etenim aut ſingulæ ipſius partes ita comparatæ ſunt, ut ad uſum, cui deſtinantur, per ſui ac horologii ſtructuram aptæ ſint; aut una vel altera pars ita ſeſe habet, ut ad uſum, cui deſtinatur, inepta ſit. Quemadmodum itaque ſtatus prior ſanitati, ita poſterior morbo in corpore humano reſpondet. Eidem autem notioni morbi illuſtrandæ inſervit machina quæcunque alia, cum nulla dari poſſit, in qua non duplicem iſtum ſtatum concipere licet, quem in corpore humano diſtinguimus. Multum profecto & ſibi, & ſcientiæ conſulit, qui in omni notione morbi ad machinam aliquam, cujus ſtructuram intime perſpicit, conſtanter reſpicit: ſive enim notione machinæ iſtius uti velit ad eruendum ea, quæ no-

Quomodo notio morbi illuſtretur.

tionem morbi ingredi debent *diſtinctam*; ſive eandem adhibere *maluerit* ad confirmandum ea, quæ de morbo ex contemplatione corporis eruit, lucemque illis affundendam, in utroque opere mirifice prodeſſe ſimilitudinis hujus uſum reperiet. Neque enim ſimilitudo vaga eſt, ſed determinata, ea ſcilicet, quæ ad genus conſtituendum ſufficit, ſub quo machina quævis artificialis & corpus humanum tanquam ſpecies collocantur. Patet id ex Coſmologia, ubi notionem machinæ in genere (d) evolvimus, & tum ad mundum adſpectabilem (e), tum ad ens compoſitum (f) applicamus. Hanc autem ſimilitudinem latius patere intelliges, quam notio generis adeo remoti promittere videbatur, & fœcunditatem inopinatam miraberis, ubi ſimul ad notionem mixti in Coſmologia itidem (g) evolutam atque corporis organici (h) explicatam animum adverteris, cum beneficio harum notionum attentio excitetur ad ea, quæ alias acumen facile ſubterfugerent. Notiones

(d) §. 65. Coſmol. (e) §. 69. & ſeqq. Coſmol. (f) §. 75. Coſmol. (g) §. 252. & ſeqq. (h) §. 274. & ſeqq.

Digitized by Google

nes enim generales non modo hunc habent uſum, ut tueantur locum principii, quoties ex eo, quod obſervatur vel aliunde quomodocunque tibi cognitum atque perſpectum evaſit, colligi debet, quod nondum innotuerat; verum etiam alterum præſtant, ut attentionem in ea dirigant, quæ inter multa obſervabilia in objecto ad contemplandum propoſito ſunt perpendenda, atque in eo vis ipſarum directrix conſiſtit, quæ mentem ad pervidendum ea, quæ rebus inſunt, acutiorem efficit, & ad ea, quæ obſervanda ſunt, mentis aciem dirigit. Utrumque experiuntur, qui ad operationes mentis ſatis ſunt attenti, dum eas in ſeipſis contueri poſſunt. Erunt autem in poſterum ad eas attentiores, qui principiis noſtris pſychologicis animum imbutum habuerint, tum ut conſtet, ad quid attendi debeat, tum ut in obſervando nihil prætermittamus, ad quod reſpiciendum erat. Sed miſſa ſimilitudine ad notionem morbi ipſam denuo accedamus, viſuri, quidnam ex ea conſequatur.

§. 7. Controverſia olim inter Medicos agitata, num ſubjectum morbi *Sedis morborum*

 ſint

quænam ſint partes. ſint tantummodo partes ſolidæ, an vero etiam fluidæ. Ratio dubitandi inde deſumta, quod ſubjectum morbi ſtatuerint partes viventes, in quarum tamen numero non eſſe humores, vel ſpiritus exiſtimarunt. Quamobrem ſi quæ actiones læſæ ab eorum vitio proficiſcuntur, id non a morbo, ſed errore quodam externo provenire cum *Galeno* pronunciarunt. Noſtrum jam non eſt, prolixe recenſere, quid in utramque partem diſputatum fuerit, cum id apud *Sennertum* (i) legi poſſit; ſed quid ex definitione morbi, quam in dubium vocare non licet, ſequatur, diſpiciendum. Atque ita ſimul apparebit, quod paulo ante monuimus; non eſſe prorſus indifferens, quibus mentem tuam verbis efferas, etſi in interpretando æquitas jubeat, ne aliis minus apte loquentibus ſenſum verborum affingas a mente ipſorum alienum. Dari partes corporis humani non modo ſolidas, verum etiam fluidas, nemo anatomicorum negat. Quis enim in dubium vocaverit, ſanguinem, ſpiritus animales, ſeu fluidum nerveum & lympham, non minus eſſe par-

(i) In Inſtit. Med. loc. cit. p. m. 135. & ſeqq.

Digitized by Google

partem corporis humani, quam ventriculum, inteſtina, cor, pulmones, muſculos? Nec minus pro explorato haberi debet, eſſe ſingulorum fluidorum peculiarem quendam uſum, ſicuti ſingulæ partes ſolidæ uſum ſibi peculiarem habent; quemadmodum præeunte *Galeno*, qui de uſu partium ex inſtituto commentatus eſt, Anatomici uſus partium indicare ſolent, & in Teleologia inprimis uſus iſte ſtabiliri, immo in Phyſiologia ex ipſa partium ſtructura, obſtetricantibus experimentis, ſiquidem opus fuerit, a priori eruitur. Vſus illi, quibus deſtinantur partes fluidæ, non minus ad finem totius corporis faciunt, quam uſus ſolidarum; id quod probatu haud difficile, ubi recordatus fueris, finem corporis humani eſſe conſervationem individui, quemadmodum finis organorum genitalium & ſeminis prolifici eſt conſervatio ſpeciei. Quare cum extra omnem controverſiæ aleam poſitum ſit, corpus ideo fieri ægrotum, quando partes ſolidæ non ſunt aptæ ad ſuos, quibus deſtinantur, uſus, quia ſic non inſerviunt conſervationi individui ceterisque finibus homini præſcriptis;

Digitized by Google

ita ſimiliter dicendum erit, corpus eſſe ægrotum, quando partes quædam fluidæ ſunt ineptæ ad ſuos uſus, cum etiam in hoc ſtatu non inſerviant conſervationi individui, aut ceteris finibus corpori humano præfixis. Nulli igitur dubitamus admittere etiam morbos, quorum ſedes eſt in partibus fluidis. Atque ea in re conſentientem habemus. Medicum noſtra ætate ſummum *Boerhavium*, qui unus inſtar omnium eſſe poteſt: etenim is morbos humorum tanquam peculiarem morbi ſpeciem expendit (k). Poteramus allegare Medicos alios, quorum non minor eſt in arte ſalutari autoritas, ſi autoritatibus opus eſſet, ubi rationes ſufficiunt. Ita *Oligerus Jacobæus* (l): Quemadmodum, inquit, ſanitas in partibus corporis humani tam fluidis, quam ſolidis rite conſtitutis conſiſtit; ita morbus eſt partium earundem (fluidarum ſcilicet atque ſolidarum) læſio, ſeu a ſtatu naturali deturbatio. Ceterum ex hoc ipſo exemplo intelligitur, quantum interſit, ut definitionibus non modo reſpondeant ideæ

(k) In Inſtit. §. 724. & ſeqq. (l) in Compend. Inſtit. Medic. lib. 3. c. 1. §. 1. p. 39.

Digitized by Google

ideæ veræ rerum, verum etiam eædem verbis aptis exprimantur, cum alias in applicanda definitione præter neceſſitatem creentur difficultates.

§. 8. Etſi autem morbos in partibus non minus fluidis, quam ſolidis admittere debeamus (§. 7.); non tamen idcirco negamus reſpondere *errori externo*, quem morbo opponit *Galenus*, aliquam notionem. Exemplum habemus juxta autores in fæcibus alvi duris, quæ impedimento ſunt inteſtinis, quo minus easdem excernere queant. Simile exemplum præbet ventriculus cibi copiam nimiam ingeſtam digerere, aut cibos qualitate peccantes in laudabilem chylum convertere minime valens. Etenim hic concedimus nullo morbo affici fæces, quod earum ſtatus præternaturalis judicari queat, hoc eſt talis, quo ſunt parum aptæ, ut expellantur. Largimur etiam, nullo morbo affici cibum, ſive quantitate, ſive qualitate peccet: cum enim nec fæces alvi, nec cibi ingeſti ſint partes corporis humani; de iis nec morbi definitio prædicari poteſt, quæ tantummodo ad partes perinde ac ad totum corpus ſpectat. Quoniam etiam *Erroris externi notio.*

in utroque caſu organum ita conſtitutum eſt, quale eſſe debet, ut ſit ad uſum ſuum aptum, adeoque ipſi nullum vitium ineſt; nec organum morbo laborare dici poteſt. Enimvero cum corpus in tali conſtituatur ſtatu, quo pars aliqua ob cauſam intus contentam actionem edere nequit, quam debebat, non video, cur tunc corpus morbo laborare dicendum non ſit. Quamobrem in exemplo priore, quo fæces alvi ob duritiem ab inteſtinis excerni nequeunt, nullum equidem in inteſtinis vitium eſt, aſt corpus tamen ab eo non immune. Et manum ſane medicatricem requirit in eo ſtatu corpus, ne malum longius ſerpat. Enimvero ubi major cibi copia ventriculo ingeſta, quam quæ ab eo digeri poſſit; ventriculus non ineptus eſt ad cibum digerendum, nec eo ſenſu ipſi impotentia digerendi cibum tribui poteſt, quo alias tribuitur, quando cibus digerendus nec quantitate, nec qualitate peccat. Certe ſi eo in ſtatu corpus morbo laborare dicendum foret, perinde omnino foret, ac ſi in numerum morborum referre velis impotentiam elevandi 100 libras, cum quinquaginta ſaltem elevare

pos-

Digitized by Google

poſſis. Quodſi ergo in tali caſu impotentiam agendi, ut eam ab altera diſtinguas, quam morbum eſſe ſupra oſtendimus, ad errorem externum referre volueris, nos minime habebis diſſentientes. *Error* adeo *externus* juxta *Galenum* eſt impedimentum actionis organi, ad quam producendam ipſum in ſe ſpectatum aptum deprehenditur. Ita in primo exemplo inteſtina in ſe ſpectata diſpoſita ſunt ad excernendum excrementa; ſed quia fæces alvi ſunt nimis duræ, ob duritiem impeditur actio, conſequenter hoc impedimentum error eſt externus, non morbus reſpectu inteſtinorum. Hoc tamen non obſtante fieri poteſt, ut corpus morbo laboret, etſi organum vitio careat. Similiter in altero caſu ventriculus ita diſpoſitus eſt, qualis ad digerendum cibum requiritur; ſed quod ob nimiam quantitatem vel peccantem qualitatem non digeratur, nullo corporis vitio accidit. Impedimentum adeo digeſtionis, quod in ipſo cibo eſt, error externus a *Galeno* recte appellatur. Neque in hoc caſu, ſi nihil amplius ſpectes, corpus aliquo vitio laborare dici poteſt, quamdiu alimenta

parum digeſta non aliorum malorum cauſæ ſunt. Similitudo ab horologio petenda notionem *Galeni* de errore externo illuſtrat. Etenim ſi ponamus lapillum quendam inter rotas duas interjici, qui impedit, quo minus una earum ſine multo affrictu moveri poſſit; tardior erit motus horologii ob errorem externum, nullo quippe ſtructuræ aut partis vitio. Neque utilitate ſua caret, ut Medicus diſtinguat eum corporis ſtatum, quo pars aliqua vitium quoddam contraxit, ſeu per intrinſecam ſibi rationem non diſpoſita eſt ad eum, quem præſtare debet, uſum, ab altero, quo ob extrinſecam rationem ſequi nequit, ad quod ipſa per ſe diſpoſita deprehenditur. In priori enim caſu removendum tantummodo eſt impedimentum actionis, eritque corpus ſanum; at in poſteriori ſananda eſt ipſa pars affecta. Ita ſi fæces duræ emolliantur, ut fiant ad excernendum aptæ, nullo amplius vitio laborabit corpus, cum nulla pars vitium contraxerit, quod auferri debeat. Enimvero ſi fæces fuerint ad excernendum aptæ, ſed inteſtina non ſint diſpoſita ad eas excernendas, tum non ſufficit

tol-

tollere fæces, ſed ipſa quoque inteſtina ex ſtatu præternaturali in naturalem ſunt transferenda. Quamobrem attentione Medici opus eſt, ut in dato quocunque caſu inquirat, num actio aliqua ſuſpendatur vitio organi, an vero ob impedimentum externum, quibuscunque tandem nominibus ſtatus iſtos a ſe invicem diſtinguerre volueris. Differentia enim realis eſt, & in arte ſalutari maximum momentum habet. Nomina vero arbitraria ſunt, nec ullam ad rem utilitatem afferunt. Quare perinde eſt, ſive cum *Galeno* loqui, ſive eum corporis ſtatum, qui morbus dicitur in genere, ita ſubdiſtinguere volueris, ut corpus morbo laborare dicas, vel vitio alicujus organi, vel ob impedimentum aliquod eidem extrinſecum. Ita nimirum omnis corporis ſtatus, quo actio alicujus organi ſuſpenditur ad conſervationem individui neceſſaria, ſive mediate ſive immediate talis, dicetur morbus. Morbus vero accidit corpori, vel vitio alicujus organi, quod adeo & ipſum morbo laborare dicetur; vel vitio organi nullo, verum ob extrinſecum tantummodo eidem impedimentum.

tum. Conſultum tamen utique foret, ut Medici recentiores vocabulis veterum uterentur, ſi vel maxime ſubinde incommoda ipſis viderentur, cum error non in nomine, ſed in re lateat, ſi quis admiſſus fuerit, quique adeo corrigi poterit, nomine minime mutato. Ita enim non modo facilius pateret, quantus ſit inter eos conſenſus, quantus diſſenſus, verum etiam caveretur, ne aliis imputarentur errores a mente ipſorum alieni, ſcripta & veterum, & recentiorum eadem facilitate intelligerentur, nec tot diverſa nomina, tot diverſæ loquendi formulæ memoria retineri deberent, ut de veritate eorum, quæ a viris egregiis dicta ſunt, ſtatuere liceret. Immo tum demum facilior foret ad nova detegenda aditus iis, qui in iis inveſtigandis oleam & operam perdunt, quæ dudum ab aliis inventa ſunt, & aliis nominibus idem proponunt tanquam novum aliquod inventum, quod dudum rectius traditum fuit ab aliis. Atque hunc ſcopum, tanquam genuinum philoſophiæ uſum, intendimus, dum dictiones veterum ab abſurditate liberamus, & æquitatis in interpretando ad incremen-

tum

Digitized by Google

tum ſcientiarum adeo utilis exempla cumulamus.

§. 9. Definitiones nominales omnes ſunt principia, ex quibus cetera deducuntur, quæ rei conveniunt, adhibitis (quod per ſe patet) principiis, quibus ad ratiocinandum opus eſt. Etenim definitio in ſe ſpectata nonniſi judiciis formandis inſervit, quibus vel integra definitio prædicatur de definito, vel contra, aut aliqua in definitione contenta prædicantur de eodem definito. Ita autem conſtat, ex præmiſſa unica non inferri concluſionem. Quare præter haſce propoſitiones, quæ minorem præbent ſyllogismis, opus eſt propoſitionibus aliis, quæ majoris vicem tuentur. Atque iſtæ propoſitiones principiorum nomine veniunt (m). Præterea demonſtrationum analyſis, quam diſtincte delineavimus, & exemplis illuſtravimus (n), manifeſto docet, non uno ſyllogismo inferri id, quod ex definitione deduci poteſt; ſed ratiocinia longa ſæpiſſime, immo plerumque, aut tantum non ſemper ſerie continuanda eſſe; donec ad ea perveniatur, quæ ex definitione

Quomodo notio morbi evolvatur.

(m) §. 561. Log. (n) §. 551. & ſeqq. Log.

tione deducenda fuerunt. Atque hic denuo principiis opus eſt. Vnde conſequitur, eum nihil ex definitione deducere poſſe, qui principia iſta perſpecta minime habet. Hæc ad retundendam ſciolorum proterviam data commoda occaſione moneo, qui, cum in veritate proprio Marte perveſtiganda nullum adhuc ſtudium collocarint, tanquam abſurdum exagitant, quod ex definitione nominali ea deduci poſſe omnia dicantur, quæ de re prædicanda ſunt in ſe conſiderata. Vt igitur ex notione morbi deducantur, quæ inde deducere licet; repetendum eſt ex iis, quæ in ſimili caſu de ſanitate annotavimus (o), partes corporis ſolidas organicas eſſe, & qua materiam mixtas easdem uſum habere a ſtructura, & vi ſtructuræ totius corporis eo inſervire fini totius corporis; conſervationi autem mixti deberi, ut perdurent. Quodſi ergo ſtructura quomodocunque vitiatur, aut mixtio materiæ deſtruitur; pars illa inepta redditur ad uſum, cui deſtinatur. Notio morbi in genere directrix eſt, atque adeo viam monſtrat, qua ad differentias genera-

(o) Trim. æſt. num. 4. §. 6. p. 542.

Digitized by Google

nerales morborum perveniatur. Etenim ſi materiæ, ex qua organicæ partes componuntur, vel etiam fluidorum mixtionem conſideres; in id inprimis inquirendum eſt, quid mixtionem in ſolidis ſolvat, & quomodo vel miſcibilia, vel eorum proportio in fluidis non ita ſeſe habeant, quemadmodum conſervatio corporis poſtulat. Exinde nimirum deducenda ſunt, quæ de *morbis partium ſimilarium*, quos vocant Medici, tenenda ſunt. Quodſi vero partes organicas ſpectes, in earum ſtructura tum ratio habenda eſt qualitatum partium, tum modi, quo partes inter ſe junguntur. Quamobrem hic diſquirendum eſt, quomodo vel qualitates partium, vel eorum ad ſe invicem ſitus ac nexus mutuus mutari queat, vel denique extrinſecum aliquid accedere poſſit, quod organi rite conſtituti actionem impediat. Atque hinc derivanda ſunt, quæ *de morbis organicis*, quos appellant Medici, eorumque ſpeciebus in genere tenenda. Qui hæc perpendit, in dubium amplius revocare nequit, Pathologiam rationibus a priori ſtabiliri non poſſe, niſi præſuppoſita theoria Phyſiologiæ

ac-

accurata, idemque intelligit, quomodo Phyſiologia pertractari debeat, ut Pathologiæ demonſtrationibus inſerviat. Liquet etiam ex dictis, morbos partium ſimilarium eſſe communes omnibus partibus, in quibus eadem mixtio eſt, cum in vitio mixtionis conſiſtat morbus, morbos autem organicos differre pro diverſitate organorum, quorum functiones læduntur. Noſtrum vero jam non eſt, ad ſpecialiora deſcendere, cum aliud non ſit propoſitum, quam oſtendere, quomodo notione morbi in genere ſeu definitione ejus nominali ſit utendum, ut eruantur ea, quæ per contenta in eadem determinantur, utque appareat, quomodo notio morbi generalis directricis vicem tueatur. Notiones agnatas alias in poſterum dilucidabimus: hic enim hac vice ſubſiſtendum.

Finis Trimeſtris Autumnalis.

CON-

Digitized by Google

**
*) o (**
*

CONSPECTVS
TRIMESTRIS AVTVMNALIS.

§. I.

De Voluptate ex cognitione veritatis revelatæ percipienda, 559

II.

De Computatione graduum canonica, 586

III.

De Philoſophia non ancillante, 625

IV.

De Notione morbi, 678

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

Accidentalia feudi quomodo inveſtigentur, 250. 251. quid ſint, 271 & ſeqq.
Acumen in vulgaribus, 28
Acuminis ſubſidia, 343. 344
Adverſarii autoris mendacii convicti, 27
Æquitas in aliorum meritis dijudicandis, 29
Antagoniſtarum autoris character, 189. mos, 287. 288. 399. præcipitantia, 321. 322
Antinomiæ in jure quomodo evitandæ, 146 & ſeqq.
Arbitrarii rationum detur, 99. 100
Architectonica ſcientia, 349
Ariſtotelis ingenium ſyſtematicum, 115. 116
Ars inveniendi cur dilectet, 407
Aſſenſus firmus in Matheſi unde, 278. 279. quomodo generetur, 273. 274. quomodo comparetur, 277
Aſſenſus ſucceſſiva generatio, 271. ſeqq. quomodo ejus notio comparetur, 307 & ſeqq.
Aſſenſus revelationi præbendus, 497
Aſſenſuum genealogia, 274. unde cognoſcatur, 274. 275
Aſtri-

Aſtronomiæ examina, 162. initia, 156. progreſſus, 158. 165. principia, 160
Aſtronomiæ & *Medicinæ* affinitas, 167
Aſtronomorum ingenuitas, 163
Autoritatis præjudicium quomodo evitetur, 149
Autor quomodo in legendis aliorum ſcriptis verſetur, 48. quomodo ſibi caverit ab impugnatione aliorum, 290. 291
Autoris finis in philoſophando, 1. 26. & ſeqq. propoſitum in philoſophando, 105. in confirmanda philoſophia, 241

B.

Blanchini (Franciſci) inventa aſtronomica, 299
Brutorum & hominum jus commune. 49. & ſeqq.

C.

Canum invidia qualis, 63. 64. laſcivia qualis, 65. & ſeqq.
Carteſius intellectu ſyſtematico præditus, 118. cur neminem impugnarit, 399
Cenſores intempeſtivi notati, 239. 241
Certitudo eventus unde nobis ſit, 52
Chriſto qualis fuerit animus. 360. 361
Chriſtiani officium circa injurias, 350
Circulus in probanda exiſtentia Dei commiſſus. 281
Cognatorum definitio & diviſio, 595. fundamentum, 596
Cognitionis acquiſitæ uſus in negotiis quinam, 8
Cognitionis hiſtoricæ, philoſophicæ & mathematicæ diſcrimen, 3. 4. 5
Cognitionis ſolidæ fundamenta ubi jaciantur, 6
Cognitio rerum qualis, 32
Commutatio quid ſit, 256
Computatio juris canonici controverſa, 587. & ſeq. ab abſurditate liberata, 619

Confucius intellectu ſyſtematico naturali prædítus, 117
cur ſibi conſona tradiderit, 143. 144
Contentionum inter eruditos cauſæ, 420
Contradictiones quando evitentur, 142 & ſeqq.
Controverſiæ temerariæ quomodo fugandæ, 303. 304
Copernicus a faſtu liberatus, 294. 295
Cultus Numinis cujus juris, 90 & ſeq.

D.

Defenſio cauta veritatis, 303
famæ cur juris gentium, 89
ſui num licita, 363
Definitiones ad vitam utiles quales, 18
Definitionum abundantium incommoda, 20, 21. *mancarum* incommoda, 19. 20
Demonſtratio quando voluptatem pariat, 381 & ſeqq.
Denominandi indifferentia, 74
Determinantia ſe mutuo quando in definitionem admittantur, 460
Difficilia cur pulchra, 393
Diſcendorum lapis lydius, 33 & ſeqq.
Diſciplinarum ſtudium cur initio tædioſum, 443. 444
Docens in trivialibus quomodo cum voluptate averſetur, 382. 363
Docentium lapis lydius, 35. 36
Doctrinarum philoſophicarum applicandarum modus, 9 & ſeqq.
Dominium quid ſit, 243
Dominii utilis definitio, 454
Dominus directus quinam, 455

E.

Eclecticum quomodo agamus, 149 & ſeqq.
Elementorum Euclidis principia quænam, 332 & ſeqq.
Entis a Deo omnimoda dependentia, 511. 512

Entis notio quam utilitatem afferat ad philoſophandum, 29 & ſeqq.
Enunciandi modus in S. S. qualis, 365 & ſeqq.
Error quomodo evidenter detegatur, 151 & ſeqq. quam imperfectionem mentis arguat.
Error alienus quando voluptatem pariat, 375. 396. 397. & ſeqq.
Error externus in corpore humano, 707 & ſeqq.
Errores quomodo citra injuriam aliorum refutandi, 421
Erroris ſibi conſcius cur tædio afficiatur, 442
Eruditorum mores perverſi in Germania, 398. 386
Euclidis elementa qualia ſint, 131 & ſeqq. quomodo legenda, 286 quomodo Matheſin ad ſenſum communem induceret, 335. 336
Examina veritatis num ubivis haberi poſſint. 137. cur delectent, 434 & ſeqq. eorum utilitas, 136

F.

Facultates novæ homini vi regenerationis ſuperaccedentes, 503
quomodo omnes in veritatis agnitionem impendantur, 572
Facultates ſuperiores cur ad Remp. adminiſtrandam non ſufficiant, 639. 640
Facultatis moralis & phyſicæ differentia, 245 & ſeqq.
Fama virorum bene meritorum a quibusnam laceſſetur, 397. 398
Faſtus eruditorum in quonam conſiſtat, 295
Feudi definitio, 458
Furti pœna qualis apud diverſas gentes, 97

G.

Gaſſendus intellectu ſyſtematico deſtitutus, 124
Genera cur accurate definienda, 18
Generis definitio quando loco generis in definitione ponenda, 239

Genus remotum quando in definitione præferatur propiori, 259 & ſeqq.
Geometræ cur a philoſophia alieni, 447. num rationes genuinas afferant, 7
Geometræ veteres commendantur, 113
Geometrarum de viribus ſuis præjudicium, 413
Geometriæ perfectio unde prodeat, 446
Gradus cognationis quo fundamento nitantur, 589. definitio & diverſitas, 598 & ſeqq.
Graduum cognationis computatio, 604 & ſeqq. 612 & ſeqq. 617. & ſeqq.
Grotii objectiones adverſus notionem juſtitiæ Ariſtotelicam & reſponſiones ad eas, 264 & ſeqq.

H.

Habitus philoſophiæ unde agnoſcatur, 30 & ſeqq.
Harmonia præſtabilita quid ſit, 192. 225. an ſit abſurda, 198 & ſeqq. an abſolute poſſibilis, 204. quousque ab autore defenſa, 215 & ſeqq.
Harmoniæ præſtabilitæ quem uſum faciat autor, 27. impoſſibilitas num fuerit probata, 321. 322
Homo cur nihil a ſeipſo habeat, 489 & ſeqq. quomodo diſponatur ad aſſenſum veritatibus puris præbendum, 563
Honeſtatis & turpitudinis intrinſecæ ſata, 279 & ſeqq.
Humilitatis motivum, 506. 509. 515
Hugenii (Chriſtiani) juvenis lapſus in impugnandis aliis, 400. 401
Hypotheſes utiles quomodo inveniantur, 193 & ſeqq.
Hypotheſeos impoſſibilitas abſoluta unde colligatur, 207 & ſeqq.
Hypotheſis de animæ commercio falſa num periculoſa eſſe poſſit, 190 & ſeqq.
Hypotheſes philoſophicæ. Definitio, 177. exempla, 178. 179. finis, 179 & ſeqq. quomodo non tolerandæ, 181. 182. cur principia demonſtrandi eſſe nequeant, 182 & ſeqq. uſus genuinus, 184 & ſeqq. quando in errorem

non

non inducant, 188 & ſeqq. diverſa fata, 211. cura dogmatis diſcernendæ, 213

I.

Jaqueloti æquitas, 199
Imagines quid ſint, 237
Immaterialitas animæ in dubium adducta, 548
Imitatio Mathematicorum quando locum habeat, 50
Impoſſibilitas quomodo oſtendatur, 318 & ſeqq.
Impugnationis præcocis cauſa, 289. remedium, 289 & ſeqq. prætextus refutatur, 420
Imputationes horrendæ adverſariorum cur autori non ſint metuendæ, 287
Incerta cur rerum naturalium cognitio multis videatur, 324. 325
Inconſtantia opinionum, 284
Intellectûs quomodo voluptatem creet, 386 & ſeqq quantum creet, 389 & ſeq.
Intellectus cultura unde petenda, 418 & ſeqq.
Intellectus non ſyſtematicus quinam, 112
Intellectus ſyſtematicus quinam, 108. ejus exempla, 113 & ſeqq.
Intemperantia in ſtudiis unde, 392
Interpretatio extenſiva S. S. 510
Interpretatio dictorum ab aliis quomodo fieri debeat, 106
Interpretationis S. S. exemplum, 353
Iridis cognitio quotuplex, 4
Judicandi temeritas & præcipitantia quomodo evitetur, 70
Judices intempeſtivi de ſyſtemate mundi, 294 & ſeqq.
Judicia Diſcurſiva quomodo formentur, 10. 11
Judicia intuitiva quomodo innoteſcant, 10
Judicis officium, 268
Juris definitio, 242 & ſeqq.
Juris civilis efficiendi modus 95 & ſeq. notio, 90 & ſeqq. 93. 106 & ſeqq.

Juris gentium notio, 70 & ſeqq. 74 & ſeqq. partes diverſæ, 80
Juris naturæ notio, 42 & ſeqq. 100 & ſeqq. inveſtigatio ex actionibus mutorum, 57 & ſeqq. 63 & ſeqq. 68. uſus, 641 & ſeqq.
Juris naturæ & gentium convenientia & differentia, 73
Jurisprudentia an internas actiones reſpiciat, 232 & ſeqq.
Juris ſtudioſo quænam diſcenda, 34
Jus civile quo ſenſu ſit arbitrarium, 99
Jus gentium cur omnium hominum commune ac proprium, 75. quomodo ex actionibus hominum derivetur, 73 & ſeqq.
Jus ſuum quomodo alteri tribuatur, 245. 246
Juſtitia cur velatis oculis pingatur, 237
Juſtitia diſtributiva quænam, 251 & ſeqq. commutativa quænam, 256 & ſeqq.
Juſtitiæ cognitio cur utilis, 267. 268
Juſtitiæ particularis diviſio, 250 & ſeqq.
Juſtitiæ definitio Vlpiani explicata, 231
Juſtitiæ univerſalis notio diſtincta, 247 & ſeqq.
Juſtus in omni opere quomodo eſſe debeat, 248. 249. quinam ſit, 232. 233

L.

Laboris indefeſſi in ſtudio philoſophiæ & Matheſeos cauſa, 404
Leibnitii (G. G.) elogium, 26. 27. ſcopus in perficienda philoſophia, 26. 27
Lex talionis qualis ſit, 353 & ſeqq.
Librorum communium defectus, 281. 282. quorum malorum cauſa, 284 285
Lineæ cognationis, 592 & ſeqq.
Lineæ obliquæ cognationis diviſio, 609 & ſeqq.
Loca Matth. V. 39 & 1. Cor. IV. 7. explicata, 350. 489
Logicæ artificialis utilitas in vita communi, 659 & ſeqq.
Lux philoſophiæ qualis affundi queat, 313. 314

M.

M.

Maculæ in Venere conſtantes, 299
Maria in Venere detecta, 299
Mathematicorum mos in contemnendis cenſuris præcocibus, 402
Matheſeos principia ultima, 332. 333. ſtudium initio cur tædioſum, 443. 444. cur adeo certa utilitas, 17
Matheſis an hominem ad alia ſtudia ineptum reddat, 283 & ſeq. quomodo ad ſenſum communem reducatur, 33 & ſeqq.
Medicæ obſervationes primæ, 169
Medici cur ſignificatum terminorum immutare non debeant, 512
Medicinæ cum Aſtronomia affinitas, 167. initia, 169. principia, 171. progreſſus, 173. theoria qualis eſſe debeat, 175
Medicorum in definiendis ſanitate, 535 & ſeq. & morbo conciliatio, 690 & ſeqq. concordia & ingenuitas, 174
Mentis abyſſus exploranda, 421. 422
Metaphyſica ſcholaſticorum cur in contemtum adducta, 445
Methodus conjectandi hominum mores, 653 & ſeqq.
Methodus docendi autoris, 342
Methodus ſtudendi cur non ſit indifferens, 305. 306
Miſericordiæ ratio quando & quomodo cognoſcatur, 7. 8
Morbi notio quomodo inveſtigetur, 681 & ſeqq. definitiones diverſæ, 678. notio illuſtrata, 707. quomodo evolvenda, 683. 681. & ſeqq. ſedes, 688
Morborum diviſio generalis, 704. varietas quomodo detegatur, 689
Mores eruditorum in quibusdam Germaniæ academiis, 289
Mores plebeji quomodo ex orbe erudito fugandi, 291
Motus gravium acceleratio, 7. 8
Mundus an perfectus, 326 & ſeqq.

N.

Naturalia feudi analytice inveſtigata, 450. 451. quid ſint, 451 & ſeq.
Neumannus (Caſparus) intellectu ſyſtematico præditus, 119
Nevvtonus (Iſaacus) cur neminem impugnaverit, 399
Notiones directrices quænam dicantur, 316 & ſeqq.
Notionum directricium exempla, 318 & ſeqq. uſus exemplo juridico illuſtratur, 450. 452. uſus in S. S. interpretanda, 492 & ſeqq. uſus in augendo acumine, 343. in docendo, 341. in arcendo ſcepticiſmo, 345
Notionem rei quænam ingrediantur, 323. quomodo ex ea alia deducantur, 84. 86
Notio propoſitioni reſpondens qualis, 25
Notiones ontologicæ quomodo experimento confirmandæ, 344
Notitia credendorum quomodo poſſibilis, 495

O.

Obedientia cur parentibus præſtanda, 87
Oeconomiæ uſus, 664
Ontologia autoris qualis, 310 & ſeqq. uſus in arte inveniendi, 328 & ſeqq. uſus ſingularis, 314 & ſeqq. utilitas, 33. cur hactenus non animadverſa, 333. 334
Ontologia experimentalis, 345
Ontologicarum notionum in Algebra uſus, 329 & ſeqq. uſus in demonſtrando, 332 & ſeqq.
Opinionum inconſtantia, 284

P.

Pedantiſmus quid ſit, 295. cur diſtincte explicandus, 295. 296
Perfectionis notio fœcunda, 385
Perfectio rerum cur delectet, 384 & ſeqq.
Philoſophandi ſpuria ratio, 3
Philoſophia cur addiſcenda, 14. 15. cur ancillari dicatur, 626 quomodo ancilletur, 675 & ſeqq. quando ad vitam & Remp. adminiſtrandam utilis, 2. quomodo ad ſenſum communem reducatur, 337 & ſeqq.

Philo-

Philoſophia ancillans Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, 676

Philoſophia non ancillans, 35. 618 & ſeqq.

Philoſophia autoris quomodo legenda, 286 & ſeqq.

Philoſophiæ ampli limites, 15. officium, 376. utilitas in jure, 34. in Rep. adminiſtranda, 35. ad vitam utilis habitus, 16 & ſeqq. uſus in interpretanda S. S. 563. 564

Philoſophiæ autoris uſus, 449. vis in lectores attentos, 287. cur animum voluptate perfundat, 125. cum Chriſto conſenſus, 365

Philoſophia experimentalis cur delectet, 440. ad quascunque philoſophiæ partes extendenda, 345

Philoſophiæ primæ præſtantia, 5. 6. utilitas, 22. utilitas in arte inveniendi, 44. 45. in arcendo ſcepticiſmo, 347

Philoſophia vulgaris cur in ſpem futuræ oblivionis diſcatur, 26

Philoſophica cognitio cur delectet, 402 & ſeqq.

Philoſophus intra terminos hypotheſeos quando ſeſe contineat, 215

Phyſicæ uſus, 669

Politicæ in adminiſtranda Rep. uſus, 659

Præcipitantia in judicando quomodo evitetur, 293

Prædicata rerum in philoſophia quomodo determinentur, 17

Præjudicium nimiæ confidentiæ quomodo tollatur, 297. autoritatis quomodo evitetur, 149

Probationum uſus, 9

Problematum ſolutiones univerſales num majus acumen requirant ſolutionibus particularibus, 413. 414

Profunditas in rebus obviis, 28

Progreſſus ſecurus in ſcientiis unde, 125

Promontoria in Venere detecta, 299

Proportio arithmetica quomodo obſervetur in juſtitia commutativa, 259 & ſeqq.

Proportio geometrica quomodo obſervetur in juſtitia diſtributiva, 251 & ſeqq.

Pro-

Propoſitiones ad vitam utiles quales, 22 & ſeqq.
Propoſitionum ſpecies, 23. 24. nexus qualis, 109
Prudentia circa hypotheſes philoſophicas adhibenda, 212 & ſeqq.
Prudentiæ legislatoriæ ſubſidium, 484
Pudoris effectus, 508
Puſendorffii diverſa fata, 211

R.

Rationis cognitio confuſa & diſtincta, 5. 6. 7
Rerum connexio qualis, 108

S.

Sanitas. Definitiones diverſæ, 518. 519. quomodo notio analytice eruatur, 521. 526 & ſeqq. quouſque in poteſtate ſit, 551
Scepticiſmus quando arceatur, 345. ejus cauſa, 284
Sciendi cupido unde naſcatur, 391
Scripta autoris cur non indigeant defenſione, 287. eorum uſus ſingularis, 308. 309
Scripta ſyſtematica quomodo legenda, 285
Scripturæ ſacræ defendendæ ſtimulus, 570
Scrupuli circa veritates puras quomodo tollantur, 564. 575
Series infinitæ quando delectent, 397 & ſeq.
Servitus ſtillicidii, 244
Simplicium theoriam qualem tradat autor, 27
Societatis mutuæ appetitus cur fons juris naturalis, 88
Species cur accurate definiendæ, 18
Spinoſa (Benedictus de) intellectu ſyſtematico abuſus, 126
Stirpis definitio, 591
Subſtantialia feudi quid ſint, 452 & ſeqq. quomodo inveniantur, 450. 451
Subjecti notio qualis, 24
Superbiæ ſpiritualis evitandæ remedium, 514

Syſte-

Syſtema quomodo ab obſcuritate & contradictionibus liberum conſervetur, 138 & ſeqq.
Syſtema doctrinarum quale, 109 & ſeqq.
Syſtema elementare quodnam ſit & quale, 125. 129. quomodo ab erroribus immune obtineatur, 135 & ſeqq.
Syſtematum neceſſitas, 276 & ſeqq.

T.

Teleologia cur delectet, 384 ejus uſus, 667
Termini feudales cur utiliter ad ontologicos reducantur, 483 & ſeqq.
Theologiæ Studioſo ſcitu neceſſaria ex philoſophia, 676
Theologorum nonnullorum inconſtans de hypotheſibus philoſophicis judicium, 211. 212
Theoriæ ſublimes cur non contemnendæ, 433
Tolerantia hypotheſium philoſophicarum quibus limitibus circumſcribenda, 205 & ſeqq. 212 & ſeqq.
de *Tſcirnhauſen* (E. W.) elogium, 367. 369
Tychonis præcipitantia in judicando de ſyſtemate terræ motæ, 293

V.

Vaſalli definitio, 455
Verborum S. S. accurata determinatio, 507
Veritas quomodo incrementa capiat, 125. cur eadem multiplici modo demonſtranda, 61
Veritatem quinam cognoſcat, 372 & ſeqq.
aſtronomicam qui capere nequeat, 294
latentem quinam detegere poſſit, 407
Veritatis cauta communicatio, 302 & ſeqq.
Veritates revelatæ cur in ſyſtema veri nominis redigendæ, 572
Veritates utiles quando magis delectent ſterilibus, 430 & ſeqq.
Veritatum revelatarum diviſio, 560. 561. nexus quotuplex,

plex, 573. 574. influxus in appetitum, 501 & ſeqq. applicatio ad ſe unde pendeat. 498
Via plana ad Facultatum ſuperiorum ſyſtematicam tractationem, 405
Vindicta publica cur opus ſit, 361. 362
Vindictæ cupido cur chriſtianum dedeceat, 357. quando animus ab ea vacuus, 360
Virtutis notio explicata, 231 & ſeqq.
Viri magni cur ab impugnandis aliis alieni, 401
Ulpiani cum *Ariſtotele* in notione juſtitiæ conſenſus, 238 & ſeqq.
Ulpianus defenſus, 240. 241
Univerſalia quomodo exiſtant, 22
Voetii (*Gisberti*) character, 399
Voluntatis cultura a philoſophia petenda, 449 & ſeqq.
Voluntatis conſtantis notio, 234 & ſeqq.
perpetuæ notio, 235
Voluptas quid ſit, 370. 371. quænam conſtans, 412. cur moveat hominem, 438. ex acquiſitione veritatis orta, 367 & ſeqq. ex demonſtratione percipienda, 381. ex cognitione perfectionis rerum, 384. perfectione intellectus, 386. philoſophica rerum cognitione, 402 & ſeqq. arte inveniendi, 406 & ſeqq. ex virtute, 429. ex modo, quo veritates mixtæ in S. S. enunciantur, 564. ex veritatibus mixtis, 562. ex nexu veritatum revelatarum, 572. ex earum convenientia cum attributis divinis, 577. & influxu in praxin, 579. ex eo, quod eorum veritatem in nobis experiamur, 582. ex earundem objecto, 585. ex philoſophia percipienda, 670. cur ex ipſa veritate percipiatur, 376 & ſeqq. quinam ex arte inveniendi percepti ſint gradus, 408. 410 & ſeqq. uſus & abuſus, 409
Voluptas ex cognitione veritatis percipienda num ſit mutabilis, 425 & ſeqq.
Voluptates plures ſimul perceptæ in cognitione rerum, 388

Voluptatis ex intellectus perceptæ gradus, 389 & ſeqq. uſus, 395. abuſus, 394
Voluptatis ex cognitione veritatis ortæ inciementa, 427
Voluptatis ſpuriæ & nocuæ genera, 398. 418. 222. quomodo ſpuria a genuina ſeparetur, 414. 415

FINIS.

Digitized by Google



Christian Wolff
Hochfürstl. Heſsiſchen HofRath und
Mathem. et Philoſ. Prof. Primario der
Königl. Groſs-Britanniſchen, wie auch der Königl.
Preuſs. Societät der Wiſſenſchafften Mitglied.

Rosbach ſc. Lipſiæ

Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google